L I M A

L I M A T A.

Prospectus totius voluminis.

LIMA LIMATA
CONCILIIS,
CONSTITVTIONIBVS SYNODALIBVS,
ET ALIIS MONVMENTIS.

QVIBVS

VENERAB. SERVVS DEI


TORIBIVS ALPHONSVS MOGROVEIVS
ARCHIEPISC. LIMANVS

Prouinciam Limenſem, ſeu Peruanum Imperium elimauit, & ad normam SS. Canonum compoſuit.

Omnia ferè ex Hiſpanico ſermone latina reddidit, Apparatu hiſtorico, neceſſarijs paſsim Notis, & Scholijs, ac opportunis indicibus illuſtrauit

FR. FRANCISCVS HAROLDVS

Hibernus Limericenſis, Ord. Minor. Strict. Obſeru. S. Theologiæ Lector Iubilatus, & Franciſcani Ord. vniuerſi Chronographus, in Collegio Romano S. Iſidori Fratrum Hibernorum eiuſdem inſtituti.



ROMÆ, Typis IOSEPHI CORVI. Anno M. DC. LXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCIPI

IOANNI EVERARDO

S· R· E· CARD· NITARDO·

Pro Catholica Regia Maieſtate

AD CLEMENTEM X. PONT. MAX.

ORATORI.

Eminentiſsime, ac Reuerendiſsime Princeps.

VETERVM authoritate, recentium narratione fertur, Herculem ex Alcmenæ matris adulterio natum, priùs Græciæ prædonem, corporis virium, vigoris animi, fortitudinis, & fortunæ monſtrum, monſtrorum domitorem deuicto in Iberia Geryone, Gaditanas oras Occidentis Orbis fines arbitratum binas ibidem erexiſſe columnas, expugnati per ſe Mundi monimenta, hac inciſas epigraphi, NON PLVS VLTRA. Sed quod Græcanica fides attingere non potuit, Hiſpanorum verè fidelium viua in Deum ſpes, & Catholica charitas commeruere, cùm CAROLVS Auſtriacus, primus illius nominis Hiſpaniarum Rex, & Romanorum Cæſarum quintus, cuius victricibus armis Orbis vnus non potuit ſufficere, plures obtinuit, ac nouos duos ampliſſimos Orbes adiunxit antiquo Romano; quando detecta America, poſt deuictum in Arcto Mexanicum Imperium, vt polum vtrumq; magnitudine ſui ſimul cōpleret, Auſtrum aggreſſus, Peruanoq; potitus trina fecit vnum, & Imperium ſuum Hiſpano-Romanum à Solis ortu vſq; ad occaſum potenter, & proſperè propagauit: corre-

re-

rexitq; Græcanici ducis errorem, cùm iactis tùm, eius auſpicijs, magnæ Vrbis LIMÆ fundamentis, tres illi coronas Magorum Regum, & ſtellam, qua ducti ſunt ad Chriſti præſepe, ſuæ dedit originis inſignia, Ciuitatis Regum priùs inditum nomen illi confirmans. Binis quoque columnis Clypeum adornans Imperij corona redimitis, veriori ſymbolo illas inſculpſit PLVS VLTRA. Aſiam quoque non Græcanica vanitate, ſed Germanica veritate, malignantis naturæ abiecta negatione, hoc oraculo poſteris præſagiuit. Cuius rei certum euentum ipſius vtriuſq; ſexus filij, & nepotes per Indiæ Orientalis, & finitimas Auſtralis Oceani vaſtiſſimas Inſulas, ad extremas vſque Sinas longè, latèq; dominantes comprobarunt. Aquilam etiam bicipitem, Vrbis inſignia gremio geſtantem, vtrique columnæ interſiſtere iuſſit, altius myſterium Orbi obijciens; non ſolum, ſcilicet, imperialem hanc Iouis alitem quaternis ſuis oculis quatuor mundi plagis inuigilaturam, ſed cùm eas Hiſpani magna patientia, & longanimi labore ſuis armis acquirerent, facturos etiam, vt, fixo in iuſtitiæ ſolem Aquilino intuitu, cælum ipſum expugnarent, ac veluti victoriæ trophæum, adeptiq; ſupra Solem Regni tributum copioſiſſima diuinæ gratiæ fluenta in populos ſibi ſubditos conſtantiſſima ſua fide, & pietate ſemper Catholica deriuarent, populumq; infinitum, priùs orco addictum, tanquam deductas Colonias in cœlum ipſum tranſplantarent: dum Indos Aſianos in Oriente, Indos Americanos in Occidente, Mauros Affricanos in Auſtro, Hæreticos Europæos in Septentrione, eodem ſimul tempore à Gentiliſmo, Iudaiſmo, Mahometaniſmo, Lutheraniſmo, Caluiniſmo, cæteriſq; veræ religionis, & cœleſtis Regni obſtaculis ad Catholicam Chriſti fidem fortiter, ſuauiterq; conuerterent, & in filiorum Dei hæreditate collocarent. Ergo huic Orbi, in quo cœlum ſolo ſaloq; copulatum eſt, noui poli quærendi erant, ſupra quos firmiſſima fidei axis, & pulcherrimus morum, virtutumq; Zodiacus, cæteriq; bonorum operum ſtellata

varie-

varietate pulcherrimi Orbes verterentur; Sacerdotalis, videlicet, & Regia poteſtas: quorum altero cadente non currit axis, ac cœteræ rotæ confunduntur, & corruunt. Secundas partes, & Carolus ipſe Imperator, & ſucceſſores Catholici Reges, per fortiſſimos armorum, & prudentiſſimos Ciuilis Reipublicæ Miniſtros, perpetuò hactenùs exercuerunt, ac in Peruuia præſertim, de qua nobis nunc res eſt, per Franciſcum à Toleto Pro-Regē, qui nondum tunc ſedaſti noui Imperij turbas, ac tumultus omninò compeſcuit, eaſq; illius conſeruandi ſanciuit leges, vt Peruani, in ciuilibus, legislatoris titulum apud indigenas, & ſcriptores paſſim obtinuerit. Alteras, quæ ad ſacerdotium pertinent, exercebant primùm, Romani Pontificis authoritate, religioſorum ordinem egregij viri: quorum ex Ordine Minorum regularis obſeruantiæ, quos vocant, ſocij duodecim Martini Valentini ductoris in Mexicano Imperio, & Franciſcus Solanus, alijque in Peruano tam Apoſtolicos labores in confringendis idolis, & animabus Chriſto lucrandis exantlarunt, vt earum gentium Apoſtoli, vt erant, ſic honore nomineq; vulgò habeantur. Quanquam autem ea Cæſaris, & ſucceſſorum in Hiſpania Regum ſolicitudo fuerit, vt Eccleſiaſticæ Hierarchiæ inter neophitos ſtabiliendæ, Romanorum Pontificum inſtitutionibus, Epiſcopi etiam, & Archiepiſcopi prouincijs, populiſq; præficerentur. Verùm tamèn his etiam inter turbas, & tumultus bellicos minus potentibus, Cleri ſæcularis ordo, & neophitorum exacta diſciplina apud Peruanos non ſatis ordinata fuerunt, vel ſacri Canones plenum effectum conſecuti ſunt, vſque dum Deus ſuſcitauit virum, quem elegit, vt vtrumq; ſumma ſui laude, & Cleri, Populiq; Peruani vtilitate perfectiſſimè præſtaret. Is erat TORIBIVS ALPHONSVS MOGROVEJVS gente Hiſpanus, nobili domo natus, ſapientia, & pietate in Deum, atq; homines conſpicuus, officio apud Granatenſes diuinæ fidei Quæſitor, dignitate in tota auſtrali America Metropolita. Vbi ſacerdotio ſuo ſic fun-

ctus

ctus est, vt non solùm insigni vitæ sanctimonia seipsum exhibuerit exemplum bonorum operum, cœlestibus etiã prodigijs, eisq; virtutum insignijs præfulserit, vt heroicum in his gradum attigisse, Apostolicæ sedis publico iudicio iam declaratum sit, & inter cœlites excelsum locum, tanquam Peruanæ in cœlis Coloniæ Principem obtinuisse mox declarandum non inani spe præstolemur: sed & propagandæ, tuendæq; Catholicæ fidei, moresq, in Clero pariter, & populo formandi eiusmodi Canones constituerit, vt antiquo iuri, & œcumenicis Tridentinæ Synodi decretis vbiq; insistens Ecclesiastici regiminis exemplum, normamq; posteris facto pariter, scriptoq; reliquerit. Synodales eius Constitutiones, aliaque monumenta quibus id effecit, hoc volumine complexi sumus, vt persistere firmiùs, & latiùs prapagari, pluribusq, prodesse possint. Verùm vt Vegetius ad Valentinianum Augustum testatur, & laudat, cum non solum *antiquis temporibus mos fuit bonarum artium studia mandare literis,* sed etiam *in libros redacta offerre Principibus*. Mos tam antiquus vt cum humanis libris (diuinos non miscemus) natus fuerit, quorum inter primos fuit Sanchoniathonis historia Phœniciæ, quam ille Abibalo Berytio Regi vel ante, vel non post Illij excidium inscripsit: mos tam religiosè semper seruatus, vt vix vllum veterem, nouumuè reperias librum publico editum, in quo vel Deorum quispiam, vel Mecænatum non aduocetur. Trahit autem sua quemq; voluptas, & adeò quot capita, tot in hac re sunt sensus, vt quemadmodum scribendi libros nunquam erit finis, sic dedicandi fines numerando nunquam reperias finem. At inter omnes ij mihi felicissimè scopum attingere videntur, qui libros suos illis offerunt, vel Principibus, vel priuatis, qui operi, authoriq; natura, arte, fortuna, statu, dignitate, virtute cognati sunt, & excelso simul, sinceroq, animo patrocinantur. Tales enim omnium optimè rectum iudicium de arte ferre possunt, in quo eius felicitatem constituit Quintilianus: nec bonam causam

semel

semel susceptam amans boni candor animi, vel eiusdem celsitudo, honoris etiam sui diligens pati facilè patientur; præsertim cum imaginem sui, & quasi se alteros, ea qua diximus cognatione, in libro sibi commendato, vel eius authore conspexerint. Igitur, Eminentissime Princeps, cùm ego hæc omnia in persona vestra coniuncta reperiã, non erat cur diù deliberarem, vt regiminis Ecclesiæ Limensis artem à TORIBIO ALPHONSO MOGROVEJO literis mandatam, & cura mea, etsi alterius opera, & elucubratione in librum redactam vni Tibi Principi offerrem, vel etiam propter Vegetij rationem, *quia neque rectè aliquid inchoatur, nisi post Deum fauerit Princeps: neq; quenquam magis decet, vel meliora scire, quàm Principem, cuius doctrina omnibus potest prodesse subiectis*. Sed vt cuncta percenseam, atq; Eminentiam vestram cum Toribio Archiepiscopo conferam, multas inuenio venas cognationis. Ille Hispanus materni partus necessitate fuit: Tu voluntate, & ardenti affectu, præstitis ex animo obsequijs, acceptis, eo grato, honoribus. Illi nobilitatis ab origine testimonium Scriptores adhibent: Tibi, omni etiam Tabellione, sine comparatione maior, Leopoldus Imperator. Ille sapientia, & pietate illustris: Tu in ea Schola educatus es, & docuisti, quæ literarias disciplinas cum singulari pietate maritare profitetur, & præstat. Ille his virtutibus notus Catholicæ fidei Inquisitor apud Granatenses in Bethica constitutus est: Tu Generalis, vt vocant, seu supremus in supremo illo Tribunali per Hispanias omnes Iudex extitisti. Ille Limanus in Peruuia: Tu Edessenus in Mesopotamia Archiepiscopus: vterq; Catholicis Hispaniæ Regibus à concilijs. Ille nunc in cœlis, vt opinamur: Tu in terris, vt conspicimus, purpuratus Ecclesiæ Princeps. Et si pandectas ipsas Toribianarum legum considerem, eas Vegetij ratio tuas faciet; *quoniam non quenquam decet magis, vel meliora scire*, quæ ad Ecclesiasticum Regimen, vel fidei, morumq; conseruationem pertinent, *quàm* Purpuratum Ecclesiæ *Principem* Cardinalem, *cuius*

doctrina omnibus potest prodesse subiectis. Si Carolum V. Regem, cuius auspicijs, & armis Peruuia Christo parta est, Germanicum Cæsarem, & Austriacum contemplabor; Tu eo vinculo illius Ecclesiæ progressibus ligatus es Germanus, Austriacus. Denique si Philippum eius filium, prudentiæ encomio singularem, cuius fauore post Deum hæc ipsa Peruuiæ Concilia celebrata sunt, eorumq; præcipuum ab Apostolica Sede approbatum. Si eiusdem deinceps, atq; hodie successores Reges, cùm sine illorum fauore nec Toribij Mogroueji acta, neque, quem ego postulo, personæ honor promoueri inchoatum est, nec rectè inchoaretur; sic nec decet nisi Te fauente in Vrbe prosequi, qui eorumdem Regum legatione in eadem Vrbe fungeris. Accipe igitur, Eminentissime Princeps, ex me donum non meum, sed tot, tantisq; titulis Tibi propriũ; atque, qua polles sapientia, & authoritate, pro muneris tui ratione promoue, quod Catholici Reges, pro quibus Orator intercedis, ardentibus votis à Sanctissimo Domino N. Clem. X. Christi Vicario petunt, & peroptant, vt Venerabilem Seruum Dei Toribium Alphonsum Mogrouejum signis, & virtutibus clarum in terris honorari iubeat, quem, vt piè credimus, Deus ipse glorificauit in cælis: negotium animi tui celsitudine, Germanico candore, & sacra Purpura dignum. Romæ Kalend. Februarij 1673.

Eminentiæ Vestræ

Humillimus Cliens

Ioan. Franciscus de Valledolid Ecclesiæ Metropolit. Limen. Canonicus, & Toribij Archiepiscopi ad Rom. Pont. apotheoseos postulator.

IN-

INTERPRES LECTORI SALVTEM.

ILLI imprimis, cui nihil ex me placet præter Annales Minorum. Hos, inquit, à te expectamus, cur te distrahis rebus alienis? nihil interim profert dignum Annalibus, sed ex Annalistæ cerebro, tanquam ex Apollinis tripode, exigit historiam: quasi Platonico iure existimans, vt reliquas scientias, ita etiam rerum ante sæcula gestarum notitiam nobiscum esse congenitam; felibus etiam pisces appositi placent, sed vnguem aquis intingere molestum est. Omnibus placent libri pulcherrimis typis expressi, & eleganter compacti; sed monumentum aliquod irrefragabile, etiam suarum rerum, vt porrigant, hoc opus hic labor est. Encomia suæ gentis publici scriptoris fidei periculo comparare volunt. At res pondere suo digna, & certa veritate constans, suisq; regulis in litteras relata historia est. Nec licet à rerum nuda possibilitate per logicas consecutiones incerta facta certò affirmare; nam & legis professor sine lege loqui erubescit. Vel si cuncta in promptu forent, cur non liceat prolixo studio, tanquam scenæ interludium aliquod immiscere? Rogauit me vir non mihi tantùm, sed multis in Vrbe reuerendus, vt Toribij Alphonsi Mogroueji Limensis Archiepiscopi digna monumenta prelo pararem, obsequendum amico tantispèr fuit, & illius clarissimi Antistitis & Serui Dei promouendus honor, per quem præmium in cælo mihi parandum ambigere non potui. Multorum etiam publicæ vtilitati per occasionem seruiendum, oportuit hæc facere, & illa non omittere. Accessit etiam superiorum assensus, satis erat. Nunc verò, vt reliquis meum in hoc opere studium exponam, vnicum Concilium Prouinciale Limanum anni 1583. latinum accepi, peculiari libello typis Madritensibus excusum. Et in hoc nihil immutaui, præterquàm quòd aliqua eius parerga, hispanico idiomate adiuncta, latina reddiderim; quo à pluribus perciperetur, quanta eius authoritas, & quam solemnis per Sedem Apostolicam approbatio, quamq; necessaria, Philippi Regis edicto, eiusdem executio fuerit. Priùs autem partim ante Canones ipsius Concilij, partìm post collocata, omnia in finem reieci, eo ordine, ac dispositione, absq; sensus, vel sententiæ differentia, quæ mihi videbantur ipsarum rerum naturæ magis conuenire. Hoc ipsum tamèn Prouinciale Concilium, vt alia, prout rerum necessaria coniunctio, vel obscuritas, dubitandi ratio, vel amplior elucidatio, vel etiam comprobatio requirebat, Scholijs passim intertexui, & Notis in fine illustraui, additis opportuno loco rescriptis sacræ Congregationis Interpretum Concilij Tridentini, ad multa dubia Toribij Archiepiscopi, quæ etiam latina nobis oblata fuerunt: nam eadem alijs quoq; profutura censebamus, & multis per Toribium secundum ea decretis declarandis necessaria. Cætera omnia Hispanico stilo scripta accepimus; sed ne quisquam de eorum textu dubitet, iuridicis documentis, seu processibus, vt vocant, ad Toribij Archiepiscopi beatificationem, & Canonizationem, Apostolicæ Sedis authoritate confectis inserta, & Apostolicorũ Iudicũ, Tabellionũq; fide & nominibus firmata, deinde in Congregatione Rituũ Romæ discussa sunt, neq;

quidpiam in eis reperiri potuit, quo minus ad vlteriora in Beatificationis causa progrederetur. Consultorum censuras cum huius sententiæ decretis mox dabimus. In latinæ versionis forma nihil elaboratum est: rati enim omninò sumus Hispanicã dialectum vtiliorem fore plerisq; Presbyteris Indiarũ, quibus hæc monumenta vsui maximè futura sunt, quibusq; si profuerint, sat magnũ id operæ nostræ pretium fore censemus. His enim reipsa prodesse magis, quàm alijs dictione placere volumus, qui hæc Indiana parum sui interesse fortassis dicturi sint; quanquã arbitremur omnibus prodesse posse non exemplo tantum, sed etiam documento. Vltimis duabus Synodis capitulorum titulos apposuimus, quos Hispanicum exemplar, ideò fortè, non habuit, quia capita ipsa tituli, seu capitũ notæ potiùs esse videntur, quam decreta Synodalia cæterorum more conscripsa, vt aliorum formæ magis responderent. In Scholijs, & Notis, quæ arbitratu nostro addidimus, si quid boni sit, id gratulamur vsuro, si quid desit, veniam poscimus, & à bonis, doctisq; viris corrigi, doceriq; cupimus, tantumq; rogamus, ne typographorum mendas nobis attribuant. Titulum, quem libro dedimus Limæ limatæ *ipsa frons operis illicò declarat. Nam Prouinciam Limanã, non quæ hodie est, sed quæ tunc fuit vniuersum Imperiũ, Toribij Archiepiscopi monumentis hic productis, multa rubigine, scoriaq; elimatam fuisse, multi affirmant, nemo negat, & res ipsa loquitur. Vt historicum apparatum præfixissem, id fecit, quòd experientia nos doceat, & ratio dictet, extraneos homines vbi primùm aspiciunt hunc titulũ CONCILIVM LIMANVM, illicò interrogaturos, quid rerum hæc Lima sit? vbi terrarum iaceat? qualis ibi rerum conditio? quis Ecclesiastici Ordinis, ac ciuilis Reipubl. status? Imo ipsam Sedem Apostolicam ea scire velle, priusquàm Episcopũ alicubi constituat, vel ex forma examinis in loco ipso subeundi, adq; Roman. Pont. mittendi manifestum est, vt inferius decreto tertio Concilij tertij Prouincialis pag. 189. Quemadmodum ergo prudentia requirit, vt ad operandum rectè ista percipiantur, sic ad cognoscendum integrè non minùs ea scire necessarium fuit. His ergo, non vt plenè planè satisfaceremus, sed lumen aliquod rebus allaturi historiolam illam, qua potuimus breuitate, & rerum contractione præmisimus. Sed vt Pontifex Romanus ad constituendum Antistitem solius loci conditionis notitia contentus non est, nisi etiam personæ merita ritè probata innotescant, sic nec operis cuiusuis lectori satisfactum erit, nisi sciat ex quali authore, tanquam fonte prodierit: tunc enim scientia integra est, quando per omnes rerum causas generatur. Hinc decretum etiã fuit, vt eidem apparatui assueretur breuiarium aliquod vitæ, & virtutum Venerab. Serui Dei D. Toribij Alphonsi Mogrouesi, sequentium monumentorum authoris; sed festinatio cætera publicandi id iterum prohibuit. Vti ergo Lector curiosus interim poterit ea breuissima notitia, quam cap. 10. Apparatus tradidimus, eosque legat, si placet, quatuor authores, Latinos, Hispanos, Italos quos in Notis ad Concilium primum Prouinciale de Toribij persona loquentes laudauimus. Ex quibus fortè etiam à nobis accipiet suo tempore Monotessaron, vt speramus breue, sed clarum. Totum deniq; S. R. E. censuræ, & correctioni pro obedientiæ nostræ debito, ac deuotione subijcimus. In Collegio Romano S. Isidori Fratrum Hibernorum Strictioris Obseruantiæ S. Francisci, quarto Nonas Februarij 1673.*

Fr. Franciscus Haroldus.

Censuræ

Censuræ S. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Ecclesiasticis Ritibus Præfectorum de Monumentis D. Toribij Archiepiscopi Limensis hoc volumine comprehensis.

HAec monumenta censuræ S. Congregationis per acta publica bina, seu duos processus Limanos, Apostolica authoritate compactos, bis exhibita fuerunt. In primo processu inchoato anno 1661. die duodecima Ianuarij, & absoluto anno 1664. die 21. Nouembris: Concilia ipsa, vel Synodi non nisi summariè per Actionum, & capitum titulos exhibita fuerunt, cum integra copia priuilegiorum, eo modo, & forma, quibus per decretum Concilij Prouincialis anni 1583. ad calcem Catechismi apponi iussa fuerunt, vt à nobis cum eodem decreto apposita sunt, & integris etiam exemplaribus maioris, & minoris Catechismi, & annexarum exhortationum, à nobis etiam inde fidelitèr translatis. Proinde non integra Consultorum S. Congregationis censura, vel ipsius Congregationis decretum de omnibus monumentis edi poterant. Iusso proindè, vt omnia integra, & extensa exhiberentur: Catechismus iam antè exhibitus cum suis Appendicibus, in secundo processu ommissus fuit, atq; adeò nec in secundis censuris eius mentio habetur, ac propterea necessarium nobis visum est, ne quid non discussum, probatumvè videretur, tam priores, quam posteriores censuras, & S. Congregationis decreta desuper edita hic apponere.

Censuræ Monumentorum prioris Processus.

PErlegi attentè, & obseruaui accuratè, de mandato Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini Cardinalis Chisij, Codices compulsoriales variorum Scriptorum pertinentium ad venerabilem Seruum Dei Toribium Alphonsum de Mogrouejo, Archiepiscopum Limensem, ac præsertim Concilium Prouinciale Limense, eodem Seruo Dei moderante, celebratum, cum adiunctis Catechismo, tùm fusiori, tùm breuiori, alijsq; Pastoralibus pijs Instructionibus, nec non conuocatorias, ac intimatorias exequutionis Synodorum Diœcesanarum, quæ ab eodem Seruo Dei celebratæ assiduè fuêre, & Elenchos capitum, in quæ vnaquæq; Synodus distributa fuit, simul cum epigraphi singulorum capitum, continente plerumq; summam subiectorum decretorum.

Quibus omnibus consideratis, indico, nihil in eis reperiri sanæ doctrinæ, aut probis, ac sanctis moribus, aut sacris vniuersalibus Canonibus, & sensui, ac ritibus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ vlla ex parte contrarium: imò in omnibus, ac singulis eminere zelum verè Apostolicum Serui Dei coniunctum cum eximia sapientia, ac prudentia, charitate erga Deum, & proximum, atq; iustitia. Et licet hoc perspiciatur distinctiùs in prædicto Concilio Prouinciali, atque in annexis spiritualibus documentis, vtporè exhibitis per extensum, idè nihilominus translucet haud obscurè in prænominatis quoque Synodis Diœcesanis non exhibitis per extensum, nempè tituli singulorum capitum, qui exhibentur distinctè, manifestant clarè eas Synodos non modò eundem prorsus respexisse scopum gloriæ Dei, & vtilitatis proximorum, qui propositus fuit Concilio Prouinciali, sed eodem etiam spiritu, zelo, ac rectitudine actum in vtrisq; fuisse, atq; Synodos inhæsisse vsque adeò vestigijs Concilij Prouincialis, vt solam illi superaddant maiorem quandam claritatem per descensum ad magis particularia iam ante com-

compræhensa implicitè sub vniuersalioribus illis decretis,ac documentis. Vnde exhibitio Synodorum per extensum, vltra præindicatum syllabum capitum omnium, ac singulorum titulorum, necessaria, nequaquam est, vt pro certo habeatur nihil in eis contineri, quod laudabile, ac salurare non sit,atq; confouendæ, ac promouendæ, perficiendæq; nascenti illi Ecclesiæ peropportunum. Animaduerti præterea obseruationes, & correctiones à sacra Congregatione Concilij Tridentini conceptas, & transmissas circa prædictum Concilium Prouinciale, fuisse tantummodò perfectiuas eiusdem, non autem reprobatiuas cuiusquam quoad substantiam erroris in doctrina, aut moribus. Ita iudico sub censura, & correctione DD. meorum Cardinalium, & cum humili, vti par est, animi dimissione erga eosdem.

Martinus de Esparza Societatis Iesu.

DE mandato Eminentissimi, & Reuerendissimi D.D. mei Cardinalis Chisij vidi, & accuratè perlegi Concilium Prouinciale Venerabilis Serui Dei Toribij Alphonsi Mogrouejí Archiepiscopi Limani. Itemq. librum in folio paginarum n. 95. in quo continentur aliquot opera eiusdem Serui Dei, præsertim Catechismus pro Indorum instructione, & capitula Synodorum ab eodem habitarum in suo Archiepiscopatu; in quibus non solùm nullam doctrinam inueni nouam, & peregrinam, atq; à communi sensu Ecclesiæ, & consuetudine alienam: Nihil contra fidem, & bonos mores: sed omnia potiùs pietatem redolentia, & Apostolicum zelum, omnia ad ædificationem, ad fidei incrementum, & Ecclesiasticæ disciplinæ conseruationem. Neque obstant aliquot correctiones, siue animaduersiones sacræ Congregationis Concilij ad prædictum Concilium Prouinciale; quia in illis sacra Congregatio vel pœnas transgressoribus impositas moderatur, vel minutiora quædam notat abundantiori cautela, quæ nemini vel attentissimo extra Curiam Romanam in mentem venire solent: Nihilq; prorsus attingunt, quod eiusdem Concilij integritati in fide,& moribus officiant. In fidem hæc propria manu scripsi, & subscripsi in Monasterio S. Bernardi ad Thermas, die vltima Augusti 1666.

Nunc Cardinalis.

D. Ioannes Bona sacrorum Rituum Congreg. Consultor.

POst hæc, referente Eminentissimo Domino Cardinale Chisio, *in sacra Rituum Cangregatione habita die* 18. *Septembris proximè præteriti, sic etiã annuente Sanctissimo, die* 21. *sequentis resolutum fuit, deducta ex scriptis à Venerabili Seruo Dei Toribio Alphonso Mogrouejo Archiepiscopo Limano, in nouissimo processu remissoriali, & compulsoriali, nihil continere, quod valeat impedire progressum causæ ad vlteriora: esse tamen ante illius expeditionem integrè deferenda ad hanc sacram Congregationem, vt ab ea reuideantur omnes Synodi Limanæ; nec non alia Concilia Prouincialia, si quæ sint ab eo celebrata post primum anni* 1583. *iam delatum, & approbatum*, vt ijsdem verbis refert Eminentissimus D.Cardinalis Ginettus eiusdem Congregationis Præfectus in litteris Romæ die 27. Nouembris 1666. ad Archiepiscopum Limanum scriptis, per quas eiusdem S. Congregationis ordinaria authoritate, annuente etiam Sanctissimo, eidem Archiepiscopo committitur,vt omnes, & singulas Synodos, & Concilia prædicta clausa, & ipsius, assistentiumq; Iudicum sigillis munita ad ipsam S.Congregationem transmitti curaret.

Virtu-

Virtute igitur huius decreti, & commissionis nouus processus Limæ inchoatus est die Veneris 18. mensis Ianuarij 1669. coram eodem Archiepiscopo, & alijs Iudicibus illi cum potestate assistentibus, & absolutus die 13. Maij eiusdem anni 1669. in quo reliqua omnia, præter Concilium Prouinciale anni 1583. & Catechismum vtrumque cum suis Appendicibus iam ante visa, & approbata, de verbo ad verbum descripta fuerunt, & legali forma iuxta litteras commissionis ad sacram Congregationem transmissa. Quæ cum Consultoribus commissa fuerunt, & in eadem Congregatione relata, sequentes censuræ, & decretum exierunt.

Censuræ monumentorum posterioris processus.

Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini.

DE mandato Eminentissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Chisij, perlegi, & attentè consideraui Synodos Diœcesanas, Concilia Prouincialia, & institutiones consuetudinales Ven. Serui Dei Toribij Alphonsi de Mogrouejo, nilq; in eis reperi sanæ doctrinæ, sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, aut sensui Ecclesiæ Catholicæ vlla ex parte contrarium. Quin imò omnia in eis contenta videntur mihi piè, iustè, sanctissimè constituta, & valdè idonea ad fidem Catholicam conseruandam, & propagandam, nec non ad mores laudabiliter reformãdos, ac conformandos, iuxta normam sanctæ Matris Ecclesiæ, atq; inter alia optimè inibi prouideri, cum sancto zelo, immunitati Ecclesiasticæ. Ita iudico sub correctione Eminentissimorum Cardinalium, Dominorum meorum.

Martinus de Esparza Societatis Iesu, sacra Rituum Congregationis Consultor.

Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini.

DE mandato Eminentissimi, & Reuerendissimi D.D. Cardinalis Chisij accuratè perlegi Synodos Diœcesanas, & Concilia Prouincialia Ven. Serui Dei Toribij Alphonsi Mogrouejì Archiepiscopi Limensis, nec non institutiones, quas vocant consuetudines eiusdem Ecclesiæ, ab ipso editas, & nihil in ijs deprehendi ab Orthodoxa fide, sacrisq; Canonibus dissonum, sed omnia pietatem redolentia, atq; Apostolicum zelum: immo verò ad Catholicæ fidei incrementum, & Ecclesiasticæ disciplinæ conseruationem perutilia. Ita censeo sub correctione Eminentissimorum DD. Cardinalium.

Fr. Iulius Maria de Blanchis Ord. Prædicatorum, SS. Rituum Congregationis Consultor.

LIMANA.

Beatificationis, & Canonizationis Serui Dei Toribij Alphonsi Mogrouejì Archiepiscopi Limani.

COmmissa per sac. Rituum Congregationem Eminentissimo D. Cardinali Chisio Ponenti reuisione Conciliorum Synodalium, Prouincialium, & consuetudinum Ecclesiæ Limanæ, editorum à præfato seruo Dei Toribio Alphonso Mogrouejo Archiepiscopo Limano, eadem sac. Congregatio audita relatione ab

eodem

eodem Eminentiſſimo D. Cardinali Chiſio facta, cenſuit ad vlteriora in cauſa poſſe procedi, ſi Sanctiſsimo viſum fuerit. Hac die 13. Iunij 1671. Et facta de prædictis Sanctiſsimo relatione per me Secretarium, Sanctitas Sua annuit die 20. Iunij 1671.

Card. Antonius Barberinus Epiſc. Præneſt.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secret.

Facultas Reuerendiſs. P. Miniſtri Generalis Ord. ad præſentem editionem.

RR. *Patres Fr. Patritius Tyrellus S. Theologiæ Lector, & Diffinitor Generalis, & Fr. Ioannes Garrido Lector iubilatus videant, & referant.*

Miniſter Generalis.

NOs infraſcripti ex commiſsione Reuerendiſsimi P. N. Fratris Franciſci Mariæ Rhini de Politio, totius noſtri Ordinis Miniſtri Generalis, accuratè legimus Apparatum hiſtoricum, & Notas R. P. Franciſci Haroldi ſacræ Theologiæ Lectoris Iubilati, & eiuſdem Ordinis Chronologi, in Concilia Prouincialia, Synodos Diœceſanas, aliaq; monumenta Venerabilis Serui Dei D. Toribij Alphonſi Mogroueji Archiepiſcopi Limenſis, inſcripta *Lima limata*: & teſtamur, nihil in illis noſtro iudicio, bonis moribus, aut Orthodoxiæ diſſonare. Imò aduertimus illa referta eſſe ſingulari eruditione, & ſolida doctrina: ac propterea, ſaluo meliori, cenſemus opus prelo planè dignum. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ die 8. Octobris 1672.

Fr. Patritius Tyrellus Definitor Gener. & Collegij S. Iſidori Guardianus.

Fr. Ioannes Garrido, & Melgar Lect. Iubilatus, &c.

Fr. Franciſcus Maria Rhini de Politio totius Ord. FF. Min. Seraphici P. N. S. Franciſci Miniſter Generalis, & Seruus.

VT opus, cui titulus, *Lima limata*, à Patre Fr. Franciſco Haroldo ſacræ Theologiæ Lectore Iubilato, & Ordinis noſtri Chronologo elaboratum, à Theologis, quibus illud examinandum commiſimus approbatum, typis mandetur, facultatem facimus, ſeruatis in reliquo ſeruandis, &c. Dat. Romæ in Conuentu noſtro Aracœlitano die 9. Octobris 1672.

Fr. Franciſcus Maria Rhini de Politio Miniſter Generalis.

Loco † Sigilli.

De mandato Suæ Reuerendiſs. Paternitatis.

Fr. Ioannes Garrido & Melgar Proſecretarius Generalis Ordinis, &c.

Appro-

Approbatio S. Palatij Apoſtolici.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. S. Palatij Apoſt.

I. de Angelis Archiepiſc. Vrb. Viceſg.

Pater Regens Tranſpontinæ videat, & referat.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

Relatio Adm. R. P. Fr. Ludouici Perez Ord. Carmelit. S. Theol. Profeſſoris emeriti, & in Studio Rom. apud Tranſpontinos Regentis.

EX commiſsione Reuerendiſsimi P. Magiſtri S. Pal. Apoſtolici, opus, cui titulus, *Lima limata*: ſiue Concilia Prouincialia, &c. legi, legeſq; in inſertis Synodis à Ven. Antiſtite Toribio Mogrouejo latas, zelum plenè Apoſtolicum huius eximij Præſulis planè indicare reperi. Quæ ab ipſo ſtabilita hoc in opere leguntur decreta, ceremoniæ, & regulæ authorem omnibus, & omni tempore omnia factum, palam indigitant. Ea omnia grauiori trutina diligenter ponderata plena inuenta ſunt, probata ſunt. Notationes ad præfatas Conſtitutiones, & regulas, cum hiſtorica præuia narratione per interpretem adhibitæ plenam hiſtoriæ notitiam, quam ad ſeueriora ſtudia laudabiliter adiunxit, editiſq. pridem operibus publicam fecit, conſtanter ſuadere videntur, abſque vllo, quod deprehenderim religionis, pietatiſvè decremento. Romæ in Cœnobio D. Mariæ Tranſpontinæ Ord. Carmelitarum xviij. Kalend. Februarij M. D C. L X X I I I.

Fr. Ludouicus Perez.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apoſt. Mag.

PROTESTATIO INTERPRETIS.

CVm Sanctiſs. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij, Anno 1625. in ſac. Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis decretum ediderit, idemq; confirmauerit die 5. Iulij, anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominũ, qui ſanctitate, ſeu martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcunq; beneficia, tanquam eorum interceſsionibus à Deo accepta continentes ſine recognitione, atq; approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſsimus die 5. Iunij anno 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonã, benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cũ proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes authorem. Huic decreto, eiuſq; confirmationi, & declarationi, obſeruantia,

††† & reue-

& tcuerentia qua par est insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid in hoc libro refero, accipere: aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur. ijs tantummodo exceptis, quos eadem sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Cathalogo adscripsit.

ERRATA.

P*Ag.v. col.2. lin.*18. Laĕtum, *lege* Laĕtum. *pag.vj. col.2. lin.* 25. maizyquæ, *lege* maizijq; *pag.vij. col.*1. *lin.*39. Pallæ, *lege* Paltæ. *pag. ix. col.2. lin.*3. salines, *lege* salinas. *pag xj. col.*1. *lin.*7. agueducti, *lege* aquæducti. *pag. xy. col.2. lin.*24. Clima, *lege* China. *pag.xxviij. col.*1. *lin.*9. Canonistarum, *lege* Canonissarum. *pag. xxj. col.2. lin.*16. dispositæ, *lege* disposita. *pag. xxij. col. 2. lin.*22. harum, *lege* horum. *pag. xxiij. col* 1. *lin.*17. verus, *lege* vetus. *pag. xxiij. col.2. lin.*11. ac, *lege* ad. *pag.*7. *col.*1. *lin.* 26. agritud, *lege* ægritud. *pag.*8. *col.*1. *lin.*10. saturem, *lege* salutem. *pag.*19. *col.*1. *lin.*1. cilio, *lege* Concilio. *pag.*27. *col.*1. *lin.*14. facta, *lege* facto. *pag.*29. *col.*2. *lin.*23. Angeticæ, *lege* Angelicæ. *pag.*31. *col.*1. *lin.*24. Eccletia, *lege* Ecclesiæ. *pag.*35. *col.*1. *lin.* 7. quærelas, *lege* quetelas, *&* *pag.*36. *col.*1. *lin.*2. idem. *pag.*42. *col.*2. *lin.*22. factum, *lege* tactu. *pag.*46. *lin.*6. inserta, *lege* inserio. *pag.*50. *col.*2. *lin.* 19. hac, *lege* hæc. *pag.*52. *col.*2. *lin.*12. dissimulenter, *lege* dissimulentur. *pag.*53. *lin.*14. Illustrissimum, *lege* Illustrissimorum. *pag.*54. *lin.*26. impesso, *lege* impresso. *ibid. lin.*31. Maiorciæ, *lege* Maioricæ. *pag.*57. *col.*1. *lin.*11. congrætum, *lege* congregatum, *&* *col.*2. *lin.*21. ex Pinello à nobis descripta, *lege*, à Pinello descripta. *ibid. lin.*30. historiæ, *lege* historicæ. *pag.*59. *col.*1. *lin.*13. cumq; *lege*, cumq; *pag.*60. *col.*1. *lin.*26. maior, *lege* maris. *pag.*61. *col.*1. *lin.*13. cuiusuè, *lege* cuiusq; *pag.*62. *col.*2. *lin.*6. congregato, *lege* congregatio. *pag.*66. *col.*2. *l.*35. pag. *adde* iij. *pag.*70. *col.*1. *lin.*14. suburbijs, *lege* suburbia. *&* *col.*2. *lin.*19. pesarum, *lege* pesorum. *pag.*74. *col.*2. *lin.*18. presentabitur, *lege* præsentabitur. *pag.*98. *col.*2. *lin.*21. acidia, *lege* acedia. *pag.*102. *col.*2. *lin.*21. fiius, *lege* filius. *pag.*113. *lin.*24. amno, *lege* anno. *pag.* 115. *col.*2 *lin.*14. cum, *lege* eam. *pag.*126. *col.*2. *lin.*3. quærela, *lege* querela. *pag.*157. *col.*2. *lin.*15. egredietur, *lege* egrediatur. *pag.*167. *col.*1. *lin.*25. vacabuntur, *lege* vocabuntur. *pag.*184. *col.*1. *lin.*21. ratere, *lege* latere. *pag* 206. *col.*2. *lin.*16. corruplelam, *lege* corruptelam. *pag.* 224. *col.*1. *lin.*13. indicauerit, *lege* iudicauerit. *pag.*262. *col.*2. *lin.*1. alfabet, *lege* alphabet. *pag.*286. *col.*1. *lin.*6. Hispaniarum, *lege* Hispanorum. *pag.*287. *col.*1. *lin.* 11. *&* 13. ieiunij, *lege* ieiuni. *pag.*288. *col.*2. *lin.*18. permittent, *lege* permittant. *pag.* 290. *col.*2. *lin.*9. Canonicus, *lege* Canonicos. *pag.*305. *col.*1. *lin.*3. actionibus, *lege* auctionibus. *pag.*308. *col.*1. *lin.*20. in præcedendi Synodo &c. *lege*, in præcedenti Synodo anno 1585. in oppido Yunguay celebrata, &c. *pag.*318. *col.*2. *lin.*6. cum, *lege* cùm. *pag.* 325. *col.*1. *lin.*36. curendumq; *lege* curandumq; *pag* 328. *col.*1. *lin.* 9. conspectum, *lege* conspectu. *pag.*341. *col.*2. *lin.*1. exrema, *lege* extrema. *pag.*349. *col.*2. *lin.*4. destinatum, *lege* destinatam. *pag.*364. *col.*2. *lin.*33. lanternam, *lege* laternam. *pag.*366. *col.*2. *lin.*21. reformationum, *lege* reformationem. *pag.*368. *col.*1. *lin.*51. ordinibus, *lege* ordinis.

Occurrent prætereà Lectori Italici aliqui idiotismi, vt o pro u, simplex pro dyphtongo, maiuscula, pro minuscula, & ex aduerso; cum malis interpunctionibus, similiaq; minuta, quæ ipsius discretioni, & beneuolentiæ corrigenda relinquimus, vt alia, si quæ fortè nostram diligentiam subterfugerint. Sed vide post Indicem in fine libri.

INDEX

INDEX CAPITVM
TOTIVS VOLVMINIS.

APPARATVS HISTORICVS.

De situ, detectione, partibus, & qualitatibus Indiæ Occidentalis, præsertim Peruuiæ, & Vrbis, ac Prouinciæ Limensis.

Concilium Prouinciale Limanum anni 1583.

ACTIO TERTIA.

Cap.22.

ACTIO QVARTA.

ACTIO

ACTIO QVINTA.

EDICTA GENERALIA
In Concilio edita. pag. 68.

Concilium Prouinciale Limanum secundum. 130.

Cap.12.

Regula consueta, seu institutiones consuetudinales Ecclesiæ Metropolitanæ Limensis per Toribium editæ. 138.

Cap.32.

Concilium Prouinciale Limanum tertium, anni 1601.

ACTIO PRIMA.

ACTIO SECVNDA.

SYNODVS I. DIOECESANA.

Cap.5.

SYNODVS II. DIOECESANA.

SYNODVS III. DIOECESANA.

INDEX

Cap.45.

SYNODVS IV. DIOECESANA.

CAPITVM.

SYNODVS V. DIOECESANA.

Cap.20.

SYNODVS VI. DIOECESANA.

SYNODVS VII. DIOECESANA.

Cap.5.

SYNODVS VIII. DIOECESANA.

Cap.7.

SYNODVS IX. DIOECESANA.

††††† Cap.46.

SYNODVS X. DIOECESANA:

APPARATVS HISTORICVS.

AD LIMAM LIMATAM.

De situ, detectione, partibus, & qualitatibus Indiæ Occidentalis, præsertim Peruuiæ, & Vrbis, ac Prouinciæ Limensis.

TORIBII Alphonsi Mogroueji, Archiepiscopi Limani, ac proindè totius tunc australis Americæ Metropolitæ studia, ad Indorum ab Idolis ad verum Deum conuersionem, & ad Ecclesiam in illo nouo Orbe, tanquam sponsam ornatam viro suo Christo præparandam, impensa, eiusque Canonicas sanctiones in lucem producturus, operæ pretium duxi, ipsius regionis notitiam, & Christiani atq; Ecclesiastici in Peruuia status initia, & progressus, vsque ad eum, in quo per Toribium relicta fuit, breuissimè prælibare, tùm ampliori satisfactioni, & voluptati Lectorum, tùm, vt Canones ipsi, & reliqua clariùs percipiantur.

Cap. I.

Totius Occidentalis Indiæ situs, & partitio.

AMericæ vniuersæ, quam nouū Mundum, & Occidentalem Indiam vocant, terram continentem natura ipsa in duos Orbes & Imperia amplissima diuisit: quorum alter Orbis Mexicanus, alter Peruuianus, à partibus eorum primò conquisitis, & nunc Hispanorum ibidem Imperij sedibus appellātur; sed longa terræ tenia, seu Isthmus Iucataniam, Hunduras, & Veraguam Prouincias longitudine sui à Septentrione in Austrum complectens, instar expansi numismatis, vtrumque coniungit: Quæ Isthmus Septentrionalem Oceanum nostrum, quæ Hispaniam, Africamq; spectat, à Mari Meridionali secernit, quod *Mar del Zur* nautæ, seu nauarchæ vocare cœperunt: Tametsi Hidrographorum tabulæ mare nostrum in Oriēte, & illud, quod Australe dicitur, in Occidente verissimè collocent; vnde forsitàn [a] *primi Nomenclatores* respexerunt cursum deductum ex Hispania, quæ magis in Septentrionē vergit, & alterum illud Mare in Occidente, cursu in Austrum inclinato vltra lineam æquinoctialem obliquè prospectat, vt nostrorum Annalium Ord. Minor. Tomo nono, nondum edito, fusiùs explicauimus.

Mexicanus Orbis ad Arctum rectè situs est, sed magis quam Peruuianus in Occidentē protēsus: Peruuianus ad Austrum, sed magis quā alter in Orientem vergit. Hi duo Orbes extensis prolixè in Orientem Brachijs, Peruuianus ad Pernambucum, seu promontorium S. Augustini, & Mexicanus ad Insulā Terræ nouæ, Hispaniā in amplexum prouocare videntur, & quidē cōplexi sunt in amplissimo sinu, vbi interius In- *America Septentrionalis.*

ſulæ, *Portus locuples*, vulgò *Puerto rico*, *Hiſpaniola*, *Camaica*, *Cuba*, & aliæ minores, quas *Chriſtophorus Columbus* anno Chriſti 1492. primus detexit. Deinde *Ferdinandus Curteſius* anno 1520. terram cõtinentem ad Arctum aggreſſus, non amplius quinque annorum ſpacio, occupata priùs Vrbe *Mexico*, totum illum Orbem cum iſthmo,quam diximus, à mari vſque ad mare, Caſtellanorum Regum Imperio ſubiugauit, præter partem maximè Septentrionalem, quam deinde, *noua Francia*, *noua Anglia*, *nouum Belgium*, aliæq; Prouinciæ cõtinentis, & Inſulæ plurimæ poſtmodum detectæ occupãt, & aliquas ibidem partes Europæis adhuc inhabitatas, vel,quæ deinceps ab ipſis Hiſpanis varijs occaſionibus conquiſitæ fuerunt, impoſitis nominibus, *noua Biſcaia*, *noua Mexicana*, alijſq; ſimilibus. Interea tamen alter Orbis Peruuianus, ſeu Auſtralis America, noſtris ferè intactus erat, præter *Braſiliam* Prouinciam in eius Orientali littore, (multo iam priùs à Luſitanis detectã dum anno 1500 Aluarus Capralis cũ octo Franciſcanis viam nauigationis ad Orientales Indias quæreret) Et ripas *Darienſis* fluuij,oraſq; ſinus *Vrabani*,vbi nunc Indiana Carthagena,omnia ad littora noſtri Orientalis, ſeu velint, Borealis, Oceani, in quibus Hiſpaniolæ Hiſpani, lentis tunc, ac debilibus initijs quidpiam tentabant.

Auſtralis America. Totus autem hic Orbis Auſtralis Americæ trigonus eſt, eiuſq; primus Angulus, in Septentrione, iſthmi extremitati, inter *Portum Beli*, in Mari noſtro Atlantico,& *Panamã* Vrbem, ad mare Meridionale, iungitur. Secundus angulus eſt promontorium S.Auguſtini ad *Pernambucum*,Orientem versùs porrectum. Tertius angulus in Auſtrum rectè clauditur freto Megallanico, & regione ignis,vulgò [b] *Tierra del fuego*, quæ non eſt continens cum reliqua Terra, ſed varijs inſulis, ſinubus, & Canalibus interſecta; eamq; à continenti ſeparat *Megallanicum fretũ*, quod ab Oceano noſtro Atlantico in Auſtrale pelagus, centum circiter leucarũ ſpacio currit,duobus vtrinq; ſinubus ſe mutuò contingentibus, & continuæ nauigationis commodo coëuntibus. Quidquid ab iſthmo cis æquatorem eſt, *Carthaginenſem* præfecturam, *Nouum Regnum Granatenſe*, *Venezuelam*, *Guianam*, & *Popoyanam* Prouincias inter Oceanum vtrumq; complectitur, quæ ad Peruuiam ſingulariùs dictam nihil pertinent. Reliqua pars tota à linea æquinoctiali in Arcto ad littora freti Magallanici in Auſtro, duobus mõtium ordinibus bipartitur, quorum elatiores altiſſimis iugis perpetuò conſtant, quæ *Andes* vocant.

Cis Andes ad Orientem,hoc eſt, ad noſtrum Oceanum Atlanticum à linea æquinoctiali, & *Amazonum fluuio* ad littora iacet primùm *Braſilia*, ſeu latè, ſeu ſtrictè ſumpto vocabulo: Nam dominiorum terminos hic diffinire, vel Caſtellanorum,Luſitanorumq; Regum confines certis & indubitatis limitibus diſterminare; nec animi noſtri, nec præſentis argumenti eſt, ſed ad ipſorum Geometros pertinet, & Regum quiſque nouit, quæ ſint eius. Sequitur deinde in Auſtrum Prouincia fluminis argenti, vulgò *Paraguay*, in varias deinde præfecturas,tam ciuiles,quam ſacras diſpoſita. *Deſcribitur.*

Ex

Ex altera verò parte Occidentali trans Andes est alius ordo montium perpetuo porrectū cum Andibus ipsis contendens, vbi montes arborum coma semper virent, & vallibus interfecantur, ad omnem humanum vsum fertilissimis. Deinde ad Australis Pelagi oram æqua planities omnium terræ nascentiū ferax, per quam panditur à freto Megallanico imprimis Regnum *Chilæ*, & inde continuo tractu vsq; ad æquatorem Regnum *Peruuiæ*, sic proprio nomine nuncupatum, in varias Prouincias, seu, vt vocant, valles diuisum, per spatium sexcentarum leucarum longitudinis, ab Austro in Arctum; latitudinis autē quinquaginta à mari ad Andium cacumina, præterquam paucis locis, & præsertim versus *Chachapoyarum* regiones, vbi paulo latius est.

Totus autem hic terræ tractus dotibus singularissimis celebratur, præsertim vallis Lima: Nam præter ingentem auri, & aliarum nobilium rerum copiam, quibus inde asportatis noster quoque Orbis locupletatur, alias habet planè peregrinas, & prorsus mirabiles, quas ex *Iosepho Acosta* breuiter descripsit *Ioānes Laëtus* cap. 1. Peruuiæ, in Americæ vtriusque descriptione, & nos iterum infra tangemus. Atque totum hoc vastum terræ spatium, præter Brasiliam iam dudum à Lusitanis possessam, & aliquas regiones tam maritimas, quam montanas nondum, vel detectas, vel saltem à Christianis non occupatas, in Catholicorum Castellæ Regum potestatem deuenit. Et quæ adhuc à Barbaris possidentur, Franciscanorum Fratrum diligentia, per reductiones, vt vocant, paulatim cicurantur, & Christo simul & Catholici Regis dominijs adiunguntur.

Cap. II.
Australis Americæ conquisitio per Hispanos.

IN extremā parte Australi illius isthmi, quam iam indicauimus, vbi angustissima est; ad littus nostri Septentrionalis Oceani; oppidū iacet, quod *Portum Beli* vocant, cui ad Australem Oceanum respondet Ciuitas *Panamà*, in qua & Sedes Episcopalis, & iuridicus conuentus est, quam Regiam Audientiam nominant, * *octodecim leucis, transuersam isthmum*, à Portu Beli distans, per quas Europæis ex Oriente nauigantibus in Peruuiam breuissima est via, & Panama iterum per Australe Pelagus nauigantes, ad portum Limanum appellant.

Itaque Septentrionali America, seu altero illo Orbe, quem Imperiū Mexicanum vocamus, per Ferdinādum Curtesium in Hispanorū Regum pacificam, quietamq; possessionem, & obedientiam redacto, Panamę degebāt *Franciscus Pizzarrus*, & *Didacus de Almagro*, inter præcipuos ciues veterani milites Hispani, rebus in bello gestis cōspicui, & opibus abundantes, & *Ferdinandus de Luque* Magistralis Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Panamensis. Atq; hi tres Peruuiani auri fama concitati societatem inierunt, & facultates suas stipulatis pactis contulerunt in expeditionem detegendæ, & si possent, occupandæ Peruuiæ, quo & sibi gloriam, & posteris opes, & Hispaniarum Regibus amplitudinem *Primi Peruuiæ domitores.*

imperij, & quod caput erat, mille miriades animarum Christo lucrifacerent.

Prima expeditio. Sola Senatus Regij Panamensis authoritate per Pizzarrum inchoata est expeditio, Almagro suppetias interdùm vltrò citròq; ferente, dū Luqueus, quæ oportebat domi disponeret. Annus tunc Christi fuit 1525. Nec prima nauigatione aliud lucrati sunt, quàm vt terram detegerent, & maris cursum magno suo labore, & periculis, cum facultatum diminutione, per integros tres annos didicissent, ad Prouinciam quæ vallis Tumbizina dicitur. Exploratore illic è naui misso, terræ diuitias, & aliquas eius qualitates, non sine euidenti diuinæ voluntatis indicio, & optati successus præsagio per miraculi speciem perceperunt, quod nos expressiùs in Annalibus enarramus.

Ab hac nauigatione, post trium annorum errores ac damna, Panamam redux Pizzarrus in Hispaniam illicò contendit, & exposito quod didicit, obtinuit Caroli V. Cæsaris diploma, quo illi subiugandæ, regundæq; Peruuiæ potestas tradita fuit, cum titulo Antelati, seu, vt vulgò loquuntur, ***Adelantado*** Regni, quod Hispani ***Perù*** vocant, & Capitanei generalis, & Gubernatoris terrarum Imperij Peruuiani, quas obtinere posset, nulla interim Almagri Luqueiue facta in diplomate mentione: quæ omissio ingentium turbarum, ac diuturni belli ciuilis Hispanorum in Peruuia deinde seminarium fuit.

Secunda expeditio. His honoribus & authoritate auctus Pizzarrus cum nobilis Hispanicæ iuuentutis manipulo, quos opum Peruuiæ fama cōciuerat, & quatuor germanis suis fratribus, prospero vento Hispali Panamā reuersus est. Tunc socij, præsertim Almagrus, tametsi neglectum sui digerere nunquam potuerit, amicorum tamen suasionibus, ne tanta spes perderetur, in pactis perstiterunt, & comparatis duabus nauibus, eisq; armis, cōmeatu, & viris quantum capere poterant instructis, Pizzarrum iterùm cum suis quatuor fratribus in Peruuiam dimiserunt. Atque ille per multos labores æquatorem superans, Maris æstu coactus, centum leucis antequam Tumbizium attingeret, facta descensione, naues Panamam remisit cum viginti quinque millibus ducatorum, & smaragdinis lapidibus multis, quæ in Prouincia *Coaquensi* ex bello & captorum Barbarorum litro conquisiuit; quibus & socios placaret, & maiori opum auiditate concieret, vt suppetias ipsi virorum armorumq; libentiùs mitterent.

Subsidia ex insulis. In Vallem Tumbez penetrans, inuenit alios Hispanos cum *Sebastiano Belalcazar*, cognomento *Moya*, & *Francesco Fernandez* Ducibus, tunc recenter ex insulis aduectis, quibus sibi adiunctis insulam ***Punam*** imprimis in Tumbizini sinus gremio occupauit, indeque in continentem reuersus Tumbizium ipsum Peruuianorum Regum Incarum delitium, & ingentium opum promptuarium, etsi propugnaculo & valido præsidio munitum obtinuit. Hinc, missis Panamam ad socios triginta millibus aureorum, & magno smaragdorum numero, ampliores militum armatorum copias accersiuit, ac duabus inde leucis Municipium condidit Hispanicarum nauium, & suppetia-

Colonia S. Michaëlis. tiarum receptaculum, cui S. Michaëlis nomen indidit, quòd festo diui Archangeli primum eius lapidem iecerit.

Mox illa regione composita, & relicto ad nouam Coloniam præsidio, *Caxamalcum* progressus, à Peruuiæ Rege *Atahualpa*, summo honore, &, vt apparebat, etiam amore susceptus est, tamquam Solis filius, & Incarum Regum consanguineus ad eos è Cœlo dilapsus, ea erat Barbarorum vana credulitas. *Atahualpa Peruuiani Regis superstitio.* Sed accedentem honoris exhibẽdi causa Regem, ac de insidijs suspectum Pizzarrus captiuum tenuit, *Capitur ipse.* & prætorianum eius exercitum triginta milliũ virorum inopinato aggressu, sexaginta tantum Hispanorum militum lacertis, nam plures tunc armatos non habuit, cum infinito spectatorum populo dispersit, ac deleuit; Regemq; captiuum, tametsi coacta in litrum, quantum aula perampla capere poterat, aurea suppellectili, tanquam insidias Hispanis molientem, & qui fratrem suum *Huexcarem* iniustè peremerit, præmissa quadam forma iudicij, publico supplicio plexit, *Baptizatur & plectitur.* sed petito prius acceptoq; Christiano Baptismate, vt fusiùs in annalibus nostris docemus.

Ergo Rege *Atahualpa* mẽse Martij anno Christi 1532. hac ratione sublato, *Pizzarrus* Regno potitus est. *Pizzarrus Regno potitur.* Et anno 2534. seu, vt variè volunt 1535. Vrbem *Limam* condere cœpit, *Lima conditur.* in festo trium Regum, vnde *Ciuitas Regum* passim appellatur. Decursu verò temporis accesserunt cæteræ Prouinciæ, sed non fine sanguine Christianorum, qui non tantùm cum Indis deinceps, sed inter se ipsos etiam orta ex *Almagri Pizzarriq;* simultate crudelissima bella per plurimos annos gesserunt, magno Hispanicæ prosperitatis, & Christianæ fidei propagationis obstaculo, donec demum *Franciscus à Toleto* Pro-Rex politicis legibus, ac *Toribius Alphonsus Mogrouejus* sacris sanctionibus absolutum turbatis rebus remedium attulere.

Cap. III.
Ager Limensis.

Iam diximus totius Peruuiæ terram trifariam esse, duos nimirũ ordines montium, quarum alterum *Andes*, alterum *Montana* vocant, ac prætereà planitiem: quarum partiũ singularissimas dotes *Iosephus Acosta* apud *Laetũ* his verbis describit: Hęc noui Orbis pars, quæ vulgò *Perù* dicitur, ob peregrinas & mirabiles cœli qualitates, *Eius qualitates.* inter omnes huius Orbis prouincias diligentiùs consideranda. Nam primò oram illius maritimam non nisi vnus ventus afflat, nec tamen is qui sub torrida Zona, vt plurimum alibi flare consueuit, sed illi è diametro contrarius, nempe Auster aut Affricus. Secundò: Cùm hic ventus natura sua tempestuosissimus, grauissimus, & insalubris alibi iudicetur, hic contrà amœnus, salubris & gratissimus accidit; adeò vt huic potissimùm debeatur, quòd ora maritima possit habitari, quæ per se feruidissima, & valetudini hominum noxia erat futura. Tertiò: Ad oram maris nunquam hic pluit, tonatue, nec grando aut nix vnquã decidit. Quartò: Exiguo à dicta ora interuallo, non tantum pluit, sed & ningit, & horrendum in modum tonat. Quintò: Quum duo montium

tium

tium ordines æquali penè vbiq; interuallo totam Peruuiam interſecēt, ad eandem prorſus poli altitudinē, vnus tamen arboribus totū veſtitus, maxima anni parte pluuias,& grauē æſtum perpetitur, alter verò penè nudus potius frigus tolerat, & æſtatem atque hyemem, pluuias atque ſerenitatem alternatim experitur.

Deſcribitur. Verùm,vt hoc cōmodius intelligatur,ſcire primùm oportet Peruuiā vniuerſam in tres veluti tramites eſſe diuiſam, longiſſimos quidem illos, ſed peranguſtos; *plana* nimirum, *Montana*,& *Andes*; Plana ſunt iuxta oram maris Auſtralis, ſiue Pacifici, Montana ſunt, colles, montes atq; valles; Andes denique vaſta atque altiſſima iuga. Plana communiter in latitudine decem occupant leucas, alibi plures, nonnuſquam & pauciores, Montana viginti, Andes totidem. Longitudo inter Arctum & Auſtrum,latitudo inter Ortum & Occaſum accipitur. Monſtri autem ſimile, in tam exiguo interuallo, & quinquaginta vt plurimum leucarū, inq; eadem diſtantia ab Aequatore & Polo tantam diuerſitatem reperiri, vt hic ferè continuò, illic nunquam pluat, tertia verò regione alternatim & pluat, & ſerenet: In planis nunquam pluit, licet interdū ros quidam cadat, (quem Barbari *Garuam*, Hiſpani *mollinam* vocant) qui nonnunquam in guttulas quaſdam reſoluitur, verum tam exigua copia, vt neque tectis, neque canalibus opus ſit, nam ædes hic tantum ſtorea quadam teguntur, cui paululum terræ ſuperinijcitur. In Andibus ferè continuò pluit, licet vno anno magis ſerenet quam altero. In Montanis autem quæ inter hæc duo extrema veluti media, iiſdem penè menſibus pluit, quibus in Hiſpania, à Septembri nimirum in Aprilem. reliquo tempore ſudum eſt cœlū, cùm nimirùm Sol longius ab ipſorum vertice recedit.

Porrò tam *Andes* quam *montana* hæc ſunt editiſſima iuga, quæ continenti & penè æquali inter ſe diſtātia ad mille leucas vt minimum exporriguntur. In montanis innumerabiles [a] *Vicuñarum greges* vagantur,animalia capris montenſibus velocitate ſimillima, necnon *Guanaci* & *Paci*, de quibus mox dicemus. In Andibus verò generantur *Simij* & [a] *Cercopitheci* quamplurimi & gratioſiſſimi: Itemque innumerabiles [b] *Pſittaci*, creſcitq; hic pretioſiſſima illa [b] *Coca*. Vbi autem montes ſe diducunt, quamplurimas aperiunt valles, quæ & opportuniſſimam & ſalubrem totius Peruuiæ habitationem ſubminiſtrant, & tritici, maizijque fertiliſſimæ habentur, vbi *Xauxa, Andaguaila, Yucay* & plures:quare etiam ſuperioribus ſæculis frequētiſſimæ fuerunt: Atq; hæc de cœlo ſoloq; in communi dicta ſunto,particularia ſuis quæq; locis proſequemur. Ita ex Acoſta laetus.

Animalia.
a Simiæ caudatæ.
b vulgò Papagallo.
Valles.

Tota ora maritima ſeu planities Peruuiæ in multas valles diſpertitur, quarum confines & qualitates deſcribit Laetus lib. 10. inter quas tamen vt ipſe loquitur, nihil intereſt, præter arenarum tumulos, & aridas petras, in quibus nulla animalia occurrunt, neque arbores,neque quidquam herbidi,ſed merum deſertum, ita vt hac iter facientes duces viarū gnaros ſequi ſit neceſſe. Limanam vallem, quam præcipuè hic inueſtigamus, ita deſcribit. *Planities.*

Lima

Vallis Limæ.

Lima vallis omnium quæ inde à *Tumbez* hanc planitiem occupant, longè maxima ac latissima est, quam Garcilassus etiam *Rimac* vocatam antiquitus scribit, mira narrant, qui hic diù habitarunt, de cœli bonitate, & Soli vbertate, atq; amœnitate. Temperiem enim aëris tantam esse, vt neque calor offendat, ne frigus sentiatur, aut vnquam foco sit opus, ne quidem infantibus primùm natis. Maximus æstus sentitur mensibus Decembris, Ianuarij, ac Februarij, & Martio, hæc vera ipsorum æstas. Dies autem ipsis sunt longissimi mense Ianuario, & quidem quatuordecim horarum, breuissimus vix infra duodecim horas. Mendieta perpetuum æquinoctium asserit, vno quadrante horæ plus minus. Metunt triticum mensibus Decembris, & Ianuarij, vuæ incipiunt formicari circa festum Natiuitatis, & maturantur mense Aprili, hoc enim mense vindemiam habent, à mense autem Maio ad exitum Septembris hiemem patiuntur, quo fit vt Cœlum plerumq; sit nubilum, & Sol interdum non videatur integro quatriduo, & ros quidam cadat instar nebulæ (*garuam* vocari supra diximus) qui licet vix puluerem humectet, facit tamen vt colliculi, qui passim planiciem occupant, plurimum graminis producant, quo armenta & pecora mirum in modum saginantur: Atq; hæc quidem tempestas longè iucundissima est, qua & oleæ, & aliæ arbores fructiferæ fructus suos maturant, [e] *Platani, Palla, Lucuma*, & aliæ domesticæ plantæ, iuxtà atq; aduenæ.

Huius nominis rationem habes cap. seq.

Reperiuntur hic grandes (vt author meus loquitur) *Alfalfares*, id est, Cāpi, in quibus nascitur herba quædam, vulgò alfalfa, crassa & procera, quà equi & iumenta nutriuntur (nā paleæ nullus hic est vsus ad pabulū) ex quibus plurimi patritij faciūt sūmum quæstum. Omnes Campi huius vallis rigantur è tribus amnibus, spatio sex leucarum, interfecanturq; plurimis pulcherrimis fossis; ita vt hic plurima visantur prædia rustica, & amœnissimæ villæ, horti & pomaria. In toto denique agro suburbano nulli reperiuntur angues, aliàve venenosa animantia, tantummodo plures hic sūt culices, de quibus mox inferiùs. In hac valle plurimæ nascuntur cannæ sacchari, ita vt saccharum hìc admodū vili veneat, nimirum aroba Hispanica viginti quatuor aut viginti octo regalibus. Magna quoque hic copia ficuum, & vuarum passarum; deniq; omnis annona hic longè vilissima: nam [d] *aroba* carnis Bubulæ obæsæ & optimæ venit sex regalibus: In mōtanis autem bos maximus quatuor pezis, siue ducatis; Ouis, Limæ quidem decem, in montanis quatuor regalibus, & alia ad eundem modū; Pisces hic quoque viles & varij generis, longèq; optimi, maximè ordinarij sunt, quos Hispani vocant, [e] *Coruinas, Chitas, Lingulaca* siue soleæ, rayæ, *anchouæ, boniti*, & crustacei varij. Triticum in vrbe admodum vile, venit enim [f] *Hanega*, id est, modius decem aut duodecim regalibus, Mayzij idem penè est pretium.

Angues nulli.

Rerum copia.

Pisces.

Ad hæc ex recentiori præcedentis nimirum anni 1670. authore, & rerum oculato teste. Mag. *Cyprian. de Herrera* Ord. Eremitarum S. Augustini Limæ nato, & ad prouectam

æta-

ætatem ibidem viuente, atq; in Academia publica S. Theologiæ professore aliqua decerpenda duximus, verborum formis nonnihil necessariò mutatis. Is ergo in vita Toribij nostri cap. 9. de Lima loquens: locum, inquit, ad omnem viuendi vsũ natura commodum nacta est, Oceano ad pauca passuum millia recedẽs, marinis infortunijs tam procùl, quã vtilitatibus proxima. Abest ab eis duas tantùm leucas, vbi portus *Callao*, qui lambitur mari pacifico, totiusq; Oceani pelago maiori, à tempestatibus tutus, opportunus commercio, & ad commeatum facilis. Vallem ea parte qua Orientem respicit, montes coërcent, amœnam vbique, & omni genere fructuum abundantem, qui laxas agrorum planicies relinquit, vbi pleno cornu-copiæ ingentes effundunt opes plurimas, & varias, frumentum, vinum, oleum, fruges ad incolarum non tantum vsus, sed & mercimonia, & negociationes: nam plerumq; duæ colliguntur eodẽ anno messes, quia campi fertiles, & saturæ idonei. Aëris mira temperies inter frigidum & calidum, nec hyeme alget, nec ardet æstate, sed propior calori, quam frigori; venti sunt certi & constantes ab Austro, alibi nociui, sed hic salubres, & benigni, & ad refrigeranda corpora, æstumq; leuandum commodissimi, imbre, niue, tonitru, fulgure, & procellis caret, sed minutissimis solum stillicidijs irróratur; ager tamen semper virescens deriuatis irrigatur fluminibus, quorum toto Regno plurima & maxima dilabuntur. Æstas non molesta durat ab initio Ianuarij ad integrum Martij mensem. Totius anni temperies nec frigida, nec calida: quia licet per æstatem regio videatur ardere Sole, in vmbra tamen domus vel arboris, & noctu frigus captat opacum, vnde mira eius natura, & placida varietas. Mediæ torridæ Zonæ rectè subiacet, vbi genus hominum degere aut viuere posse, præ nimietate caloris, negauit antiquitas: Et verè sic esset, si nimia montium altitudo, & Andiũ in regione media continua nix ardorem non temperaret, & plurimum suo tempore beneficium saluti & serenitati non conspiraret: Sed nec anni, nec temporum sanè cum Europæis eadem est ratio: hybernatur illic, cum hic in æstiuis, illic æstuatur, cum nos in hybernis sumus. Magnis & frequentibus terræ motibus, quibus, vt febri quartana Leo, regio olim laborabat, cui malo quadãtenus medicatũ est, effossis, puteis, per quos & humiditatem & tumorem viscera terræ respirant: nam intra se alit aërem subterraneum, qui ibi conceptus, & exitum quærens, dum luctatur cum fibris & ossibus terræ, matris sinum concutit, & motum ciet, quo sæpè regio quassatur & Ciuitas. Atq; sic fermè Herrera.

Limæ laudes.

Terræmotus.

Præter hanc molestiam, alia quoque est, per quam humanum supercilium monetur humilitatis suæ, de quã *Garcilassus Ynca*, seu Regiæ Peruuianæ stirpis Princeps, tom. 2. suæ historiæ Peruuiæ lib. 2. cap. 17. quã anno Christi 1617. Hispanicè in Hispania edidit, hæc scribit. Limana temperies calida, & humida est, calore in æstatẽ paulo minori quam Bethicæ, eo quod ibi dies non tam longi, nec noctes tam breues sint, vt hic in Iulio & Augusto, ita vt Sol tardiùs Oriens & citiùs Occidens, non

non æquè vt in Bethica calefacit, cum ex aduerso prolixior ibi, quàm hic, nox omnia refrigerat: proinde quoniam Limanus calor perpetuus est, & ferè semper æqualis, incolæ se illi assuescût, & remedijs necessarijs, ædium, vestium, ac lectorum sibi prouident, vt cum se à culicibus defendunt, quæ ibi magna multitudine, & incolarum molestia diurnæ aliæ, aliæ nocturnæ sunt: Nocturnæ vt hic, sic ibi forma & colore similes, sed mole longè maiores illis, quas in Hispania *Zancudas*, & in Italia *Moscones* vocant, à quibus nec indusio lineo, nec subucula desuper staminea, vel subtilioris Anglicani panni, quem Hispani *cariseam* vocant, vel alia acu contexta superinduti se tueri possunt, quin inserta illa acutissima sua promoscide, ad sanguinem vsq; penetrãdo verberet. Diurnæ muscæ paruæ sunt instar illarum quæ in cellis vinarijs nascuntur, palidi coloris, & hauriendi sanguinis tam auidæ, vt capi se & mactari permittant, & vltra satietatem sugentes nimia repletione discerpi dicantur: Atq; istæ virulenta qualitate plagulas, sed non admodum graues, carnosis præsertim & obesis corporibus infligunt. Carnes ob calorem & humiditatem in his regionibus citissimè corrumpuntur, ita vt recentes singulis diebus cõparare necesse sit.

Molesti culices.

Cap. IV.
De Lima Vrbe.

HAnc Vrbem totius Imperij Peruuiani seu Meridionalis Americæ sub Hispanis Principem, & Regiam fusè describût imprimis, ex ore diuturni incolæ, *Ioannes Laëtus* Belga, in vtriusque Americæ descriptione, libro Lugduni Battauorum impresso anno 1633. *Bonauentura de Salines* in memoriali de virtutibus Francisci Solani Ord. Min. Peruuianorum, vt vocant, Apostoli, ad Vrb. VIII. Pont. & ex eo *Alphõsus de Mendieta* in vita eiusdem Solani omniû fusissimè. *Anton. à Leone. Michaël Angelus Lapius*, & *Cyprianus de Herrera*, etiam ipse cum Salino & Mendieta natiuus incola, & præsentis conditionis Vrbis testis ocularis, in vita Toribij Alphonsi Mogroueji Archiepiscopi Limani, anno proximè præcedente 1670. Romæ edita, qui multa de Ecclesiastico præsertim statu rerum referunt, quæ, quia recentiora, Laëtus discere non potuit: & præterea succinctiùs Mag. Antonius Gonzales, nunc Episcopus Caracarum, in vita S. Rosæ Limensis. Adhibuimus etiã recentissimum instrumentum visitationis liminum Apostolorum ab Illustrissimo D. Petro Villagomez vltimo Limanorum Archiepiscopo ad Clementem IX. Pont. anno 1668. missum, & per eiusdem in Alma Vrbe Procuratorẽ R. D. Ioannem Franciscum à Valliadolid Ecclesiæ Limanæ Præbendarium Sedi Apostolicæ ritè & legitimè præsentatum. Ego ex omnibus materiam sumo, præsertim ex Mendieta omnium exactissimo, adhibita etiam *Incæ Garcelassi* historia, ac testimonio viuæ vocis RR. DD. *Ioan. Frãcisci de Valliadolid* iam dicti Metropolitanæ Limensis Ecclesiæ Canonici, & causæ apotheosis Serui Dei Toribij Archiepiscopi, in Curia Romana postulatoris, ac *Didaci de Valliadolid* eiusdem Nepotis, Presbyteri Limensis.

Authores quos secuti sumus.

Lima seu Rimac nominis ratio.

Igitur in ea valle oræ maritimæ Peruuiæ, quæ suauiori Hispanorum pronuntiatione, hodie *Lima* vocatur, sed sub Incarum Regum imperio, siue à sonoro flumine, quod Vrbem alluit, ideo *Rimac* nuncupato, siue ab Idoli celebris, quod olim ibi colebatur loquacitate, id enim peruanum nomen significat, *vallis Rimac* dicebatur, Franciscus Pizzarrus, post peremptum Atahualpam Regem, & Regnum sibi obtentum, seu anno Christi 1534. vt scribit Garcilassus, seu, vt alij 1535. (quā diuersitatem numeri magis, quam temporis fortè peperit noui ac veteris calendarij diuersum annorū initium) propter vicini portus opportunitatem, & ipsius vallis præ alijs, alia commoda, duabus paruis à littore maris & *Callao* portu leucis, ad Septentrionalem ripam fluminis *Rimac*, huius vrbis fundamenta iecit, in ipso festo die Epiphaniæ Domini, seu trium Regum, vnde *Ciuitas Regum* nomen etiam retinet, & insignia habet coronas tres cū stella, quæ magos duxit ad præsepe: quæ deinde Carolus V. Imperator aquila Cæsarea, & Herculis columnis Gaditanis ornauit cum hoc symbolo *Plus vltra*, vt indicaret Hispanorum virtutem Herculis vires superasse, ac terræ limites tam procul produxisse, vel etiam porrò producturam.

Cur dicta Ciuitas Regum.

Vrbs tota in plano consistit, gradibus in Austrum ab æquatore duodecim, & scrupulis triginta, vel vt alij volunt quadraginta, distatq; à Meridiano Toletano in Occidētem gradibus octoginta duobus. Pulcherrima symetria constructa est: In medio enim est area, seu forum maximum figura quadrata, centum & 40. passus longum, & latum totidem. In fori medio fons est ex ære cyprio inaurato quem famæ simulacrum coronat, & eiusdem metalli leones & serpentes circumornant, qui aquam ex lapideo stagno certatim delibant, Opus *Comitis à Saluaterra* Peruuiæ Pro-Regis. Ad Vrbis Oriētale latus fossæ duæ latæ decurrunt, quæ molas intra Vrbem agunt, & aquam per canales, seu aquæductus huic fonti, & singulis penè totius Vrbis ædibus præbent limpidissimam, & ad potandum valde salubrem. Aedes in australi latere fori est palatium longè amplissimum, in quo nimirum & Pro-Rex cum familia domicilium habet, & Regia Gaza custoditur, & Regij Senatus Auditores ius dicunt. Ad Orientale latus areæ est templum Cathedrale, & Palatium Archiepiscopi. Septentrionale latus occupant institorum officinæ, omni genere mercium instructissimæ. Et Occidentale quoque similes aliquot, & porticus publicorum scribarū, quæ claudit Vrbanum prætorium cum suo carcere, è regione armamentarij publici, in quo varia armorum genera, & largus belli apparatus recluditur.

Describitur.

E fori angulis prodeunt amplæ plateæ octo, quæ absque vllo flexu vel cubito, rectissima linea in campos vsque ad duo vel tria passuum millia protensæ vrbem vniuersam in totidem partes partiuntur, atque harum singulas alij calles transuersi à pomærio in pomærium æquè recti vt priores, arctiores tamen illis, & inter se omnes æquales, in quadras domorum insulas, singulas passuum centum & quadraginta. Harum Insularum duæ & viginti iacent inter

Ortum

Ortum & Occaſum, & quatuordecim inter auſtrum & arctum. Ex quibus totius Vrbis magnitudinem facilè quis metiri poterit. Domus quælibet atrium & porticus habet, & pleræque horrum qui per proprium cuiuſq; domus aguæductum vel guttatim vel fluitim, pro operantis arbitrio rigatur.

Aedes vt plurimum vno tantum tabulato inſtructæ ſunt, non vt Laëti relator dixit, ob materiæ vitium, ſed ob timorem terræmotus, cui regio ſubiecta eſt. Parietes ferè ex trabibus, vel tignis, aſſeribúſq; compacti ſunt, luto obductis. Tecta è rudibus tignis, & ſtoreis, leui ceſpite, ſeu luto paleis permixto, & ſuperinducto conſtant, quæ ad ornamentum interius pictis linteaminibus obducũt, ſatis valido aduerſus aërem, operculo; cum ibi in planicie nunquam pluat, ningat, vel grandinet. Hinc Limam ſi eminùs ſpectes, non admodum illuſtris apparet: Domus tamen vt Herrera profert, exteriùs venuſtæ, & interiùs ampliſſimæ, ditiſſimæ, opibus, mercibus, & ornamentis, argenteis, aureiſq; vaſis abundant. Nam inquit ſuppellex domeſtica, ſi vſquam gentium, ampla, diues, in hac maximè opulentior vrbe, quo penè nulli totius orbis Ciuitati cedit, imo multis eſt præferenda.

Tota autem vrbs aperta eſt, nullo muro, aut vallo cincta, nullis excubijs noctu aut interdiu, aut vllo præſidio firmata; tantum in ambitu plures ſunt horti, qui aggere terreo concluduntur. Extra vrbem valido ponte lapideo fluuium ſtrauit *Marchio de Montes claros*, cum has Prouincias pro Rege adminiſtrauit, expenſis in id opus quadringeties mille aureis, quos Reales de ocho vocant: Trans pontem iacet ſuburbium S. Lazari nuncupatum, itidem in quadras diuiſum, & poſt ipſum cultiſſimum arboretum, quod vulgò *Almedam* vocant, octo arborũ perpetuò virentium ordinibus in ſeptẽ ambulacra diuiſum, quæ rectiſſimo & æquali curſu vltra tres iactus ſclopi in longitudinẽ porriguntur. Horum tria tam ampla ſunt, vt in ſingulis ſex currus lateratim iuncti ſat commodè ſimul trahi poſſint, alia quatuor ſingula vnum currum tantum capiunt. Medium quod maximum eſt, præter tres lapideos fontes perpetim currentes, eximiè ornat proſpectus Cœnobij Recollectorũ S. Franciſci, quod in primo ingreſſu viæ procul in termino totum detegitur, & omnes in ipſa etiam animi remiſſione ad pietatem commouet. Et illius Serui Dei, loci fundatoris, *Franciſci Solani*, quem Apoſtolum ſuum Peruuiani agnoſcunt, memoriam & venerationem innouat. Ad Orientem autem aliud ſuburbium eſt, in quo octoginta circiter degunt Indigenarium familiæ, qui & Hiſpanorum linguam callent, & opibus abundant. Cingitur id vallo terreo, propter quod ab Hiſpanis *el cercado* vocatur, ſuaſq; habet portas, propriumq; legatum, cui cum aliquot ſuburbicarijs pagis obtemperat. Cæterum horti omnia & oppida, pagi, & multa prædia ruſtica, in quibus Nigritarum maximus eſt numerus.

Cap. V.

De Portu Limano.

AD Vrbis ornamentum & præcipuum commodum portus *Callao Limæ Portus.*

 perti-

tinet, quanquam vt dixi, aliquantum distans, sed tamen coniunctus, non aliter quam pons Miluius Vrbi Romæ; ducitur enim totum iter per hortos & prædia rustica, quæ *chacaras* vocant, ita vt aquarum inopia nusquam laboretur, vsq; ad aditum Vrbis, vbi carcer visitur Nigritarum, vulgò *peraluillo*, à quo deinde progredi licet per omnes calles quò allibuerit. Portus ipse *Callao* vocatur, vbi insula Luporum angustum fretum admittit, per quod liburnicæ, & minora nauigia, quæ ab Austro adueniunt, in portum Limanum ingrediuntur, qui inde sese dilatat cubito flexus intra continentem. Securissimus est, & capacissimus, nullis breuibus, aut rupibus contaminatus. Grandiores autem naues onerariæ, quæ ab Austro allabuntur, dictam Insulam Luporum superant, atque ita subeunt portum. Ad hunc portum pertinent quadraginta, qua maiores, minoresque naues, quarum tantum duæ iuxta Laëtum, Amiralia scilicet, & vice-Ammiralia æneis tormentis instructæ esse solent, reliquæ penè inermes, & vna triremis, quæ tantummodo carcer est facinorosum, & Nigritarum: sed Alphonsus Mendieta, scriptor Laëto posterior, portum benè munitum castellis & propugnaculis esse docet, & plus quam ducentis triginta æneis tormẽtis, qua terrestribus, qua naualibus instructum, quorum aliqua ad duas vsque leucas collimant, cum sufficienti militum præsidio.

Municipium autem quod ad portum iacet, quod propriè dicitur Callao, nullis mœnibus diu cinctũ fuit: sed postquam ab Anglis, Belgisq; infestari cœpit, nonnihil valli adiectũ, & duo Castella iuxtà ædificata, & ænea tormenta disposita ante ædes, seu apothecas Regis supra præruptum cliuum, qui à marinis fluctibus validè pulsatur. Oppidum incolunt sexcentæ circiter Hispanorum familiæ, & aliquot Nigritarum, & Indigenarum, maxima parte nautæ, aut qui in mari quæstum faciunt. Extenditur autem in longitudinem secundũ littus, habetq; diuersos calles, quorum ij qui versus Vrbem tendunt, breuiores sunt. Sunt etiam S. Francisci & S. Dominici religiosorum Cœnobia, & vna domus Societatis Iesu, cum aliorum quorundam hospicijs. Aedificia quæ ad oram spectant, sunt ferè cellæ, & penuaria, quibus vinum, tabacum, pix, funes, & alia conduntur. Itemque apothecæ, quibus recipiuntur merces omnes quæ ex Europa, Noua Hispania, Orientali etiam India, & vltima Clima, alijsq; Orbis partibus afferuntur: quæque sine intermissione penè ad Vrbem carris, rhedis, atque iumentis subuehuntur, quorum quotidie iter hoc plenum videre est: Neque vllum facilè in toto Orbe iter reperias, per quod eundo & redeundo tanta gaza periclitetur. Sed nos quoque in Vrbem redeamus.

Cap. VI.
Lima Ciuitas politica.

Lima, inquit Herrera, crescit in dies magis frequentia & opulentia: cumq; ab initio suæ fundationis non septemdecim, vt ille scribit, sed nunc triginta sex supra centum numeret annos, ad eam venit magnitudinem & magnificentiam, vt videatur implesse multa secula. *Eius incrementa.*

Nec

Nec id immeritò dictum: Etenim cũ Ioannes Laëtus, qui quadraginta tantùm annis, minus tribus, ante Herreram scripsit, referat, quod oppidum gentis Hispanicæ qua mares, qua fœminæ omnis ætatis non dicantur excedere quinque millia, cũ Nigritarum tàm in Vrbe quàm in vicino agro quadraginta millia dicantur numerari vtriusque sexus, & omnium ætatum,quos Hispani plurimum inermes tenerent, quia metuebant,nequid hostile in ipsos molirentur: Ipse tamen Herrera stupẽdum, inquit, per plateas pergunt bis mille currus,& per vias publicas, fenestratas cum ęqualitate amplas & prolixas.

Ex quibus colligere possumus, quanto incremento necesse est auctum esse numerum platearum, & insularum vrbis supra illum quem ex Laëto supra descripsimus. Imo verò, cum Herrera, vt videtur, censum suum desumpserit ex Antonio à Leone, qui centum & septendecim annis post fundatam Limam scripsit,nunc additis viginti alijs annis, qui vsque ad pręsentem 1672. quem iam finimus decurrerunt, adhuc longè ampliùs excreuisse ciuitas censenda est. Sed iterum Laëtus. *Opulentia.* opulentissima haud dubio est Ciuitas, vtpotè, & Regalis Cancellariæ sedes, & Pro-Regis aula,& Archiepiscopi, & reliquorum Regiorum ministrorum domicilium, eadem,& Australis Americæ Emporium, atque adeò maris meridionalis penè vnicum: hic quippè omnis auri argentique gaza, è vicinis Peruuiæ & Chiles regionibus conducitur: hùc omnes penè Europeæ merces à Panamensi oppido, & aliunde subuehuntur: Eadem & Nouæ Hispaniæ, & Chinæ,& Aethiopiæ merces recipit, ita vt quotidiè maximus mercatorum numerus confluat, & officinæ institorum omnigenis mercibus ad miraculum abundent: Hinc omnis auri atq; argenti gaza, semel vt plurimum quotannis, ad Panamensem portum traducitur, quæ nõ rarò plures aureorum miriades excedit. Vrbs & magnitudine & magnificentia nulli Peruuianorum vrbium secunda. Hęc de sui temporis Lima Laëtus, quæ, quanquam cęteroqui magna, sed cum recentiori Lima comparata parua sunt, Alphonsus à Mendieta cibi, potusque species & qualitatem per occisorum animalium capita, cæterorumq; victualium,quæ annuatim Limæ consumuntur, mensuras ac pondera communi calculo describit, & merciũ quæ singulis annis distrahuntur, pretium ad sex milliones deduxit.

Gubernium. Tantæ verò molis & multitudinis Politices ita se habet: In Ciuitate Regium tribunal est cõstans olim ad minimum Iudicibus octo, nunc sexdecim, qui vulgò Auditores, & vno Protectore generali Indorum, quatuor item Ministris,quos Hispani *Alcaldes de Corte* vocant, & nos Aulæ Iudices criminales interpretari possumus. duobus pręterea Aduocatis Fisci, cęterisq; ministris more Hispanorum,seu,vt Herrera ex Anton. à Leone scribit, sęculare gubernium componitur varijs tribunalibus, & tantis, quod paucissimæ inueniantur Ciuitates, quæ, cum non sint Curiæ Regales, vel capita Regnorum, in hoc superant huius magnitudinem.

Pro-Regis potentia. Supremus Magistratus est Pro-

Rex,

Rex, Dux generalis & Gubernator, vices Maiestatis gerens, qui potestate absoluta sibi delegata regit, tria fora Regia Limanum, Platanse, & Quitense, & in rebus grauioribus, etiam Chilenum, & Panamense, hoc est totum Imperium Hispanicum Americæ meridionalis. Huic præstò sunt sclopetariorum & nobilium Lanceatorum cohortes ad custodiã, & ad arcendum turbæ supereminentis impetum, Hastatorum bipenniũ phalanx. Habet pręterea Pro-Rex varios Secretarios, & percipit ipse quotannis aureorum quadraginta millia, sed nunc auctis reliquis, proculdubio plura. Et quoties ad portum *Callao* descendit, insuper millia tria ad expensas itineris: si verò ad alias Regni Prouincias proficiscatur, decem: Pręfecti Pretorianorum stipendium annuum sunt ter mille ducati. Pręfecti portus, Auditorum, Tribunorum militum, qui quatuor sunt singulorum totidem.

Munia hęc omnia, pręterquam Auditorum, mandat Pro-Rex, quibus vult, & alia longè plura; inter quæ numerantur supra centum Vicariatus, siue vt ipsi vocant, *corregimientos*, magno ipsius amicorum & familiariũ emolumento. Sunt enim è quibus triennio, quo plerumq; durant, centum millia ducatorum hauriri possunt. Quid multa? innumera habet media Peruuianus Pro-Rex, quibus & ipse rem faciat, & beneficus sit in suos.

Militare præsidium. Militum, inquit Laëtus, in Ciuitate perparum est: nam præter duas turmas equitum, quarum vna lanceis, altera Bombardis militat, quæ stipendium à Rege accipiũt, & Pro-Regem cum extra Vrbem progreditur, comitantur, octo vt plurimum sunt vexilla peditum, (nunc auctis ciuibus plura,) quæ è numero honestiorum ciuium collecta, nulla stipendia merent; quæque singula cõstant centum & quinquaginta viris, & sexcenti equites; vtriq; nimirum in alta pace, in armis parum exercitati. Sed Herrera non modo, inquit, in scholis ingenium, sed & gladius in campo Peruuico contendit de palma.

Vrbanus Magistratus. Vrbanus Magistratus constat viginta quatuor viris, ex eorum ordine, qui census, & ministeria Indigenarum, vulgò, *repartimientos*, possident, ac magnis opibus pollent. Sed addit Herrera alia Tribunalia quatuordecim, inter quæ inquit, sęculare Capitulum (nam sic Hispani vel Canonicorum Collegium, vel Ciuium Senatum *Cabildo* vocant) non est inferiùs alijs: vtpotè litteris, iustitia, & nobilitate circumornatũ; constans duodecim ædilibus, & curatoribus Vrbis, qui *Regidores* nominantur: quorum est Ciuitatem tueri, & Reipublicæ consulere. Restat post omnia illud quod Regias gazas administrat, & Regis Catholici gazophilacium, seu ærarium curat, quod vocant *Caxa Real*. Item consulatus nauigationi, & rerum commutationi cęteroq; commercio prępositus, & alia quæ numerat & explicat Mendieta. Sed nos nunc ad res sacras progrediamur.

Cap. VII.
Christianæ fidei apud Peruuianos rudimenta.

Cur initio lenta. INter arma silent leges, vulgata sententia est, adeoq; haud mirum

rum nō est, si inter Peruuianos Christi Euangelium non vel tam præcoces, vel tam copiosos fructus ab initio protulerit, quam apud Mexicanos sortitum fuit. Ibi enim nemo fidei prædicationem, idolorumq; demolitionem promouebat magis, quā ipse *Ferdinandus Cortesius* Prouinciarū domitor; hic nihil magis impediuit, quam *Pizzarrorum, Almagrorumq;* simultates, & sæuissima bella ciuilia, donec post annū 1560. post alios in Peruuiam Pro-Rex aduenit *Franciscus à Toleto* Comes Oropessanus, qui maxima virtute & Indorum rebelliones, & Hispanorū de rerum summa crudeliter contendentium factiones confregit, firmāque, & integram pacem, & quietem prouincijs restituit: Non proinde tamen ab ipsius detectionis exordio defuerunt ministri Christi, præsertim S.Dominici, & S.Francisci, religiosi, qui Christi fidem longè latèq; propagabant, & continuatis confratrum accessionibus Cœnobia sibi, Franciscani præsertim, & custodiale, quod vocant, regimen constitutum habuerunt, publicas puerorum scholas, & doctrinarum domos erexerant, & plurimos non sparsim tantùm, sed & turmatim, & integros populos Christi Baptismate, & sacra Catechesi imbuerunt, ipsosq; Hispanos in se mutuò sęuientes, à multis sceleribus cohibebant, vt nos alibi tom.9. nostrorum Annalium nondum edito, per indubitata monumenta, ampliùs monstrauimus. Aduenerunt deinde aliquot Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, anno 1557. quos aduexit *Andreas de Mendoza* Peruuianus Pro-Rex. Sed ille senex, & semper valetudinarius non multò pòst inter ciuiles Hispanorum turbas vitam Limæ finiuit. Crescebat etiam sęcularis clerus, nec deerant aliquæ aliorum regularium ordinum singulares personæ.

Primi & simul tanei prædicatores Dominicani & Franciscani.

Deinde Augustiniani.

Non tamen etiam reddita pace alius vllus ordo regularis præter illos tres, neque sęculares Clerici, vel illi Cœnobia, vel isti certam Ecclesiasticæ disciplinæ, vel Canonici regiminis formam habuerunt. Quanquam enim anno 1547. seu veriùs biennio priùs Archiepiscopatus Limæ erectus fuerat, & *F.Hieronymus à Loaysa* Ordinis Prędicatorum primus Archiepiscopus constitutus esset supra omnes Hispanorum Prouincias in tota illa Australi America, postquam ab anno 1541. eiusdē sedis Episcopus esset, Hispalēsi in Hispania Archiepiscopo subiectus, & id munus per totos triginta duos annos gessisset: in initijs tamen illis ac turbulentissimis temporibus, neque, quod summopere cupiebat, Prouinciam visitare poterat, vir cęteroqui præstantissimus, neque Cleri sibi cōmissi statum ad vniformem aut Canonicam formam ducere.

Quando Limæ Episcopus, quādo Archiepiscopus.

Et licet Clerum, quem poterat, in cœtum bis coēgisset; quæ tamen, vt Concilij Prouincialis ab eius successore Toribio celebrati Patres loquuntur, anno 1552. ab ipso constituta fuerant, auctoritate legitima caruerunt, & pleraq; melius posteà disposita sunt. Quæ verò deinde per Concilium Prouinciale Limense anno 1567. sub ipso constituta sunt, cum ritè & legitimè conuocatum & celebratum, atq; etiam promulgatum fuisse constiterit, licet ijdem Patres cum veneratione susceperint, dummodo (inquiunt) Conciliū ipsū

Hieron. Loaysa primi Episcopi, & Archiepiscopi studia.

Cano-

Canonicum ſit, & Canonica ſtatuta contineat, præter aliqua ab ipſa poſteriori Synodo aliter diſpoſita,& renouata; caruit tamen ipſum hoc Loayſæ Concilium confirmatione Apoſtolica, nec vnquam debitam executionem, vel deſideratum effectum turbidis illis temporibus aſſequi potuit, Archiepiſcopo præſertim iam tum ſenio & morbis à profectu proſequendo præpedito. Per obitum autem Loayſæ Limanus Archiepiſcopus deſignatus fuit *Didacus Gomez de la Madriz*, ſed hoc mòx Pacenſi Eccleſiæ præeſſe iuſſo; integra Prouincia Auſtralis Americæ,diuina voluntate, *Toribio Mogrouejo* ad perfectionem reducenda reſeruata fuit. Ad cuius acta proferenda properamus, cum prius de Vrbe ipſa Limenſe, ac tota eius Metropolitana Prouincia,& peculiari Diœceſi quidpiam dixerimus.

Cap. VIII.
Lima Sacra Ciuitas.

CIuitatis Regum,ſeu Limæ Vrbis Epiſcopatum, vt dictum eſt anno 1541. & Archiepiſcopatū, regente Carolo V. Imperatore, & Noui Orbis Domino, primùm erexit Paulus III. Sūmus Eccleſiæ Catholicæ Pōtifex anno Chriſti 1545. conſtituitq; primum eius Archipræſulem, totius tunc Auſtralis Americæ Metropolitam *Fr.Hieronymum à Loayſa* Ordinis Prædicatorum, virū doctrina & morum integritate ſpectatiſſimum, aſſignatis illi Suffraganeis Epiſcopis decem, qui fuerunt ad Arctum Nicaraquenſis, & Panamenſis, vterq; in iſthmo. & ex eadem parte intra continentem, Epiſcopus Popayanus in nouo Regno Granatenſi, & Epiſcopus S. Franciſci de Quito in ipſo Regno Peruuiæ pariter ad arctum; ad Orientem autem in Montanis Epiſcopus Cuſquenſis. Et in Auſtro Epiſcopos Ciuitatis Conceptionis, olim Imperialis, & S.Iacobi de Chile,& Tucumanenſis, omnes tres in Regno Chilenſi, & Epiſcopus fluminis argenti, vulgò, [a] *Rio de la Plata*, in Prouincia Paraguaya,Indigenarum lingua ab illo flumine ſic dicta, ac demùm Argentinenſis,ſeu Platenſis in Prouincia Charcarum, præter ipſam Diœceſim Limanam propriam Archiepiſcopi, quæ in planicie cęterarum media conſiſtebat. Atque hęc erat prima Canonica forma iſtius Imperij Peruuiani. Nos hic Ciuitatem ipſam Limenſem qua ſacram deſcribemus, deindè propriam eius Diœceſim, & poſteà Prouinciam vniuerſam tùm veterem, tùm nouam, qua hodie forma conſiſtit.

Archiepiſcopatus.

Epiſcopi Suffraganei.

Regularium virorum Cœnobia.

QVoniam autem Regularium Ordinum Dominicanorum præſertim & Franciſcanorum Cœnobia diu in Vrbe fuerunt, priusquā ſęcularis Clerus firmum ſtatum in ea adeptus ſit, de his priùs agemus, & ſimul de alijs religioſis,ordinibus, & pijs locis, deinde de Eccleſia Cathedrali & Parochialibus Vrbis.Sunt enim præter domos religioſorum, quas diximus in Municipio *Callao* ad portum ſitas eſſe, alia ſeptemdecim Religioſorum virorum domicilia intra ipſam Vrbem, & eius ſuburbia; nempe.

Ordinis *S.Dominici* tria, quorum præcipuū vocatur SS.Roſarij, aliud Recol-

Recollectorum, ſub inuocatione S. Mariæ Magdalenæ, ac Tertiũ, quod ſtudiorum Collegium eſt, S. Thomæ Aquinati ſacrum.

Ordinis *S. Franciſci* itidem tria, inſtitutis eodem modo diſtincta: in quorum præcipuo, quod S. Franciſci vocant, trecenti fratres Regularis obſeruantiæ Deo & publico ſeruiũt; occupat enim inter hortum & habitacula duas integras Vrbis Inſulas, ſeu quadras, de quibus ſupradiximus. Secundum eſt pariter eiuſdem ordinis Recollectorum, ſub patrocinio S. Mariæ Angelorum, quod diximus in Arboreto ſitum eſſe. Tertium peculiari ſtudiorum profeſſione eſt Collegium S. Bonauenturæ. Atq; in his duobus alij centum circiter religioſi viuunt, omnes eiuſdem ordinis, quadringenti vel ampliùs quotidiana ſtipe, maximo Limanorum pietatis argumento.

Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini* etiam tria quadringintorũ quoque fratrum receptacula. Primum Sancti Auguſtini titulo inſigne: Secundum eſt domus Recollecta eiuſdem ordinis, Beatiſſimæ Virgini de Guia, & Capacauana dedicata. Tertium eſt Collegium S. Ildefonſi litterarijs ſtudijs deſtinatum.

Ordinis *S. Mariæ de Mercede* ſimiliter tria, quorum, quod maximũ eſt, centum & ſexaginta Religioſos alit. Alterum ad recollectionem (ſic Franciſcanã omnes imitari ſatagunt) paucos admodum, ſed electos recipit. Tertium eſt Collegium, ſed nondum ædificijs abſolutum.

Ordinis *Societatis Ieſu* quatuor: tria nimirum intra Vrbem, hoc eſt Collegium S. Pauli, in quo humaniorum litterarum, Philoſophiæ, ſacræ Scripturæ, & Scholaſticæ Theologiæ lectiones exercentur, alterum quod Herrera deſertorum vocat, vbi ſcribere & Catechiſmum recitare docentur: Tertium Nouitiatus eſt. Et quartum demùm extra Vrbem, in Indorum oppido *Cercado*, de quo ſupra diximus, vbi gentilium conuerſioni ſtudent & Neophitorum filios erudiunt, tanquam Parochi illius oppidi, ſeu ſuburbij Limenſis.

Ordo *S. Benedicti* vnum locum habet, Beatiſſimæ Virgini à Monte Serrato nuncupatum, vbi trium vel quatuor Monachorum hoſpitium, qui ſuo bono exemplo Ciuitatem ædificant.

Ordo Minimorum *S. Franciſci à Paula* initium aliquod fundationis habet, ſub inuocatione S. Mariæ de Victoria.

Ordo Fratrum *B. Ioannis Dei*, ex inſtituto ſuo ad Hoſpitale S. Didaci conualeſcentium infirmorum curã gerunt, dum ad laborem tolerandum corroborantur.

Sanctimonialium Cœnobia.

HAbet etiã deuotus fœmineus ſexus regulari ſtatui, nuncupatis votis adſtrictus, loca quæ ſequuntur, octo, in quibus recenſendis, abſque vllius fundationis præiudicio, Ordinũ antiquitatem ſequor.

Primum ergo Cœnobiũ eſt Regulæ *S. Bernardi* ſub titulo SS. Trinitatis, in quo ſunt 113. Moniales profeſſæ & nouitiæ, & vna Donata.

2. *Sanctæ Claræ* Virginis Vrbaniſtarum, quas vocant, ſub eiuſdem regula ab Vrbano IV. Pontifice mitigata. Eſt fundatio Toribij Mogroueji Archiepiſcopi. Moniales ha-

bet professas & Nouitias 302. Donatas 40. Fœminas seculares 76. Seruientes 276.

3. *S. Catharinæ Senensis* sub Regula Ordinis S. Dominici, vbi velatæ Moniales 220. & seruientes seculares 107.

4. Regulæ *S. Augustini* Canonistarum, sub inuocatione Dominicæ Incarnationis, in quo sunt velatæ 265. Donatæ 29. Mulieres seculares 25. Puellæ 42. Seruiëtes 79.

5. *Eiusdem Ordinis* Recollectarum, quod vulgò vocatur *del Prado*, pro triginta Monialibus, sed nunc viginti tantùm sunt, & fœminæ seculares seruientes 16.

6. Ordinis *Immaculatæ Conceptionis* Beatissimæ Virginis Mariæ, sub regimine Ordinis Minorum. In quo velatæ Moniales 279. Donatæ 39. seculares fœminæ seruientes Monialibus, & officijs Monasterij 322.

7. *Eiusdem Ordinis* Excalceatarum immaculatæ Cõceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, sub inuocatione S. Iosephi, vbi Moniales velatæ, professæ & nouitiæ 71. Donatæ 38. Puellæ seculares 10. seruientes seculares 178.

8. *S. Theresiæ*, sub Regula Carmelitarum Excalceatarum, Moniales velatæ 18. & vna ancilla Aethiopissa.

Quam bonæ in his Moniales. Inter quas omnes, inquit Herrera, vix inueniatur monialis, quæ non sit singularissimæ virtutis, & quæ Celesti pane Eucharistico quotidiè non reficiatur. Seu vt Archiepiscopus Villagomez in instrumento visitationis liminum. In his omnibus Monialium monasterijs, præter diuinum cultum & regularem obseruátiam, Domini sponsæ, veluti prudentes Virgines Christum earum Sponsum cordiali & filiali amore ardentes, prosequentes, lampades suas virtutum & bonorum operum oleo aptando solicitæ incedunr, & celesti sponso obuiam exeuntes, diu noctuque vigiles, & indefessæ sanctissimo Eucharistiæ Sacramento perpetim in choro laudantes & orantes assistunt. Omnia autem hæc Monialium Cœnobia Ordinarij iurisdictioni subiecta sunt.

Alia loca publica pietatis in Fœminas operibus destinata.

VNus est Puellarum Collegiũ, quas vt Herrera loquitur, pauperies recolligit, cum spe sui remedij innixa super generositatem diuitũ.

Alius Mulierum infirmarũ, quas Charitas deportat ad lectum, vt curentur. Et illis inseruiunt pauperes Domicellæ, quibus, post duos annos obsequij cõferuntur pro dote quingenti nummi argentei quos pesos vocant.

Tertius locus est, quem ille vocat Domicilium desertarum per repudium vel diuortium, aut Matrimonij diremptionem, fundatio Toribij nostri Alphonsi Mogroueji Archiepiscopi, pro deponendis mulieribus coniugij diuortium intentantibus, vt in instrumento suæ visitationis liminum Apostolicorum ad Clementem IX. Pont. loquitur D. Petrus de Villagomez vltimus Archiepiscopus Limensis.

Instr-

Infirmorum & Pauperum Virorum Hospitalia.

PRimum *S. Andreæ* Apostoli, Regijs sumptibus erectũ, quod Negotiatorum Societas administrat, inseruit infirmis Hispanis ad valetudinem curandis: &, præter cætera necessaria, habet sacrorum Ministros quatuor, quorum singuli quotannis, præter habitationem, percipiunt sexcentos argenteos nummos.

2. *S. Didaci*, ad Hispanorum Conualescentium curam, qui ex S. Andreæ valetudinarij egrediuntur, donec functionibus suis apti sint: quod Fratribus B. Ioannis Dei cõmissum diximus, qui ab Italis *Buon-Fratelli*, ab Hispanis *Capachos*, vulgò vocantur.

3. *S. Spiritus*, ad ægrorũ Nautarum valetudinem curandam, per Nauarchos, naucleros, & nautas conditum, quorum contributione Nauibus onerarijs imposita sustentatur.

4. *Cathedræ S. Petri*, in quo Christi Sacerdotes morbo pressi subleuantur, à Toribio nostro Archiepiscopo fundatum.

5. *S. Bartholomæi*, pro liberorũ Aethiopum vtriusque sexus curanda separatim sanitate, per Petrum Villagomez Archiepiscopum inchoatũ, & postea demùm per Doctorẽ Ioannem de Cabrera Equitem S. Iacobi, & Cathedralis Ecclesiæ Limẽsis Decanum benè dotatum, cũ à Fr. Bartholomæo Vadillo Ordinis Eremitarum S. Augustini priùs prouectum fuisset.

6. *S. Lazari*, pro curandis leprosis. sed ferè otiosum est. Nam cum Auster, alibi contagiosus, hic transiẽs per Andium niuea cacumina, ab illis ita temperatur, vt Corpora soletur, & confortet potiùs, quàm corrumpat vel grauet. Intereà tamen morbo caduco laborantibus inseruit, Regis munificentia constructum.

7. Est Orphanotrophium ad templum *S. Mariæ de Atocha*, vbi expositi infantes vtriusq; sexus separatis domicilijs, ad ætatem, artibus, vel alij vitæ statui aptam educantur, vti docet Herrera; sed Archiepiscopus Villagomez, in sua visitatione nullam eius mentionem facit.

8. Aliud tamen addit, quod *SS. Cosmæ & Damiani* MM. vocat, &, vt loquitur, ad receptaculum, educationem, & curationem fœminarũ Hispanarum constructum est à pijs illius Vrbis incolis laicis illud gubernantibus, ex ordine constitutionis secundum eius fundationem.

9. *S. Annæ*, præcipuum totius Vrbis Xenodochium ab Archiepiscopo Loaysa fundatum, ad Indorum pauperes infirmos procurãdos. Sed sumptus copiosè ministrant Catholici Reges, quibus illius gentis miseria subleuanda maximæ semper curæ fuit, eosque persæpè suis literis, seu Schedulis Regijs ad Prælatos & Præfectos enixè commendarunt.

10. Addit Archiepiscopus Villagomez aliud, quod appellatur *S. Maria de Monte Carmelo*, ædificatum pro conualescentia Indorum, qui ex Hospitali S. Annæ adhuc imbecilles exeunt. Et inquit: Hæc Hospitalia habent magnificas Ecclesias, præter hoc vltimum, cui pro Ecclesia seruit parua Capella, sed decens.

Aliæ minores Ecclesiæ.

Harum, si non omninò prima, sed non vltima est Ecclesia *Deiparæ Virginis à Capacauana*, miraculis non minus Limæ, quam in prima & propria sede Capacauana celebris: de cuius origine & multis magnisque miraculorum gratijs librum edidit R.P. Hippolytus Marraccius amicus noster, cuius totus calamus Deiparæ cōsecratus hactenùs quinquaginta septem opera in eius gloriam effudit, Mariæ deuotis gratissima, nec dum cessat Matris Dei, cuius titulo tota ipsius Religio gaudet, honorem propagare. In illo libro caput vigesimum integrum impendit illustrandæ Imagini miraculosæ huius Templi Limensis. Alia Ecclesia est in Monte *S. Christophori* eidem Sancto consecrata. Alia item Sanctæ Mariæ Auxiliatricis, vulgò, *del Soccorro*. Et alia S. Mariæ Capitum, vulgò *de las Cabezas*. Alia denique B. V. à Rosario, aliàs *de los Remedios*. præter duas Ecclesias Carcerum, tam Regij quam Vrbani, è quarum altera delinquentes ad supplicium ducuntur, in altera percussorum corpora sepeliuntur, omnes optimè ornatæ.

Ecclesiæ Parochiales Vrbis Limæ.

Sex parœcias Limæ numerat, sed nullã nominat Laëtus; at Herrera quinque tantùm & numerat & nominat.

Primam *S. Ioannis Euangelistæ* in templo Cathedrali, cui inseruiunt quatuor Sacerdotes Parochi, & alij duo vices eorum gerentes.

2. In templo *S. Annæ*, quam administrant Parochi duo, & vnus eorum substitutus.

3. In templo *S. Sebastiani*, cuius curam gerunt Parochi duo.

4. In templo *S. Marcelli*, cui vnus tantùm Parochus inseruit.

5. In templo *S. Lazari*, cum vno itidem Sacerdote Parocho: Estque Vicariatus parochiæ Ecclesiæ Cathedralis.

6. Et prætereà est alia eiusdem Cathedralis vice parochia cum vno Sacerdote in templo *S. Mariæ de Atocha*. Ac deniq; illa, quam diximus in Indigenarum suburbio *Cercado*. Soc. Iesu Patribus commissam.

Limensis Academia.

Vtrique Reipublicæ Limanæ commodo, & ornamento est noua quidem, sed nobilis Academia, seu studiorum vniuersitas, sub Paulo III. Pontifice & Carolo V. Imperatore, Hispaniarum & noui Orbis Catholico Rege fundata, sub annum Christi 1549. *D. Marci Euangelistæ* nomini consecrata; ac deinde eiusdem Imperatoris varijs priuilegijs anno 1551. aucta, quæ demũ Pius V. Pontifex anno 1571. authoritate Apostolica confirmauit, eodemq; anno per alias eiusdem Pontificis litteras, & alias Regias anno sequenti 1572. datas, incorporata est Vniuersitati Salmanticensi; ita vt eius quoque priuilegijs & indultis, tam in Ecclesiasticis, & spiritualibus; quam in temporalibus, & sęculari foro, in omnibus, & per omnia gaudeat, cum propria sua iurisdictione, & authoritate, estq; iurispatronatus Regij, ex fundatione, dotatio-

tatione, & protectione per litteras Regias Philippi II. datas anno 1588. Est doctissimorum hominum altrix in omni facultate liberali fœcundissima.

In annum vniuersæ præficitur per omniũ suffragia electus Rector Magnificus cum titulo Dominationis, & trono holoserico rubro tam intra portas Vniuersitatis, quam vbi libuerit cõuocare claustrum toto anno sui Rectoratus, per litteras Regias datas anno 1589. cui interim obediunt ducenti supra mille studentes, centum & octoginta Doctores, ac Magistri, tum in vtroque iure Pontificio & Ciuili, tum in Medicina & sacra Theologia, & artium facultate laureati. Viginti Cathedrarum Moderatores, quibus copiosi reditus annui proueniunt, sine Magistris tamẽ Grammatices, quam in suo Collegio S. Pauli docent Patres Societatis Iesu. Sunt prætereà tria Collegia Regia. Primum nempe, quod sub inuocatione *S. Philippi*, & S. Marci fundauit Pro-Rex D. Franciscus à Toleto pro filijs, Nepotibus, ac descendentibus conquisitorum huius Regni, qui student omnibus facultatibus, & vnum ex suis Collegis Rectorem sibi in annum eligunt. Alterum est *Diui Martini* per D. Martinum Henriquez pro Regem fundatum, ad ordinarium numerum octuaginta collegarum, qui litteris humanioribus, Iurisprudentia, & S. Theologiæ operam nauant. Rectorem & reliquos ministros habent, ex Patribus Societatis Iesu. Tertium est Collegium S. Toribij Episc. & Confessoris, quod pro viginti quatuor Clericis choralibus Ecclesiæ suæ Metropolitanæ Limensis erexit D. Toribius Alphõsus Mogrouejus Archiepiscopus, qui singulis facultatibus imbuuntur. Erant olim alumni numero quadraginta, qui deinde ad viginti quatuor sunt redacti. Togam gestant fusci coloris & Beccam violaceam. Rector est Sacerdos qui linguam latinam iuniores docet. In eo prætereà educãtur sex pueri chorales quorum cura incumbit chori præfecto qui & ipse in Collegio viuit. Diebus festiuis quatuor Collegæ cathedrali par vices assistunt & inseruiunt altari. Omnium annuos prouentus quatuordecies mille pesi sunt, omniaq; sic dispositæ reliquit Archiepiscopus noster Toribius Mogrouejus. Et ex omnibus his tribus Collegijs prodierunt eximij viri ad omnes Reipublicæ dignitates & officia tam Ecclesiastica, quam sæcularia.

Sanctæ Inquisitionis & Bullæ Cruciatæ Tribunalia.

COmponunt etiã, inquit Herrera, Limanam Curiam Tribunalia plura Ecclesiastica, & primum inter omnia sanctæ Inquisitionis, fidei, & pietatis domiciliũ, transitus ad Tiaras ordinarius, & tribus Apostolicis Iudicibus cõstans, æquale in omnibus, & Granatensi, & Vallisoletano. hoc sacrum Tribunal, anno 1569. fundatum, iurisdictionem vltra mille leucas extendit. habetq; omnis generis ministros, quibus talia Tribunalia in Hispanijs vtuntur. Est etiam aliud Tribunal Bullæ cruciatæ nõ minoris authoritatis & honoris, quod anno 1603. stabilitum est, suosq; pariter ministros omnes, vt in Hispania habet. Quid verò in

huius

huius Tribunalis erectione præstiterit noster Toribius Archiepiscopus, & quantum in ea re Regiam Maiestatem sibi deuinxerit, infra notabimus ad Synodum Diœcesanum anni 1594. cap. 22.

Ecclesia Cathedralis Limana.

HAec sub inuocatione *S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ*, sanè Nobilis est, & in ea diuina officia ad tantam pietatis disciplinam, & splendorem reduxit Archiepiscopus D. Toribius Alphõsus Mogrouejus, vt multis exemplo esse possit, vtinã etiam imitationi sit. quod eiusdem Archiepiscopi Ceremoniale sacrum infra suo loco huic libro insertum clariùs ostendit.

Templi ipsius structura similis est Ecclesiæ Cathedrali Hispalensi in Hispania, constatq; quinque nauibus per quatuor quadratarum colúnarum ordines latericij operis interstinctis. Habet Sacristiam tum ad custodiam sacræ suppellectilis, quæ in ea locuples & multa est, ex auro, argento, & opere phrygio, tum ad Sacerdotum apparatum, reliquo tẽplo dignissimam, cum aula Capitulari, & Choro, in cuius sola sedilia quadraginta millia nummum argenteorum insumpta fuerunt. In templo decenter collocauit duo corpora Sanctorum *Iuliani* & *Adriani* Martyrum, Illustriss. vltimus Archiepiscopus Villagomez, quæ ad ipsius immediatum prædecessorem Ferdinandum misit cum testimonialibus litteris Vrbanus VIII. Rom. Pont. fel. mem. Ex templi fronte surgunt sumptuosæ duæ turres, quæ eidem vsui & ornamento sunt, pluribus & bonis campanis instructæ, eadem forma, quæ per Fr. Alphonsum à Mendieta, cum Francisci Solani effigie, in eiusdem Solani vita exhibetur.

Collegium Canonicorum tam præstantibus viris constare solet, vt, qui in eo dignitatem adepti sunt, vt Herrera testatur, infulis digni censeantur, & plerùmq; donentur; sed, quod ipsorum modestiam valdè cõmendat, multi non acceptant. Sunt autem illæ dignitates numero quinque. Decanus nimirũ, qui post Archiepiscopum primus est. Deinde Archidiaconus, Præcintor, Cancellarius, Scholasticus, & Thesaurarius, quorum prouentus annuus pertingit ad nummos, vulgò *pesos* septies mille pro singulis. Habet prætereà Chorus ex erectione Canonicos decem, sed vnius harum deinde prouentus, extincto canonicatu, in fidei Quæsitoris, & ministrorum sancti officij vtilitatem conuersi sunt. Reliquorum singuli per annum percipiunt millia quinque. Portionarios sex, quibus dantur capitatim ter mille, & sex semiportionarij, quibus bis mille circiter. Triginta insuper Sacellanos Choro addictos, quorum singulis tribuuntur sexcenti; sed nummi hic nummerati sunt Hispanici octo vel nouem regalium; vt non immeritò nunc multo magis, quam Laëtus de suo tempore dixit, omnes Clericos Limæ opulentissimos esse, dici possit. *Dignitates & Canonicatus.*

Prætereà Musicorum chorus est, cum Organis, tubis, alijsq; musicis instrumentis, qui omnes diuina eo decore, & solemnitate celebrant, quibus ipsis in Ceremoniali à Turibio Archiepiscopo præscriptum est. Habet *Reliqui ministri.*

bet insuper Cathedralis Ecclesia Limensis Oeconomum, cum suis in ſaerario & fabrica subministris. Ac denique pueros seu clericos chorales cum suo Præfecto, qui ipsos in sacris ritibus, cantu Ecclesiastico, litteris, & moribus ad sapientiã & pietatem erudiat. Atq; isti iuuenes ex instituto D. Turibij ordinariè duodecim esse debent, quorum sex proprijs Capituli sumptibus alebantur, & alij sex expensis fabricæ Ecclesiæ. Sed, vt ex Mendieta diximus, viginti quatuor iam in Seminario S. Toribij educantur.

Cap. IX.

Verus & Noua Prouincia, & propria Diœcesis Archiepiscopi Limensis.

Ecteris erectio. Ciuitatis Regum seu Vrbis Limæ Archiepiscopatũ, rogante Carolo V. Imperatore Hispaniarum Rege, & Noui Orbis Domino, primus erexit Paulus III. totius Ecclesiæ Christi Summus Pontifex anno Domini 1547. seu 1545. vt scribit Anton. de Leon c.23. Vitæ Toribij, cum ab anno 1541. fuisset Episcopatus subiectus Archiepiscopo Hispalensi in Hispania, constituitq; primum eius Antistitem, totius tunc vnicum Australis Americæ Metropolitam, Fr. Hieron. à Loaysa Ord. Prædicatorum, virum doctrina ac morum integritate spectatissimum, assignatis illi Suffraganeis Episcopis decem, qui fuerunt ad Arctum duo, *Nicaraguanus*, & *Panamensis* in isthmo, & ex eadem parte intra continentẽ, Episcopus *Popayanus* in Nouo Regno Granatensi citra æquatorem, & Episcopus *Quitensis*, seu S. Francisci de Quito, in ipso Regno Peruuiæ paulo vltra lineam. Ad Orientem autem in Montanis Episcopus *Cuscanus*, seu *Cuzquensis*. Ad Austrum verò Episcopus *Argentinẽsis*, vulgò, *de la Plata* seu Platensis, in Prouincia Charcarum. Episcopus Ciuitatis Conceptionis, seu tunc *Imperialis*, & alius *S. Iacobi*, ac tertius *Tucumanensis*, omnes tres in Regno Chilensi, ac Occidentale latus Andium, ac demum Episcopus *Fluminis Argenti*, vulgò, *Rio de la Plata*, ex Orientali parte Andium, in Prouincia, Indigenarũ lingua, dicta *Paraguay* à nomine illius magni fluminis quod ipsi *Paraguay* vocant, & Hispani *Rio de la Plata*. Longitudo totius Prouinciæ ab Arcto in Austrũ excedebat leucas mille quingentas latitudo ab Ortu ad Occasum, alicubi centum, &, vbi arctior est, quinquaginta.

Episcopatus Suffraganei.

Amplitudo Prouinciæ.

In medio verò horum Episcopatuum erat propria Diœcesis Archiepiscopi Limensis, totius Imperij Metropolitana, ad littus Australis Oceani sita, & spacio terrarum amplissima. Nam initium in Septentrione sumebat a confinibus Episcopatus Quitensis in Præfectura *Piura*, quæ deinde in *Truxillensem* Episcopatũ erecta fuit, & in Orientem transiens per limites territorij *Guamanga*, pertingebat in Austro ad limites Episcopatus *Charcarum* seu Argentinẽsis, vulgò *la Plata*, leucas longitudinis ab Arcto in Austrum circiter trecentas, & latitudinis, à Mari Australi in Occasu ad Andium iuga, in Ortu alicubi quinquaginta, & alibi ferè centum. Atque hæc erat amplitudo & conditio vniuersæ illius Prouinciæ & peculiaris Metropolitanæ Diœcesis

Diœcesis Limana.

cesis

cesis Archiepiscopatus Limani, cum Toribius noster iniisset Pontificatum.

Prouincia diuisio.

Sed statim atq; Limæ possessionem Archiepiscopatus accepit, iuxta sacri Concilij Tridentini decreta, quæ zelo zelabat, & Regis quoque desiderium, cui erat fidelissimus, omnes Episcopos per litteras ad Prouinciale Concilium conuocauit, & interim dum venirent, propriã Diœcesim vniuersam canonico ritu visitauit. Cumq; tùm ex ipsa visitatione, tùm ex Episcoporum ad Concilium veniendi tarditate, & præsentium relatione didicisset, [a] *quanta difficultas*, quantæ molestiæ, & vitæ Prælatorum pericula, & in visitatione ipsa Diœcesis, & in Concilio tam vastæ Prouinciæ cõgregando essent, iudicauit optimum vtriusq; mali remedium fore, si ipsa sua Diœcesis in plures Episcopatus, & vniuersum Imperium in plures Prouincias, seu Archiepiscopatus diuideretur. Quapropter malens diminui sibi iurisdictionem & censum, quam quidquã, vel prælatorum confratrum cõmodis, vel populorum recto regimini, vel animarum saluti opportunum deesse, scripsit ad Regem de illa diuisione promouenda. Et Catholicus Rex Toribij dictamina approbans, eadem Apostolicæ Sedi proposuit, ac tandèm obtinuit, vt per Paulum Quintum Pontificem tota Australis America in tres Ecclesiasticas Prouincias authoritate Apostolica diuideretur, Episcopatu Nicaraguæ in isthmo, relicto iurisdictioni Archiepiscopi Mexicani, & Episcopatu Venezuelæ in terra firma, Archiepiscopo insularum seù S. Dominici.

Noua Prouincia & Diœceses.

Itaque in illa Australi America hodie cis æquatorem ad Septentrionem est *Archiepiscopus S. Fidei* de Bogota, in nouo Regnò Granatensi, cui vt Barbosa in secundo suo Catalogo Episcopatuum totius Orbis designat, quem adiecit ad calcem sui praxis exigendi pensiones, subsunt hi Episcopi Suffraganei, *Popayanensis*, *Carthaginensis*, & *S. Marthæ*. Ad Austrum in Prouincijs Charcarum & Paragayana & Regnò Chilensi est *Archiepiscopatus Argentinensis*, seu Platensis, vulgò, *de la Plata*, & à Prouinciæ vocabulo etiã *de las Charcas*, cui parent suffraganei Episcopi *Pacensis*, *Barroncanus*, *S. Iacobi Esterensis*, & *Bonæ auræ*, vulgò, *Buenos Ayres*. In horum vtriusq; Meditullio est recentior Archiepiscopatus, seù *Prouincia Limensis*, in ipso veteri & propriè dicto Regno Peruuiæ, eique iam subiecti sunt Episcopi suffraganei octo, videlicet, vt situs ordinem teneamus, *Panamensis* in isthmo, vnde Peruuiæ conquisitio initium habuit: Deinde post illum in terra continenti *Quitensis*, seu S. Frãcisci de Quito, & *Truxillanus*, omnes tres ad Septentrionem. Ad Orientem autem *Cuscanus*, & *Guamãganus*. Ad meridiem demùm *Arequipensis*, & *S. Iacobi Chilensis*, & *Ciuitatis Conceptionis*, quæ Imperiali, in eadem Prouincia, seù Regno Chilensi successit.

Recentior Prouincia Limensis.

Ita vt tota Meridionalis America, qua latè à Castellæ Catholico Rege possidetur, per nouam hanc distributionem habuerit Archiepiscopatus tres, (& nonnemo Limensi primatialis titulũ attribuit) & prætereà quindecim Episcopatus: & priores illi Episcopatus partim locis suis moti, partim nominibus mutati, & partim

Cathedralium Ecclesiarũ numerus & dispositio.

partim vti erant relicti,vel nouis Archiepiscopis subiecti sunt,& noui insuper erecti,vt nouum hunc censum cum antiquo illo conferenti facilè apparet, dempta *Brasilia* Lusitanorum ditione,& aliquibus regionibus adhuc barbaris, quæ à neutra Christianorum gente hactenus subiectæ fuerunt, tum ad Andium iuga,tum ad littora Maris Australis ad Septẽtrionem Archiepiscopatus Limani, & in *terra del fuego* ad orã freti Megallanici.

Propria Diœcesis Limanæ fines.

Propria verò noua Diœcesis Ecclesiæ Metropolitanæ, & Archiepiscopi Limensis, aut Ciuitatis Regũ, ad Septentrionem nunc extenditur vsque ad flumen *Santa*, per quod à *Truxillana* dirimitur. Ad Ortum verò vsque ad terminos Episcopatus *Guamangæ*,atq; inde in Austrum per fines conuentuum *Ycæ, Xauuiorum*, & *Xauxæ* ad limites Diœcesis *Arequipensis*, per spacium centum & triginta leucarum longitudinis: in quibus habet duodecim supra centum sæcularium Sacerdotum doctrinas, siue Parochias, & regularium septuaginta septem, id est, in tota Diœcesi Parochias centum octuaginta nouem. Cum autem amplissimæ illius antiquæ Diœcesis census annuus non admodum locuples fuerit,cum Toribius illuc peruenit,propterea quòd populus tùm nec decimas, nec primitias penderet,nec terra ipsa,propter bellorum vastitatem, adeò cultoribus frequens esset; ipsius tamèn bono regimine,ipse priusquã moreretur percipiebat annuatim põdo, vulgò pezos, seù ducatos trigesies mille. Et hodiè noua ista, ac duabus terræ tertijs minor Diœcesis reddit Archiepiscopo millia septuaginta, quæ, reliquis quotidie crescẽtibus, crescere iudicare possumus. Anton. à Leone in vita Toribij, ante annos viginti impressa, numerat in hac noua Diœcesi Ciuitates duas, *Limam* & *Legionem* Guanucanam, Oppida verò Hispanorũ sex, & Indorum decem, præter pagos & prædia rustica, quibus terra modò cultissima,& omnium bonarum rerum ferax vndiq; scatet. Ille oppida nominat, nobis numerum censuisse sat est.

Numerus Parochiarum.

Census annuus.

Ciuitates & Oppida.

Cap. X.

De persona D. Toribij Alphonsi Mogrouejí Archiepiscopi Limani, sequentium Monumentorum Authoris.

Nascitur eodem anno quo S. Carolus Borromæus

TOribius Alphonsus Mogrouejus *Maiorgæ* apud Legionenses in Hispania Nobilibus parentibus, D. Ludouico Alphonso Mogrouejo, Patriæ perpetuo Prætore, & D. Anna Robles Morani, natus est, anno Christi felicissimo, millesimo quingentesimo trigesimo octauo; qui nimirum & veteri nostro mundo Carolum Borromæum, secunda die Octobris in castro Arona ad Mediolanum protulit, & Orbi nouo Toribium, adiutorium ipsi simile, decima sexta proximè insecuti Nouembris: per quæ duo magna sidera sapientiæ & sanctitatis Deus Ecclesiam suam Catholicam Romanam,à Solis Ortu vsque ad Occasum nouo fidei morumq; lumine longè latèq; collustrauit. Qui, etsi tam procul distantes, & vix nomine forsitan sibi mutuò noti; tanta tamen actionum concertatione quadam,& concentu inter se conueniebant, vt

Rebus gestis eidem similis.

d non

non tàm casu, vel sibi non attendens vterque, quàm potiùs ex sancta quadam competentia, & proposita sibi alter alterius æmulatione virtutum, operari viderentur, tanquam duo poli ecclesiasticæ disciplinæ, ad quos alij vitæ suæ cursum collimare possent, vt in huius vitæ pelago sibi salubriter, alijs proficuè nauigantes ad æternæ vitæ portum feliciter perueniant, ac multos secum in cœlum trahant.

Eius educatio. Toribius puer domi, religiosa parentum cura, per adlectos præceptores ad pietatem insigniter educatus, anno circiter ætatis duodecimo Vallisoletum ad liberales disciplinas capescendas amandatus est: vbi illa ætate moribus maior videbatur, & ita modestiam iuuenilem cum animi constantia in tali ætate copulauit, vt non magis miteris in maturo viro ingenuum adolescentiæ pudorē, quam in adolescentulo Toribio animi sapientiā, & virilem in eius moribus maturitatem. à studiorum, pietatisq; exercitijs non illum diuertebant otiosæ deambulationes, non coætaneorum oblectamenta, in quibus tamèn cogente casu sic versabatur, vt dum conaretur non esse singularis inter socios, non imperio tamèn, sed facto, cæterorū fieret magister: talis enim virtus est, tantaq; vis exempli, vt silendo magis, quàm imperando dominetur, & prosit. Et vt litterarum gymnasia ludi vocantur, sic Toribius ludendo instruebat, miscēdo vtile dulci, in ore lac, & mel, in fronte pudor, in omni actione verecunda simul, & prudens moderatio: si quis quid excederet huius mēsuræ, ipse absque vllius offensione se subtrahebat periculo societatis. Et quanquam nemini daret vllam offensionem, ijs tamen præ cæteris se coniungebat, in quibus pietatis affectum cum studiorum diligentia coniunctum cernebat. In Ecclesijs frequens frequentabat sacramenta Christi, tanquam remedia præsentiū, & futurorum animi morborum antidota. Quod ientaculo, merendæq; dabatur, eo merebatur cælum, Christi pauperes quotidie pascendo: ieiunia interim præter Ecclesiæ præcepta sibi indicebat, his crepundijs præsagiens, quantus erat futurus maior. Sed singula referre plus quærit chartæ, quam hic nobis conceditur. Grauioribus studijs maturus, parentum imperio, quibus semper obsequentissimus erat, Salmanticam migrat, vbi discendis legibus easdem ponebat leges, dùm in eis apprimè doctus, vtriusque iuris doctoratus laurea donatus est. Hinc celeberrimi inter Hispanos Collegij Salmanticensis, quod Ouetanum S. Saluatoris vocant, socius conscriptus, inter collegas, eruditione, & pietate alioquin insignes, solus Toribius Monachus videbatur, & opus non rarò fuit artibus vti, vt à prolixa oratione, à solitudine, & corporis maceratione sibi temperare suaderetur. Suæ postmodum ætatis anno trigesimo septimo, nil minus cogitans, &, re cognita, nihil magis expauescens, Fidei Quæsitor ad Granatenses creatus est. *Fit Inquisitor Granatensis.* In eo munere tanto zelo & prudentia, tanta doctrinæ & pietatis, tanta moderationis, æquitatis, & iudiciorum integritate præcelluit; vt dum iustè & piè plecteret, si quos reperiebat, Catholicæ fidei censura dignos, non minus corporis sui, vt consueuerat, in obsequio spiritus & virtu-

virtutis continendi studio,& acri castigatione seuerus fuit.

Fama clarescit. Cùmque Neophitis in fidei dogmatis, & Christianæ pietatis documentis prouehendis gnauiter incumbens, reliquos latère se crederet; vt virtus quo maior sui celatrix, eo maior etiam sui præco est: sic Toribij Mogroueji virtutum, & morum sanctimoniæ fama per omnem Hispaniam percrebuit. Vacabat eo tempore in Australi America per annos circiter sex Metropolitana sedes Limensis, quam plures interim sibi expetebant, & reipsa accepit, expeditis etiam Pontificijs Diplomatibus, Didacus Gomesius à Madriz, qui cum deinde, priusquam nauigasset, ad Pacensem in Hispanijs Ecclesiam, vulgò, *Badajoz* translatus esset, & summi momenti prouisio Limensis *Inscius ipse fit Archiepiscopus.* in Madritensi rerum Indicarum Senatu diù multumq; inscio Toribio, discuteretur, Philippo II. Regi nemo candidatorum dignior Mogrouejo visus est, quem ex Neophitorum in Hispania pio, prudenti, zelantique Quæsitore, Neophitis Indis Archiepiscopum præficeret, seù ad id muneris summo Pôtifici præficiendum proponeret. Et res è Regis animo, plaudentibus cunctis, sed plangente Toribio, successit; qui animæ suæ ad cœlestes fructus excolendæ maiori cura, quam vlterioris vllius dignitatis, nedum talis ac tantæ gentis in remotissima Orbis regione regundæ cogitatione tenebatur: obsequi tamen oportuit & Regis, & Romani Pontificis authoritati.

Limam appellit. Anno igitur Christi 1581.& ætatis Toribij 43. die 24. Maij solemni pompa in Ciuitate Regum, Limæ exceptus, Archiepiscopatus possessionem in Cathedrali templo iniuit, ac tripudiante populo,& ad tam optati Præsulis aduentum exultante Clero, ille non honores, sed onus animo reuoluebat, eaque in Ecclesiæ suæ regimine deinceps fecit, quæ *Magna in Præsulatu præstitit.* publicis nunc documentis consignata sacrorumq; Rituum Eminentissimis Iudicibus exposita, pro solemni ipsius apotheosi à Romano Pontifice obtinenda sufficere sperantur. Quòd si reliqua defuissent, ipsius animi candorem, cultus diuini zelum, atque Ecclesiastici ordinis disciplinæ, splendoris, & animarum salutis, enixum studium non obscurè, tanquam in speculo, demonstrant ea quæ in sequentibus prouincialibus *Eius Constitutiones.* ac Diœcesanis Synodis, Edictis generalibus, Ceremoniali Ecclesiastico, & vtroque Catechismo docuit, & constituit: quæ purissimæ illius mentis, & verè pastoralis animi simulacra sunt, non minus, quã sua similia S.Caroli Borromæi, nec nisi prudentem zelum & sanctitatẽ vbiq; spirãt: & meritò magnam venerationem à conditoris doctrina, & vitæ sanctitate sibi vindicant, eamque adepta sunt, vt non in Limensi tantùm nunc arctiori Prouincia, sed in vniuersa ferè Meridionali America, in plures nunc Prouincias diuisa, ac etiam in Brasilia religiosè seruentur, ita vt, quod author vitæ Toribij notauit, non tam prouincialia quam [a] *Nationalia meritò dici possint*, nec vnius quidem, sed plurium Nationum.

Notæ in Apparatum Hiſtoricum.

CAp.1. ª *Primi Nomenclatores.* Accedit Ioan. à Solorzano Pereira de Indiarum Iure tom. 1. lib. 1. cap.8. num.27. *Alterum autem Mare ab Occaſu hunc Nouum Orbem interluens, ideò Auſtrale appellatur, quoniam poſtquam Blaſius Nuñez de Balbao primum illud poſt Panamenſem tractum detexit,eo noſtri nauigare cœperunt, quouſque lineam æquinoctialem tranſgreſſi, & in alterum Hemiſphærium delati, Septentrionis ſtellas, & Arcticum Polum à ſuo conſpectu amiſerũt, & pro illo Antarcticũ nacti ſunt: qui Auſtralis etiam ab Auſtro vento, ex ea parte perflante, vocari ſolet,* & inferiùs n. 29. *Pacifici quoque nomẽ idem mare vſurpat, quod ei à Ferdinando Magallanio impoſitum fuit, eo quod tranquillum & pacatum vt plurimum ſit, & per ingens ipſum pelagus naues, vt per placidiſſima flumina felici & indeſinenti aura vehantur.* Mar del Zur, idem eſt quod mare Auſtrale, quo vocabulo Hiſpani efferunt auſtrũ, ad imitationem Septentrionalium Europæ noſtræ nationum, à quibus,vt idẽ Solorzanus eodem loco notauit, Hiſpani ventorum nomina didicerunt, quorum aliqui vt Belgæ, Auſtrum, *Zuyden*, Angli *South*, Galli *Su*, & *Sud* vocant.

Cap.1. ᵇ *Tierra del fuego*, id eſt,Regio ignis. Non ſic dicta, (ne quis ſuſpicetur)quod ſub torrida Zona iaceat, vbi veterum opinione, quam compertiſſima experientia ſatis ſuperque correxit, nemo præ nimio æſtu habitare poſſit: ſed quoniam cum Ferdinandus Megallanius Fretum,quod ab ipſo Megallanicum dicitur, omnium Noſtratium primus ingreſſus eſſet,anno Chriſti 1520. multos ignes ex ea regione noctu vidit, ideò *Tierra del fuego*, ſeu Ignis Regionem eam vocauit, vt in Deſcriptione Indiæ Occident. narrat Ioan. Laëtus lib.13.cap.4.& Ioan.Blaeu in Atlante, vbi de Freto Megallanico.

Cap.2. ª *Octodecim leucis tranſuerſam Iſthmum.* Laëtus lib. 8. cap.1. *Vbi arctiſſima inter Panamam Vrbem & Portũ Belum tantum octodecim, idq; ratione iterum inita, quæ impeditiſſima & tortuoſiſſima ſunt: nam ſi recta ratio ſecundum cœli menſuram ineatur, vix ſeptem aut octo leucæ inter ambo maria interſunt, vt ab Acoſta eſt obſeruatum,& altitudines locorum euincunt. Solum maxima ſui parte montuoſum atq; aſperum; vbi autem paulùm ſubſidet, crebra vligine, altoque cœno impeditiſſimum.* Quanta igitur itinerantium fatigatione, & aliis incommodis, quanto mercium, vel perdendarũ, vel lædendarum diſcrimine hæc via peragitur: quanto etiam hominum & iumentorum vitæ periculo, ſequẽs Toribij noſtri caſus demonſtrat, quem ſic in eius vita lib.1.cap.8. narrat Cyprianus de Herrera. *Sed quæ pericula inter vtrumq; mediant mare per terram in ſpatio ſolum viginti leucarum? Ingentes ſuperandæ foſſæ, quæ aquarum montanis iugis, magna vi dilabentium cum fluctibus, vbi oppletæ,alueum ſuum deſeruere? Haud facilè dictu eſt, quantum traijcientibus periculum minitatur. Inter has foſſas, & inter flumina tria, & magna iter faciebat,Toribius per terram ſaltuoſam, & lacunoſam, multis in locis præciſam, & in obiectis vadis periculoſam, vel nautagabat; & illud quod* Chagre *vocant,noſtrum profectò nobis abſtuliſſet Antiſtitem, niſi illi cœleſtis manus adeſſet. Nam in foſſis quædam immanium ferarum creatur ſpecies ferox (quas Indi appellant* Caymanes *vel* Crocodillos*) quarum vis,moles,truculentia tanta eſt,vt non hominum ſolùm, ſed & taurorum in continenti (ſi quos cõſpiciant) viua corpora abripiant in profundum vadum, ibiq; præfocatis profundiſſimæ voracitatis ingluuiem ſaginant. Hunc igitur Toribius dum traijcit, equo,vel mula, qua vehebatur, calcitrante in profluentem excutitur: nec mora,ex huiuſmodi monſtris duo ad prædam caſu ſuo excitauit, quorum truci aſpectu, plus quam caſu conſternatus;vbi nihil ad ſalutem aliud ſibi ſupereſſe animaduertit, niſi vt Dei liberatoris fidem, auxiliumq; imploraret,pijs ad eum precibus fuſis, ita præſens expertus, vt ne mergi vadis, nec tangi à belluis potue-*

potuerit, diuina sic prouidentia disponente: nam cum ad edomanda monstra Dei seruus processerit, & ad Peruuiam Christianis moribus, & doctrinis imbuendam, in huiusmodi conflictu, armis suarum orationum victoriam primam de feris reportauit noster bellator strenuus.

Sed, vt obiter dicam, numquid pericula hæc & incōmoda vitari possent facili forsitan, si cum vtilitate compararetur, opera, eademque arte, per quā vt Ludou. Guicciardinus ait, in inferioris Germaniæ descriptione generali pag. 14. illarum Regionum Indigenæ fluminum suorum ac torrentium adminiculo effecerunt, deductis opere manuum per multas leucas canalibus, vt omnes vrbes & oppida, tum & alia alicuius momenti loca biremibus minimùm nauibus possunt adiri, ac merces eo commodè subuehi: & qua Ferdinandus Curtesius liburnicas suas ad Mexici expugnationem in lacum suauissimè demisit, per quas deinde res maximas præstitit. Sunt in hac Isthmo, inter Panamam ad mare Pacificum & ex aduerso, mare nostrum Atlanticum, flumina duo, quorum alterum indigenis *Chagre*, Hispanis autem *Rio de lagartos* vocatur, quod tredecim leucis à Portu Belo in Arctum Oceano nostro illabitur, cuius nauigandi commoda, incommoda, & horum remedia habet Laëtus lib. 8. cap. 7. Huic non magno ambitu illabitur alius fluuius dictus *Pegui*, à quo non amplius duabus terræ leucis distat alius, quem *Chiepo* vocant, & qui in sinum Panamensem labitur, quinque circiter ab ipsa Ciuitate leucis. Cur igitur effossis illis duabus inter *Pegui* & *Chiepo*, leucis, factoque canali, totum iter leuioribus cymbis parari non possit. Hæc indicare libuit, sed rem attentiùs considerabunt, qui plus intelligunt, & in re tanti momenti commodis, incommodisq; suis prospicere debent. Iuuat autem legere Laëtum illo cap. 7. & in fine 6. atq; in Tabula Geographica Præfecturæ Panamensis: Nam simile quid Ioannis Bapt. Antonelli suasu iam attentatum, & parti saltem rerum iam prospectum esse narrat. Et forsitan ex ipsis fluuiorum vectigalibus, non longo temporis tractu, sumptus omnes resarcirentur, & summum fieret Europæis, Peruuianisq; & perpetuum beneficium.

Cap. 3. [a] *Vicuñarum greges, Guanaci, & Paci.* Horum Animalium descriptio apud Laëtum, ex Iosepho Acosta prolixior est, quam quæ breuibus notis cōuenire videretur: sed quia Lectorum eruditioni & voluptati non parum deseruit, eam omittere minimè visum est: Sic igitur apud Laëtum lib. 10. cap. 4. loquitur Acosta.

Peruuia nihil habet præstantius, aut vtilius, quam pecus, quod nostri quidem oues Peruuianas, ipsi verò sua lingua *llama* appellant; nam & plurimum emolumenti adfert, & vilissimo alitur. Hoc pecus ipsis lanam ad vestimenta, haud secus quam nobis oues subministrat: ijsdemq; pro iumentis ad onera quæque baiulanda vtuntur: nec soleis ferreis munire, nec freno regere, aut auena alere necesse est, gratis domino suo seruit, herbis campestribus & passim obuijs contentum. Sunt autem duæ huius animantis species; vna quæ lanigera est, & *Paco* ab Indigenis dicitur: altera, quæ leuibus tantum villis recta & penè nuda, ideoque ferendis oneribus aptior, quæ *Guanaco* appellatur. Ouibus paulò maiores sunt, minores tamen iuuencis, collo oblongo instar camelorum, altis cruribus & corpore bene compacto, varij coloris: quædam enim sunt candidæ, quædam nigræ, quædam fuscæ, quædam denique versicolores, quæ *Moromori* appellantur. Caro illorum bona est, licet spissior, agnorum autem longè optima & delicatissima: rarissimè tamen mactantur, quia longè maiorem vsum baiulando præbent, & vt lana ipsorum lanificio seruiat: Hanc Barbari purgare, in fila ducere, & ex ijs pannos texere consueuerunt. Lana autem duplicis est generis, vna rudior & vilior, quā vocant *Hauasca*, altera tenuior & absolutior, quam vocant *Cumbi* (*Garcilasso Compi*) ex hac posteriori varia aulea & peristromata elegātissimo texūt opere, quæ in longum tempus durant, & splendore certant cū serico: & quod

mirum in Barbatis, telas suas ita concinnant, vt ab vtraque parte elegantia penè par, nec tela, nec subtegmen vsquam appareat. Antiqui Peruuiæ Monarchæ complures operas cumbo texendo alebant, quorum præcipui artifices degebant *Capachicæ* ad oram lacus *Titicaca*. Lanas autem hasce tingebant varijs herbarum succis, prout operum ratio exigebat. Cæterùm pletique Barbari Peruuiæ hanc textoriam percallent, atque in tugurijs suis habent instrumenta ad hanc artem comparata; & ex hisce ouibus pleraque ad vitam humanam necessaria sibi sufficiunt. Longè autem maximus horum animalium vsus in oneribus ferendis; horum enim nonnunquam trecenta, interdum & mille gregatim, varias merces, vini vuas, Cocam, Mayzium, Chunno, argentum viuum, ad Potosianas aliasq; fodinas & oppida subuectant, inque eundem modum argentum à *Potosia* nunc *Aricam* LXX. leucarum itinere deportant, vti ante hàc *Arequipã* leuc. CL. Sæpè autem, inquit, miratus sum, horum Animalium greges, interdum mille, nonnunquam duobus, & non rarò tribus millibus laminarum argenti, quæ trecenta millia ducatorum valerent, onustos, paucis tantùm Barbaris qui viam demonstrant, & onera imponunt atque deponunt, & vix vno aut altero Hispano comitatos, sub dio pernoctare, & incustoditos atque indefensos cum tanto thesauro iter facere, idq; tam tutò, vt vix vnquam vel vna lamina desideretur, ea est viarum in Peruuia securitas. Onus illorum singulorum sunt centum, & nonnunquam centum quinquaginta libræ, quæ ob itineris longitudinem tres, aut ad summum quatuor leucas quotidie portant. Ductores autem suas stationes norunt, vbi & pabulum pecori, & aqua abundat; hic tentoria sua figunt & onera deponunt. Quum verò vnius tantum diei iter faciendum, vel ducentarum librarum onus ferre, vel octo aut decem leucas promouere possunt. Hæc animantia cælo gaudent magis algido quam feruenti, ideoque in montanis in immensum propagantur, in planis præ nimio æstu deficiunt. Caluum pecus, (siue *Guanaci*) vernili & blando est intuitu, sæpè inter gradiendum subsistit, & longo tempore prætergredientes, sine vlla timoris aut voluptatis significatione, erecto collo tam attentè intuetur, vt risum tenere perdifficilè sit: nonnunquam tamen tam subito terrentur, vt cum onere suo ad præcipitia montium summa velocitate se subducant, ita vt sclopeti ictu occidere necesse sit ne onus pereat. *Paci* quoque interdum ita efferantur, vel laboris intollerantia defatigantur, vt cum onere humi procumbant, neque minis neque verberibus adigi possunt, vt resurgant, vnde in Peruuia prouerbio vsitatur, de hominibus propositi nimis tenacibus, aut præter rationem atq; modum obstinatis, *impacatos esse*. Huic malo nullum præsentius remedium, quam vt ductor vnà subsistat & iuxta animal considat, blanditijsque tantisper permoueat donec spontè resurgat. Scabies quædam hæc animalia infestat (& potissimum infestare cœpisse scribit Garcilassus, cum Vascus Nonius Vela pro Rege huic Regno præesset) quam barbari vocant *Carachen*, quæ non modo illi quod cœpit, lethalis est, sed & contagio serpit in gregem, vnde penè vnicum remedium est, scabiosum pecus statim sub terram defodere; Garcilassus tamen scribit varia remedia tentata, tandem potissimum fuisse deprehensum, adipe suilla tepida partes affectas inungere. Pretium vniuscuiusque animalis pro Prouinciarum diuersitate diuersum est; sed barbarus qui bina ternaue possidet, satis locuples existimatur. Scribit ad hæc Garcilassus, Peruanos ante Hispanorum aduentum non habuisse rationem lactis horum pecorum, quod sanè dant perparcè, neque vltra quam fœtibus lactandis sufficiat, neque consueuisse caseos ex illorum lacte premere: lac autem ipsorum idiomate dici *Numnu*, quod & verbi formam induat & significet lactare.

Præter hoc domesticum & familiare pecus, siluestria aliquot animalia nutrit Peruuia, quæ in alijs noui Orbis parti-

partibus haud facilè videre est, prætet-quam in Chile huic contermina. Eorum aliqua dicũtur *Guanaco* siue *Huanacu*, à quorum similitudine domesticas pecudes dictas supra retulimus; cuius carnes bonæ sunt, vt ait Garcilassus, licet non tantum quantum domesticæ *Huanacu llama*: mares in summis collibus veluti excubias agunt, tantisper dum fœmellæ in vallibus pascũtur, & quum homines è longinquo aduertunt, hinnitum edunt penè ad equorum modum, vt fœmellas moneãt; qui si propiùs accedant fœmellas fugiendo ante se agunt: lana horum animalium curta est, & asperior, nihilo tamen seciùs in lanificio à barbaris vsurpatur; decipulis & laqueis solent capi. Alia dicũtur *Vicuñe*, capreis haud admodum dissimilia, nisi quòd cornubus careant, & maiora sint, colore leonino vel magis rutilo; degunt in altissimis montibus & saltibus, amantq; regiones frigidiores, potissimum autem solitudines quas Peruuiani vocant communi nomine *Punas*, neque niuibus aut gelu offenduntur, sed potius recreantur: incedunt gregatim, curruntq; velocissimè, atque ad hominum aut aliarum ferarum conspectum, ea est animalis timiditas, statim in auia atque abdita sese proripiunt. Olim maxima horum animalium hic erat frequentia, nunc ob promiscuam venandi licentiam rariora sunt. Lanam gestant tenuissimam, & serici, vel potiùs castoris pilorum æmulam, quam meritò magni faciũt indigenæ; nam præter alias dotes, etiam æstui resistere, & refrigerare creditur; vndè pileis imprimis adhibetur.

His proximè accedunt *Taruge* siue *Taruca* vicuñis maiores & velociores, colore magis ambusto, auribus pendulis & leuibus, quæ rarò gregatim, plerumque singulæ inter præruptas petras vagantur. Garcilassus dicit ceruorum speciem esse, sed minorem Europæis. Innumeri hic fuerunt tempore *Yncarum*, ita vt ipsa municipia ingrederentur; nec defuerunt hinnuli & damæ.

Ex omnibus hisce animalibus lapides eximunt quos *Bezaar* vulgò vocant, ex Pacis quidem & Guanacis minores & nigriores, nec tam probati in in medicina vsus; è vicuñis autẽ paulo maiores & meliores, fuscos, aut subcinericeos, aut denique croceos: E Tarugis denique omnium optimos & maximos, coloris subfusci, & tunicis crassioribus.

Cap. 3. [b] *Coca* de qua Laëtus lib. 10. cap. 2. Inter plantas denique Peruuiæ peculiares eminet *Coca* vel *Cuca*, quam penè superstitiosè colunt, tantique faciunt, vt incredibile videatur. Hanc Monardes ita describit: Planta est vlnæ magnitudine, folijs myrti paulò maioribus, (quæ veluti aliud folium simili forma in meditullio delineatum habent) mollitiùs, & dilutiùs virentibus: fructu racematim cohærente, vti myrti fructus, rubente quando maturescit, eiusdemque magnitudinis, quando verò plenam maturitatem adeptus est, nigricante: tum verò herbæ est messis, quæ collecta in canistris alijsq; rebus ad exsiccandum reponitur, vt melius conseruari, & in alias partes transferri queat; nam è montibus in alios montes trãsfertur mercimonij gratia, proque alijs mercibus commutatur, vestibus, gregibus, sale, & alijs rebus, quia illis pro pecunia est. Præterea vulgaris illius est vsus apud Indos, tum ad eas res quæ ad iter necessariæ sunt, tum quæ ad voluptatem in suis ædibus seruiunt, hoc modo: Conchilia aut ostreorum conchas vrunt, & calcis modo comminuunt, folia deinde Cocæ dentibus atterentes subinde puluerem illum admiscent, & simul quasi fermentant, vt tamen minor sit calcis quam foliorum quantitas: ex hac massa trochiscos siue orbiculos cõficiunt & siccandos exponunt. His & domi & iter facientes vtuntur, eosque ore versant & exugunt, atque famem sitimq; sibi leuari, & vires sustentari asserunt. Acosta quoque prolixè illius meminit, atque inter alia commemorat superioribus seculis sub Incarum Imperio, haud quaquam vulgo licuisse, hanc herbam vsurpare sine Regis aut Ministrorum illius licentia. Hodiè

autem

autem in sola *Potosia* tam ingentem huius herbæ copiam ab incolis consumi, vt precium ad quingenta millia ducatorum ascendat; nonaginta quippe & nonnunquam centum millia canistrorum inferri, quorum singula in *Cuscensi* quidem oppido duobus aut tribus Regalibus, in Potosia verò quinque veneant. Blasius Valera apud Yncam Garcilassum scribit, Arbusculam esse proceritate & crassitie vitis, parcis ramulis, sed copiosis frondibus, neque inodoris: Addit *Garcilassus*, esse proceritate corporis humani; & instar vitium propagari; folium illius & quoad superficiem & quoad pediculum simile esse Arbuto (Hispan. *Madroño*) sed multo tenerius & delicatius: quod cautè decerpendum sit, ne nouum germen lædatur, & siccandum modicè, ne præ nimia siccitate in puluerem abeat, aut humiditate situm contrahat; decerpi denique ter quaterue quot annis. Tanta molestia in ea excolenda afficiebantur Indi vt de ea extirpanda cogitatũ sit de quo Act.5.sequentis Concilij I. prou. cap.1.

Cap. 3. [c] *Platani, Paltæ, Lacumæ*. Platanus nostras arbor ingens vmbræ magis, quam fructui ferendo vtilis est. vnde Virgil.2. Georg.

Et steriles Platani malos gessere valentes.

Sed in Peruuia fructum maturat; alia ergo hic, alia ibi est, de qua sic Laet. lib. 10. cap. 3. In vastis illis montibus, quos Hispani vocant *Andes* & *Garcilassus Antis*, plures crescunt Plantæ, quæ optimos fructus ferunt: inter quas celebrantur *Platanus*, vt appellatur ab Hispanis, ob causas incertas, nam nihil commune habet cum Platano Europæorum: sed potius similis est palmæ tam forma, quam magnitudine foliorum; quæ tàm grandia habet, vt totum hominem à capite ad talos cooperiat. Est autem planta (vt scribit Acosta) quæ surculum facit intra solum, è quo plures erumpunt stolones singulares, qui in molem excrescunt arboream, eduntq; folia iam dicta, latè virentia & leuia: è quibus enascitur racemus, qui constat interdùm pluribus interdùm paucioribus fructibus, (numerati interdùm trecenti) palmum plus minusue longis, & duos digitos aut circiter crassis: Demitur facillimè cortex, superatq; medulla tenera, edulij salubris, & boni nutrimenti. Solent hunc fructum viridem decerpere, & in vasis quibusdam sub folijs certis maturare, sed ad arborem maturus factus, magis gustosus est & odoratus. Dant fructus omnibus anni mensibus, nam è surculo surgunt continuò noui stolones, ijs qui iam fructum dederunt succedentes, qui statim amputantur, siquidem non nisi semel fructum ferunt singuli. Requirunt solum humidum & cœlum feruens. Reperitur hæc planta magna copia in India vera, atque Affrica, vbi varia obtinet nomina, de quibus videndus Garzias ab Horto, & passim in calidioribus Americæ regionibus: Qui plura desiderat adeat Ouiedum. Iconem fructus dabimus in Brasiliæ descriptione, vbi *Pacouere* vel *Bacoua* appellant.

De *Paltis* verò & *Lacumis* idẽ Laet. initio eiusdem cap.10. Fructus, quos Hispani, ob similitudinem coloris & formæ, vocant *pyra*, ab indigenis vocantur *Palta*, à Prouinciæ nomine vbi copiosè nascuntur: excedunt ter quaterue mole pyra Europæa corticem habent tenerum & leuem, medullamqne quæ digiti transuersi crassitie ambit, officulum eiusdem formæ cum fructu, quod an vtile sit nec ne, non constat, caro autem siue medulla iam dicta optimi est saporis, salubrisque, ita, vt etiã ægris præbeatur cum saccharo. Reperitur hic & alius fructus, quam Barbari vocant *Ruema* & Hispani *Lucma*, sapore magis dulci quam agro aut amaro; nec insalubris, licet grossior cibus æstimetur: Forma & mole accedit ad aurantia mala communia; intra medullam continet ossiculum (vel, vt alij, duo) valde simile castaneæ, tam colore corticis, quam albedine ipsius nuclei; qui amarus est, & cibo inidoneus.

Cap.3. [d] *Arroba Carnis*, Hispanicum ponderis nomen, valetque libras viginti-

ginriquinque, quarum quælibet ponderat vncias sexdecim, non, vt alibi, duodecim.

Cap. 3. [e] *Coruina*. Piscis marinus, dicitur esse similis Romanæ Spigolæ de qua fusè Rondelerius lib. 9. cap. 7. quem dicit esse *lupum* piscem & Romanis vocari etiam *Lupasso*, Liguribus *Louazzo*, Venetis *Varolo*, solis Hetruscis *Aranco*, Hispanis *Lupo*, Gallis *Lubin*, pro *Lupin* à Lupo.

Chita, est instar Auratæ Europeæ, de qua idem Rondelet. lib. 5. cap. 2. vbi de eo multa. Et nominis ratione apud omnes Europæos ex aureo colore ferunt refert, non rotius, vel magnæ partis corporis, sed tantum circa oculos loco palpebrarum & superciliorũ, in ijs maximè qui ætate processerunt. Vterque tam *Chita* quam *Coruina* sapidus & salubris est.

Anchoua. De his Rondeletius de piscibus lib. 7. cap. 4. vbi *Encrasicholos* vocat, ac deinde: *Encrasicholos esse existimamus quos nostri cum prouincialibus Anchouas appellant. Pisciculi sunt digiti magnitudine, aliquando paulò maiore*. Et cæterùm illos describit quales in Italia cernuntur, quos Romæ *Halici* vocant salsos, vel recenres *sardelli*, sed Hispanici delicatiores, molliores & suauiores sunt. In Parria illos vidi secundis mensis inter bellaria apponi ad ciendum gustum vini, & crudi cum oleo eduntur, ad spinam dorsi per medium diuisi, & stellatim, seu radiatim in lancibus dispositi.

Boniti Thunni speciem referre dicunt, qui vtrosque viderunt. sed an forte sunt quos Rondelet. lib.8.cap.8. græco nomine Amias vocat, & à Gallis suis, Hispanisque *Byzas*, ab alijs *Boniton* appellari refert. Est, inquit, Amia piscis marinus pelamaydi, vel Thũno, vel Scombro corporis specie, pinnis, cauda similis. pingues sunt & molles Amiæ suauesq; & gregatim vt Thũni viuunt. Cæteri pisces hic nominari Lingulacæ, Rayæ, nostratibus notissimæ sunt.

Cap. 3. [f] *Hanega & Fanega*. Frogum mensura est, & continet tres circiter quadrantes Rubij Romani, & põdere arrobas Hispanicas viginriquinque, seu libras sexdecim vnciarum quingentas plus minus, iuxta qualitatem frugis, quæ plus, quæ minus ponderat.

Cap. 8. [a] *Rio de la plata*. Hoc est flumen Argenti, non sic dictum, quod flumen ipsum Argenteum sit, vel vt non nemo intellexit, quod argenteam arenam trahat, sed quia, cum Anno Christi 1527. Didacus Garsias Lusitanus, post alios exploratores in id per multas leucas penetrasset, nonnihil argenti à barbaris accepit, flumen argenti ipsum vocauit. Est autem ingens fluuius cuius æstuatium triginta duas leucas latum patet, interiùs autem decem circiter leucas latitudinis habet, & insulas multas, innumerosq; ferè ex Peruuia, Chile, & Brasilia fluuios in se recipit. Ab Indigenis autem in aliqua parte *Paraguay*, alicubi *Parana*, id est Pelagus, & *Paranaguaru*, id est, magnum mare appellatur. Sed adeò inualuerũt illa duo nomina barbarum *Paraguay*, & Hispanicum *Rio de la plata*, vt Prouincia ipsa nũc ab vno, nunc ab altero nomen promiscuè sortita sit. Habet autem ab Oceano Atlantico, in quem se exonerat, vsque ad vastissimum lacum quem *de los Xaraues & Puerto de los Reyes* appellant, vnde fluuius originem habere censetur, leucas longitudinis circiter trecentas aut forte plures.

Cap. 9. [a] *Quanta difficultas, &c.* Eam sanè satis indicat vel sola distantia Cathedralium Ecclesiarum Suffraganearum à Metropolitana Limensi, quam Ant. à Leone hoc modo meritur cap. 6 vitæ D. Toribij. Cathedralis *Quitensis* distabat leucis ducentis. *Popayana* 300. *Cuzcensis* 150. *Argentinensis de la Plata* 300. *Tucuman* 500. *Paraguay* 600. *S. Iacobi Chibensis* 400. per mare, *Imperialis* 500. etiam per mare. *Panama* quoque per mare 400. *Nicaragua*, per mare pariter 600. Quæ sola distantia indeq; pendentes difficultates & pericula Archiepiscopum à cogendo Concilio deterrere possent, & Episcopos à parendo præpedire. Et manifesta causa fuit, prouinciam vt postea factum

ctam est, in plures diuidendi.

Cap.10. 2 *Nationalia meritò dici possint*. Hanc obseruantiam Canonum Serui Dei D.Toribij, Anton. de Leone in eiusdem vita cap.6. & in quæst. morali de Chocolate par.2. §. 4. n.17. sic exprimit. *Eius Decreta recepta sunt, non solum in decem Episcopatibus Suffraganeis, qua tunc parebant Archiepiscopatui Limensi, sed etiam in alijs septem Episcopatibus, quæ sunt Pacis, Barrancæ, Guamangæ, Arequipæ, Truxilli, Fluminis argentei ex Paragayano exciso, & Conceptionis Chilensis, qui Imperiali successeras. Et in alijs, vt in Metropolitano Noui Regni Granatensis & suis Suffraganeis, Popayanensi, Carthaginensi & S. Marthæ, & in Nicaraguano, qui tunc erat Suffraganeus Limano, quamuis hodiè Mexicano pareat: ita vt hoc sacrum Concilium à D. Toribio Alphonso Mogrouejo dispositum, ordinem & normam in rebus Ecclesiasticis dederit tribus Archiepiscopatibus, & Episcopatibus septemdecim, in quibus omnibus etiamnum obseruatur.* Sed plures Episcopatus postquam scripsit hic author, erecti sunt, in quibus primum hoc Toribij Conciliũ obtinuit; adeò omnibus placuerunt eius Decreta, & executoriales litteræ Regis totam illam Terram comprehẽdunt, quia tota terra in rebus Ecclesiasticis vni Archiepiscopatui Limensi, & in temporalibus vni, vti hodiè, Proregi subiecta fuit.

CON-


D. TORIBIVS ALFONSVS MOGROVEIVS ARCHIEPISCOPVS LIMANVS
Vir Sapientia, et morum Sanctimonia conspicuus, in aduersis constantiam, in prosperis moderationem, in reliquo regimine prudentiam, iustitiam, et charitatem consilijs adhibuit. Veteris Ecclesiæ Vigorem nouo rigore Præsul irreprehensibilis restaurauit. Quid enim mali facere, quid ommittere boni potuit? cui, timore pariter, et amore perpetuo, uitæ totius enauigandæ stella polaris fuit hæc perfectionis Christianæ summa: OMNIA FACERE VT EXPEDIT, EXONERARE CONSCIENTIAM, ET DEO DIGNE SERVIRE. Signis, et uirtutibus clarissimus obijt die 23. Martij, Anno Christi 1606. Aetatis suæ 68. pont. 25.

CONCILIVM PROVINCIALE LIMANVM PRIMVM:

Per Sedem Apostolicam approbatum.

QVOD

Gregorio XIII. Romano Pontifice, & Philippo II. Rege Hispaniarum, & Noui Orbis Domino celebrauit

D. Toribius Alfonsus Mogrouejus, Archiepiscopus Limensis in ipsa sua Ciuitate Lima, Anno Domini MDLXXXIII.

PRIVS iam diximus Toribium, accepta Possessione Archiepiscopatus, per literas conuocasse Suffraganeos Episcopos, aliosque, quorum adesse intererat, dum suam interea Diœcesim visitaret: Sed nec Edictum Conuocationis, neque quid in primo concessu præfatus ad Patres fuerit Archiepiscopus reperire potuimus. Coniectari tamen possumus, ea eiusmodi fuisse, qualia ad cætera Concilia, & Synodos Diœcesanas infra producemus: Concilium autem ipsum eo verborum tenore transcribimus, quo per Sedem Apostolicam approbatum fuit anno 1610. & Madriti impressum anno 1614. Ad calcem autem eius ostendemus, in quibus hic tenor ab ipso Originali Limensi iudicio Sacræ Congregationis, Summiq; Pontificis authoritate mutatus fuerit. Quò etiam cætera coniecimus, quæcumq; reperire potuimus ad ipsius Concilij ampliorem authoritatem comprobandam.

ACTIO PRIMA

Celebrata in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Regum, die xv. Augusti, anno M.D.LXXXII.

IN Nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Sancta Synodus in Vrbis Regiæ Prouinciæ Peruuianæ Cathedrali Ecclesia, B. Ioannis Apostoli & Euangelistæ Titulo consecrata, ex præscripto sacrorum Canonum, præsertim Sacri Concilij Tridentini auctoritate, S. D. N. Gregorij XIII. Romani ac Summi Pontificis voluntate, etiam cupiente Catholico atq; inuictissimo Rege nostro Philippo II. Hispaniarum & Noui Orbis Domino, ad fidei exaltationem, & nouæ Indorum Ecclesiæ vtilitatem, Clerique ac populi Christiani Ecclesiasticæ Disciplinæ congruentem reformationem ritè, ac legitimè congregata, præsidente in ea Illustrissimo, ac Reuerendissimo *D. Torinio Alphonso Mogrouejo*, Archiepiscopo Metropolitano, præstante excellenteq; admodum viro,

Sess. 24. cap. 2. de reform.

Cur celebratum hoc Concilium.

Quinam interfuerint.

ro, Domino Martino Henriquez, Peruani huius Regni Pro-Rege, locum securum, ac tutum reddente ipsi Concilio, ac simul conuenientibus Reuerēdissimis Patribus ac Dominis, Domino [b] *Fratre Antonio de Sancto Michaële*, Episcopo Imperialis Ciuitatis, Domino Doctore [c] *Sebastiano Lartaun* Episcopo Cuzqueñ; Domino Fratre [d] *Didaco de Medellin* Episcopo Sancti Iacobi Chilēsis, Domino Fratre [e] *Alphonso Guerra* Episcopo Fluminis, quem dicunt *de la Plata*. Tum etiam Senatu Regio, & Procuratoribus Ecclesiarum, & Clero huius Metropolis, post solemnem processionem ex D. Dominici Templo in ipsam Cathedralem, magno populi concursu, & lætitia factam, ac missarum solemnibus per Illustrissimum Archiepiscopum celebratis; concione quoque habita per Reuerendissimū Episcopum Imperialis, die decima quinta Augusti, gloriosissimæ Virginis Deiparæ Assumptioni sacrata, Anno millesimo quingentesimo, octuagesimo secundo, imprimis Concilium prouinciale legitimè inchoare, atque inchoatum esse Patrum vnico consensu declarauit.

Decretum inchoationis.

Deinde Sacrosancti Concilij Tridentini decretū de celebrandis Concilijs prouincialibus recitatum est, cuius initium est. *Prouincialia Concilia sicubi omissa sunt, &c.* Eiusdemque Concilij aliud decretum de recipienda Vniuersali, & Oecumenica Tridentina Synodo, cuius initium est, *Cogit temporum calamitas.* vsque ad finem.

Concil. Triden. sess. 24. c. 2. de reform.

Acceptatio Sac. Conc. Trident.

Concil. Triden. sess. 25. c. 2. de reform.

Mox antiquorum Patrum exemplum atque auctoritatem sequuta Synodus Fidei Catholicæ professionem, tanquam omnium rectè agendarum rerum optimum fundamentum ante omnia præmittendum cēsuit. Itaque iuxta formam præscriptam Constitutione sanctæ memoriæ Pij IV. edita anno M.D.LXIV. incipiente. *Iniunctum nobis*: Synodus professionem clara & alta voce in hæc verba fecit. *Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in Deum Patrem omnipotentem factorem Cæli, & Terræ, visibilium omnium & inuisibilium, & in vnum Dominum Iesum Christū filium Dei Vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero genitum non factum, consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt; Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in Cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos. Cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem. Qui ex Patre filioq; procedit. Qui cum Patre & filio simul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Et vnā sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi seculi, Amen.* Apostolicas & Ecclesiasticas Traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruatio-

Professio Fidei.

tiones, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem cõsensum Patrũ accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium. Illaq; gratiam conferre: & ex his Baptismum, confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari nõ posse, receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omniũ Sacramẽtorum solemni administratione recipio & admitto. omnia & singula, quæ de peccato originali & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propiciatorium sacrificium pro viuis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem vna cũ anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fieriq; conuersionẽ totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atq; integrum Christum verumq; sacramentum sumi; constanter teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter & sanctos vnà cum Christo regnantes venerandos, atque inuocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas firmissimè assero. Imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo, Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram agnosco. Romanoq; Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à sacris Canonibus & Occumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atq; profiteor, simulq; contraria omnia, atque hæreses quascunq; ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atq; à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo

deo voueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Eodē modo Episcopus Imperialis ab ipso Archiepiscopo fidei professionem, & Concilij Tridentini receptionem exegit.

Toletan. 11. cap.1. His finitis, lectus est Concilij Toletani antiquus & approbatus Canon de ordine & modo in Synodo dicendi sententiam, & rem vnam, quamq; tractandi: Cuius initium est, *In loco benedictionis*, prout à Sācta Tridentina Synodo traditur, atque quomodo procedendum esset in his, quæ erant tractanda, declaratum est.

Trid. sess. 2. §. In sententijs.

Priuati consessus. Post hæc autem sancta Synodus omnes & singulos ad eam accedentes certiores facit, Congregationes habēdas fore in Capitulo huius Cathedralis Ecclesiæ, vt qui velit aliquid petere, vel vtilitatis publicæ causa proponere, liberum sibi esse in loco prædicto id facere, sciat.

Competentia loci sublata. Denique nullum cuique præiudicium factum, aut futurum ex loco assignato omnibus præsentibus, siue etiam absentibus, declaratum est. Cumque supradicta omnia, sic acta, decretaq; essent, quæsitum est à Reuerendissimis, an ipsis placerent ea omnia? ad quæ omnes responderunt, *placent*.

Quid reliquo anno factum. *Sic finitâ actione prima, duæ Congregationes quotidianæ, in Capitulo Cathedralis Ecclesiæ habitæ sunt, per Metropolitanum, cæterosq; Episcopos, frequenter ipso etiam præsente Prorege, quoad è viuis excessit, nec non Procuratoribus Ecclesiarum, tum etiam Theologis, ac Iuris Doctoribus, à Concilio deputatis. Itemq; regularium Ordinum Præpositis; ac demùm Synodi officialibus (vt fieri solet) assistentibus. Ac primùm Superiorum huius Prouinciæ Synodorum acta decretaq; diligenter recitata, & annotata sunt. Deinde Ecclesiarum Constitutiones peculiares, siue erectiones, tum à plerisq; Ecclesijs & Procuratoribus Ciuitatum, atque alijs idoneis personis, libelli plurimi oblati lectiq; sunt; In quibus quæ ad reformationem pertinere cuique videbantur, Synodo significarentur, & quæcunque disputatione, ac matura tractatione digna visa sunt, ea Theologorum & Iurisprudentium studio & collatione, & voce & scripto copiosè per plures menses agitata sunt.*

Plurium Patrū accessus. *Eiusdem anni 82. mense Octobri Reuerendissimus* D. [f] Petrus Peña *Episcopus Quitensis ad Synodum venit, qui & loco suo sedit, & Congregationibus, aliquot diebus, interfuit, donec morbo diuturno, & senio confectus die septima Martij, anni 83. migrauit è vita: Clarissimo viro Martino Henriquez Prorege quinto post die ab hac quoque luce sublato.*

Sub eiusdem Martij initium Reuerendissimi Episcopi D. [g] Frater Franciscus Victoria *Episcopus Tucumanen. Et* D. [h] Alphonsus Granero de Aualos, *Episcopus Platensis ad Synodum conuenere, & facta prius professione fidei suis locis sedere, ac sententias dicere cœperunt.*

Cum verò tum in multis grauibusq; [i] controuersijs componendis, *tum in maturo multarum rerum tractatu, quæ ad totius Prouinciæ ac Regni Indici vtilitatem ac reformationem opportuna admodum iudicabantur, in edendo quoque ac vertendo in Idioma Indicum Cathechismo, compluribusq; alijs ad Indorum salutem*

tem spectantibus, non paruo labore, annus integer exactus esset, tandem omnium Patrum sententia decretum est secundam actionem in templo eiusdem Cathedralis Ecclesiæ, ad Beatissimæ Virginis Assumptionis diem promulgandũ esse. *Actioni 11. dies dictus:*

Eius solemnitas *Igitur die decima quinta mensis Augusti anni millesimi quingentesimi octuagesimi tertij, solemni processione propè Ecclesiam praeunte, omnibus Reuerendissimis mitris ac pluuialibus de more compositis, ac missam Reuerendissimo Tucumanensi Pontificali ritu celebrante, ac cæteris peractis, quæ sunt ex vsu Romanæ Ecclesiæ, considentibus in loco praecelso, ac bene ornato Patribus, præsente Regio Senatu, & Procuratoribus Ecclesiarum, & Ciuitatum, Capituloq; & Clero, ac populo frequentissimo, ex suggesto per eundem Reuerendissimum Tucumañ. Episcopum recitata sunt decreta quæ sequuntur.*

ACTIO SECVNDA

Celebrata in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Regum, die xv. Augusti, M. D. LXXXIII.

Cap. I.
De superioribus Synodis.

QVoniam huius Prouinciæ Status certas, atq; omnibus peruius leges postulat, vt quid singulis in rebus agendum est, nemo in hac nostra Ecclesia ignorare possit: Illud primùm hæc sancta Synodus sibi prouidendum censuit, vt quid in superioris temporis statutis deinceps etiam retinendum seruandumq; sit, apertè doceat, atque explicet. Quæcunque igitur in prima Limensi Cõgregatione, anno à salute mundi millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, acta decretaq; sunt: quia in ijs & legitima auctoritas, desideratur, & pleraq; meliùs posteà disposita sunt, nullam de cetero, siue in tota Prouincia, siue in hac Diœcesi obligandi vim habeant. Quæ verò deinde per Concilium Prouinciale in hac eadem Vrbe coactum Anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo constituta sunt, cum ritè ac legitimè conuocatum & celebratum, atque etiam promulgatum fuisse constet, ea cum omni veneratione suscipiantur; dummodo Concilium ipsum Canonicum sit, & Canonica statuta contineat, præterquam si quid rerum ac temporis ratione exigente, ab hac Synodo aliter dispositum, reuocatumuè sit, saluo etiam in omnibus iurepatronatus, per Sedem Apostolicam Catholico atque inuictissimo Regi nostro Philippo, cęterisq; Hispaniarum Regibus concesso, quod per omnia illæsum, conseruatumq; cupimus, diuturnam insuper ac fœlicissimam vitam à Summo Deo nostro pijssimæ illius Maiestati deprecantes.

Prima Congregatio annullatur.

1552.

Concil. Prouincialis an. 1567. quanta authoritas.

De

Cap. II.
De tenenda hac & superiori Synodo.

SEd ne ea, quæ salutariter prouisa sunt, ignoratione & negligentia, quemadmodum hactenus ferè contigit, inutilia reddantur. præcipit sancta Synodus, vt intra duorum mensium spatium à die factæ promulgationis in vnaquaque Diœcesi computandum, vel certè, quod Ordinarius cuique præscripserit, debeāt omnes, siue Hispanorum siue Indorum Parrochi, atque alij, quicunq; Ecclesiastici iudices, tam decreta Concilij superioris prædicti, quæ ad ipsos quoquomodo pertinebunt, quam omnia huius statuta describere, ac penes se habere, si quis id facere neglexerit, pœna centum aureorum, & maioris excommunicationis feriatur.

Cap. III.
De Catechismi editione, & versione.

VT Indorū populi in Religione Christiana adhuc rudes, salutari Fidei doctrina commodiùs inbuantur, ac tutiùs, atque eandem vbique vnius doctrinæ formam inueniant, placuit, vestigijs generalis Tridentini Concilij insistendo, proprium Catechismum huic vniuersæ Prouinciæ edere, quem omnes Indi pro suo captu doceantur, ac memoriter, saltem pueri teneant, diebusq; Dominicis & festis in publico Conuentu Ecclesiæ repetant, vel illius certè aliquam partē prout opportunum videbitur, ad cęterorū vtilitatem recitent. Præcipit ergo sancta Synodus omnibus Indorum Parrochis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, vt Catechismo hoc, ipsius auctoritate edito, quatenus sit conformis Catechismo à sancta Sede Apostolica edito, quibuscunque alijs exclusis, deinceps vtantur, & secundum eum plebem sibi commissam instruere curent. Et quoniam ad Indorum salutem non solum rerum, sententiarumq; consensus, sed ipsa etiam sermonis conformatio plurimum confert, prohibet etiam præter versionem ipsius auctoritate factam atque editam, tam in precibus, rudimentisq; doctrinæ Christianæ, quam in Catechismo in linguam Cuzquensem, vel in Aymarayeam, aliā traductionem à quoquam fieri vel aliter facta quemquam vti: atque vt idem fructus ad cæteros etiam manet, qui diuerso à supradictis idiomate vtūtur, mandat Episcopis omnibus, vt in sua quisq; Diœcesi quā primùm curet Catechismum eundem per idoneos & pios interpretes, in reliquas linguas suæ Diœceseos verti, eamque interpretationem ab Episcopo sic approbatam ab omnibus sine controuersia recipi, non obstante qualibet contraria consuetudine.

Trid. sess. 24. cap. 7. & sess. 25. in fine.

Confessio, & vsus Catechismi:

Concil. Lim. 1. sess. 1. c. 2.

Versio vernacula.

c. quoniam de offic. iud. ord.

Cap. IV.
Quid singuli docendi sint.

CVm diuino præcepto omnes Christiani adulti teneantur pro suo captu scire, quæ ad religionis christianæ quam profitentur, substantiam pertinent: Qualia sunt mysteria fidei præcipua, quæ continentur in symbolo, Mandata Decalogi omnibus seruanda, sacramenta quoque ea quæ necessario cuique susci-

Matth. 28. Marc. 16. 1. Pet. 3.

ſuſcipienda ſunt. Tum demùm quæ à Deo petere, & expectare debemus iuxta Dominicæ Orationis inſtitutionem, ſeduló in ijs erudiendi ſunt à Paſtoribus,& Miniſtris omnes,maximè rudiores Indi, Aethiopes, pueri, pro cuiuſque ingenio, & opportunitate,ne grauiſſimo morbo ignorantiæ (vt fit paſſim) periclitentur. Omninò autem curandum eſt, vt quicunque neque ætate, neque valetudine impediuntur, memoriter diſcant elementa chriſtiana, maximè Symbolum fidei, orationem Dominicam, præcepta Decalogi, ſacramenta Eccleſiæ: Id vt fiat, antiquorum Canonum ſtatuta ſequens,præcipit ſtrictè Sancta Synodus,vt nullus adultus ad ſacramentum Baptiſmi admittatur, qui non prius ſaltèm ſymbolum, & orationem Dominicam memoriter reddiderit. Idemq; in ſacramentis Pœnitentiæ, & Confirmationis conferendis omninò ſeruetur, excepto vel neceſſitatis articulo, vel nimiæ ſenecturis, aut agritudinis, ſiuè etiam profundæ alicuius hebetudinis impedimento,quod Parochorum, ſeù Confeſſariorum iudicio, & conſcientiæ relinquatur. Qui verò ijs tantis impedimentis grauati fuerint, vt copioſiorem Catechesim non admittant, doceantur demùm pro ſuo modo præcipua fidei capita, ſcilicèt, vnum eſſe Deû omnium rerum authorem, qui accedentes ad ſe, vita æterna remuneret, improbos,& rebelles æternis ſupplicijs in alio ſæculo puniat. Deindè hunc ipſum Deum eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, tres quidem perſonas, ſed vnum Deum verum, præter quem nullus alius ſit verus Deus. Nam quæ adorant aliæ genres,præter Chriſtianam, non eſſe Deos, ſed dœmones potius, aut figmenta hominum. Præterea filium Dei propter reparãdam ſalutem hominum factum hominem ex Virgine *Maria*, pro nobis paſſum,& mortuum, ac tandem reſurrexiſſe,& regnare in æternum. Hunc eſſe *Ieſum Chriſtum* Dominum,ac Saluatorem noſtrum. Poſtremò neminem poſſe eſſe ſaluum, niſi credat in Ieſum Chriſtum, & pœnitens de peccatis commiſſis ſacramenta ipſius ſuſcipiat. Baptiſmatis quidem, ſi infidelis eſt, Confeſſionis autem, ſi lapſus poſt Baptiſmum: Denique ſtatuat ea ſeruare, quæ Deus, & Eccleſia ſancta præcipiunt. Quorum ſumma eſt, vt Deum diligat ſuper omnia, & Proximum ſicut ſeipſum.Intelligant igitur Dei ſacerdotes, niſi in fide, vt oportet, inſtructos Baptizent, vel à peccatis abſoluant, ſe & grandi ſacrilegio commaculare, & animarum reos apud diſtrictum Dei iudicium reddere.

De conſec. d.c. 4.c.Baptizãdos. Et c. non liceat Aug.lib.50.homil.42. Concil. Ferr. Iulian.in præf. ad fin. Concil.Moguntiæ. c.25. Auguſt. in Enchiridion. c.7. *Baptizandorũ inſtructio.* Concil.Lim.2. ſeſſ.2.c.16. Concil. Limen. 2.ſeſſ.3.c.13.& 34. *Et Pœnitentiã.*

Cap. V:
A' Parochis erudiendos rudiores.

RECtores Eccleſiarum Parochialium diebus ſaltèm Dominicis, & Feſtis rudimenta Chriſtiana per ſeipſos populo tradant, ad quos audiendos pueri, & ſerui conueniãt: Sciant quoq; Patresfamilias ſe Deo reddituros rationem de filijs, ſeruis, ac tota familia reliqua. Itaque ſatagant, vt benè modeſtique viuant, vt ſuis temporibus Cõfeſſiones faciãt, vt doctrinam Chriſtianam probè teneant: Vt Eccleſiam diſcendi cauſa, & orandi frequentent, ne, quod ſæpè accidit, & diuina oracula minantur,

Concil. Tolet. actio 3.c.5. Concil. Limen. 2.ſeſſ.2.c.127. 1. Reg. 2. Amos. 2.

tur, propter corruptos mores liberorum, in ipsos parentes diuinitùs vindicetur.

Cap. VI.

Vt Indi Indicè doceantur.

Rom. 10. Concil. Roman. c. 15.

CHristianæ instructionis, aut Catechismi scopus præcipuus est fidei præceptio, corde enim credimus ad iustitiam, quod ore cõfitemur ad salutem. Quamobrem ità quisque instruendus est, vt intelligat, Hispanus Hispanicè, Indus Indicè, alioquin quantumuis bene dicat, mens illius, iuxtá sententiam Apostoli, sine fructu est. (1. Corinth. 14.) Quocirca nullus Indorum de cætero compellatur, orationes siuè catechesim latinè discere, cum sufficiat, multoque meliùs sit suo idiomate pronuntiare, aut si qui ipsorum velint, possunt etiam Hispanicum, quo multi iam vtuntur, adiungere. Præter hæc aliquam aliam linguam ab Indis exigere, superfluum est.

Cap. VII.

Ne Clerici ad expugnandos Indos proficiscantur.

NOuas expeditiones suscipere aduersus Barbaros, aut Infideles sine grauissima, & meditatissima causa minimè oportet, cum agatur de plurimorum hominum fortunis, libertate, salute, ac sæpè temeritate multorum irreparabilia bello damna dentur. Quapropter nemo ex Clericis, qui doctrinæ Indorum præsunt, vel alias, vtcunque agunt, ad Bellum contra Indos, aut alias quascunque expeditiones, vt ministerijs spiritualibus, milites iuuet, proficiscatur, nisi de expressa licentia sui Episcopi. Qui secùs egerit, excommunicationi latæ sententiæ ipso facto subiaceat: & pro modo culpæ alijs etiam pœnis acerbè plectatur.

Cap. VIII.

Coniugia inter fratres inita dirimantur.

COniugia inter fratres, cum ad Baptismi gratiam peruenerint, rata non habeantur, sed quicunque ità coniuncti reperti fuerint, separentur. (Concil. Limen. 2. c. 38. de diuor. c. quanto.)

Cap. IX.

De Patrinis Indorum.

COnuenit impedimenta quę ex cognatione spirituali oriuntur, Indis quoad fieri potest detrahere, ne ignorantes, quod sæpè accidit, in gradibus illicitis coniungantur. (Trid. sess. 24. c. 2. de reformat. matrim.) Eam ob causam, & in Superiori Synodo, & in hac commodum visum est, vt in quouis populo, aut Parochia Indorum, certus sit designatus Patrinus, siue susceptor, qui Baptizandos de fonte leuet, sed hũc designare pertinebit ad Ordinariũ, qui etiam plures, vt iudicauerit expedire, pro numerositate populi poterit constituere, ità tamen vt certi sint, & quorum fidei possit institutio spiritualium filiorum committi.

Cap. X.

Quid agendum, cum ex duobus Infidelibus coniugatis alter conuertitur.

DE ijs qui iam matrimonio iũcti conuertuntur ad fidem, (Concil. 2. Lim. §. 2. c. 38.)

Coniu-

Coniuge adhuc infideli permanēte, in superiori Concilio prouidè Consultum est, vt si infidelis quidem spem suæ conuersionis maturam ostendat, christianus nullo modo ad alias nuptias transeat, quemadmodum est Sacris Canonibus definitū, sed coniugis lucrum in Christo expectet; Si verò differat cōuersionem suam, neque tamen iam Baptizato coniugi perniciosus existat, eum à fide auertendo, aut ad peccatum mortale pertrahendo (etenim id cum fit, Sacri Canones eos necessario separandos volunt, & christiano noui coniugij ineūdi potestatem tribuunt). Tunc & expectandum adhuc esse per semestre tempus, & assiduè de sua interim conuersione admonendum. Sed quoniam tum periculum recens conuersi cauēdum est, nè si diù permanserit in toro infidelis, fidem Christi fortassis amittat, dum vult seruare homini; tùm verò libertati illius consulendum est, ne celebs viuere cogatur, qui forsitàn vritur. Idcircò decernimus, vt transacto sex mensium spatio, res ad Episcopum deferatur, qui benè perspecta causa fideli declaret, copiam esse aliud matrimonium ineūdi propter fidei, aut charitatis scandalum, quod patitur, Quod si nullum esse periculum in cohabitatione viderit, iubeat expectare infidelem, vel etiam consulat cohabitare, si prodesse intelligit, iuxtà Pauli Apostoli Concilium. Neque enim potest omnibus conuersis eadem lex præfigi, cū occurrant profectò variæ circumstantiæ, neque sit omnium infidelium eadem ratio. Quarè Episcopi prudentia in re dubia, ne grauiter erretur, consulenda erit, & iuxta c. *Quanto de diuortijs*, cum casus acciderit, decernendum.

De diuort. cap. quanto, & cap. haud eanus. 28 q. 1. c. iam nunc, & c. sic enim. 28. q. 2. c. si infideles.

1. Corinth. 7.

Cap. XI.
De Nominibus Indorum.

NE in Indorum Baptismo, & matrimonio falli sæpè contingat, dum ignoti illud repetunt, omninò vetentur gentilitatis, aut superstitionis suæ nominibus vti, sed omnibus [a] *Christianis assueta nomina* in Baptismo apponantur, [b] *Cognomina verò*, vt inuicem discernantur, masculi quidem paterna, fæmellæ materna retineant.

Cap. XII.
Ne Regulares Baptismi, aut Matrimonij sacramenta administrent.

REgularibus, præterquam in Indorum oppidis vbi Parochorum munus exercent, Baptisteria habere, aut præter necessitatem baptizare, aut matrimonia copulare, sacri Canones prohibent. Id ità fieri hęc Synodus valdè commēdat, ne scandala in Ecclesia ab ijs fiant, quos maximè oportet exemplo humilitatis alijs præstare.

Ibid. quæst. 1. c. Plac. Clem. de Priuil. c. Religiosi. Concil. Later. sub Leon. X. sess. 11. Concil. Trid. sess. 24. de reformat. c. 1.

Cap. XIII.
In Confirmatione nihil ab Indis accipiendum.

CVm sacramentum Confirmationis accipiunt Indi, nulla ratione quicquam pecuniæ, aut argenti ab ijs petatur, neque vt offerant, inducantur, quin etiam qui præ inopia candelas ferre non poterunt, ijs ab Episcopis benignè conferantur, & cerei, lintea, idem in

Concil. Lim. 1. sess. 3. c. 27.

Baptiſmo ſeruetur de cereo, & capitio baptiſmali.

Cap. XIV.

De Examine Confeſſorum.

Concil. Trid. ſeſſ.23. c.15.

ORdinarij diligenter examinēt eos qui Confeſſionibus audiendis exponendi ſunt, etiam ſi regulares fuerint, & quia non ſunt omnes ad omnium confeſſiones excipiendas idonei, oportebit iuſtam in examine ſeruare menſuram, vt benè doctis, & literatis generalem approbationem tribuant, minus verò peritis eam limitationem perſonarū, vel ſtatuum adhibeant, quam ſufficientiæ illorum congruere iudicabunt; quod in hac facultate confeſſariorum amplianda, vel reſtringenda debeat haberi ratio, ne dum ſufficientiæ, ſed etiam loci cæterarumq; circumſtantiarum. omnibus autem quos approbandos duxerint, approbationis ſuæ, vel amplæ, vel reſtrictæ, vt dictum eſt, in ſcriptis teſtimonium gratis dabunt. Laici verò cùm præcepto Eccleſiæ de annua confeſſione ſatisfaciunt, ſchedulam à Confeſſario petent, (niſi perſonæ alioqui ſatis probatæ ſint) quam tum proprio Parocho, tum patrifamilias oſtendent.

Cap. XV.

Extraordinarios Confeſſarios Indis aliquando tribuendos.

Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Reg. c. 10.

COnſcientijs Indorum curent Epiſcopi conſulere per extraordinarios quandoq; Confeſſarios, quos ipſi qua poterunt commodiori ratione, tranſmittant, vt qui Parochos ſuos præ timore, aut pudore, aut fortaſſis odio aliquo, grauiora ſæpè crimina celant, apud hos veluti ſubſidiarios Euangelij miniſtros ſecurè, ac ſpontè conſcientias ſuas exonerent. Et quia in tanta linguarum varietate compertum nobis eſt, multos ſine pœnitentiæ ſacramento hucùſque manſiſſe, inquirant Epiſcopi quinam ſint eiuſmodi, & illis quam diligentiſſimè poſſint de perito aliquo ſacerdote prouideant, qui illorum confeſſiones excipiat.

Cap. XVI.

Confeſſionem integrè cognoſcendam.

Concil. Triden. ſeſſ.14. c.5.
Conc. Floren. in inſtruct. Armen.
Conc. Cadilon. c.31.
Concil. Lim. 1. ſeſſ.2. c.57.

NOn pauci Sacerdotes ex imperitia ſermonis Indici, interdum etiam ex negligentia, & tædio audiendi, in confeſſionibus Indorum multa illorum peccata, ſibi penitus ignorata prætereunt, atque ità perfunctoriè vnum, aut alterum peccatum intellexiſſe contenti, beneficium abſolutionis impendunt. Cū ergo ſacramentalis Confeſſio mortalium peccatorum integra eſſe debeat, neque poſſit, niſi neceſſitatis articulo vrgente, eiuſmodi abſolutio eſſe legitima, oportet omninò pœnitentiæ miniſtros cautos, atque ſollicitos eſſe, ne ſacrilegium admittant in eiuſmodi confeſſionibus detruncatis. Itaque vel pœnitentes ad peritiores remittant, ſi non ſufficienter intelligunt, vel ipſi diſcant, quod neſciunt, neque enim rectus iudex eſt, qui iudicat quod ignorat.

Ga-

Cap. XVII.
Casus reseruati Parochis Indorum conceduntur.

PRæsentis auctoritate Synodi Parochis, & approbatis Confessarijs Indorum casus Episcopis reseruati conceduntur, vt ab omnibus illis, & censuris annexis possint absoluere Indos, cum id expedire in Christo iudicauerint, ne Indi propter imbecillitatem suam, & spiritualis sensus inopiam, dũ ad Superiores pro reseruatorum casuum absolutione recurrere cessant, (quod crebro fit) consciẽtijs suis illud [a] *experiãtur noxium*, quod pro earum salute ab Ecclesia prouisum est; liceat tamen Episcopo aliquibus parochis hanc facultatem restringere, cum ei videbitur expedire.

Cap. XVIII.
Sacerdotes antequam vestes sacras induant, confiteantur.

CElebraturi Sacerdotes nulla tenus sacris vestibus induti peccata confiteantur; sed cum confessione opus habent, antequam se induant, & quidem genibus prouoluti id faciant, nec nisi apud Confessarium ab Ordinario approbatum. (Concil. Parif. l.1.c.46.) Qui aliter, vel audierit, vel fecerit confessionem, sciat se, & præcepti reum, & salutarem ei pœnitentiam iniungendam; Et quoniam domum Dei decet omnis sanctitudo, visum est etiam confessionaria mulierum, qua parte ipsæ ingrediuntur aperta, & ianuis libera esse debere, id vt quamprimum fiat, etiam in Regularium Ecclesijs, hæc Synodus admonet, atque hortatur.

Cap. XIX.
De Viatico Indis præbendo.

CÆleste Viaticum, quod nulli fidelium ex hac vita migranti, si pœnitentiam ostendat, negat pia Mater Ecclesia, multis ab hinc annis, Indis, atque Aethiopibus, cæterisque personis miserabilibus præberi debere à parochis, Concilium Limense constituit: sed tamen Sacerdotum complurium vel negligẽtia, vel zelo quodam præpostero, atque intempestiuo illis nihilo magis hodie quoque præbetur: quo fit, vt imbecilles pleræque animæ tanto bono, tamque necessario sibi fraudentur; Volens igitur sancta Synodus ad executionem perduci, quæ Christo Duce pro salute Indorum necessariò ordinata sunt, seuerè præcipit omnibus parochis, vt extremè laborantibus Indis, atque Aethiopibus, viaticum ministrare non prætermittant, dummodo in ijs debitam dispositionem agnoscant, nempè fidem in Christum, & pœnitentiam in Deum pro suo modo. Neque enim in extrema illa necessitate perfecta omnia exigenda sunt, cum Sanctorum Patrum decreta habeant, qualecunque fidei, & pœnitentiæ testimonium in vltimo agone positis, vt salutaria sacramenta ministrentur, debere sufficere. Vt autem quam potuerit maximè decenti apparatu tantùm illud sacramentum administretur; dabunt operam, vt Cruce præeunte, & cereis accensis, tum etiam loco honestè composito, & cæteris, quæ in Synodo Diœcesana Episcopi curanda prouiderint, ad ægrotum Eucharistia deferatur, si ipse

(Concil. Nicen. c. 13. 26. q. 6. c. de his vero. S. Innocent. in epit.1. c.2. Concil. Cart.4. c.77. — Concil. Lim.2. act.1.c.59. — *Dispositio ad sacrum Viaticum requisita.* Concil. Cart.4. c.76.26.q.6.c. 15. qui in infirmitate. De pœnit. dist. 7. c. si quis, & c. nullus 26. q. 6. c. his qui tempore. August. l. 1. de adult.coniug. c. vel imo.)

 ipse

ipse nequeat ad Ecclesiam commodè portari, vbi verò Eucharistia non asseruatur, id fiet peracto ante meridiem Missæ sacrificio, atque hostijs pro indigentium numero consecratis: porrò parochi, quicunque à prima huius decreti promulgatione negligentes fuerint, nouerint se præter diuinæ vltionis iudicium etiam pœnas arbitrio Ordinariorum, in quo conscientiæ eorum onerantur, daturos, atque in visitationibus in illos de huius obseruatione statuti specialiter inquirendum.

Cap. XX.
De Communione in Paschate.

Concil. Later. c. 21. Concil. Triden. sess. 13. c. 9.

IN Paschate omnes Christianos adultos communicare iubet Sancta Dei Ecclesia, nisi iusta de causa prorogandam communionem Sacerdos audita confessione censuerit. Quod si plerique Neophitorum hactenus ad Eucharistię perceptionem non facilè admissi sunt, fidei exiguitati, & morum ineptitudini tribuendum est; cum requirat tanti sacramenti communicatio, tum firmam fidem cælestem illum cibum à terreno, & humano dijudicantem, tum conscientiæ munditiam, quam turpitudo ebriositatis, & concubinatus, ac multò magis superstitionis nefariæ, prorsùs labefactat, quibus vitijs plurimi his regionibus grauiter laborant; Sed quoniam & multi Indorum quotidiè in christiana religione proficiunt, & sunt etiam cæteri inuitandi, ac præparandi, vt Cælesti mensa, ad quam etiam paruulos vocari vult diuina Sapientia, salubriter fruantur; præcipit sancta Synodus parochis, cæterisque Indorum prædicatoribus, vt sæpè, ac seriò de fide huius mysterij eos instruant; Veram, ac realem Christi Dei nostri pręsentiam sub panis specie doceant, eorum desiderium ad tantum beneficium excitent, præcipuèque ad omnium peccatorum detestationem, ac puram confessionē, vitæque in meliùs emendationem exhortentur, vt assidua denique prædicatione dignos dono illo viuifico reddant. Quos autem Parochus, & satis instructos, & correctione vitæ idoneos iudicauerit, ijs saltem in Paschate Eucharistiam administrare nō prætermittat, nè ipse alioqui Ecclesiastici præcepti violati reus sit: in quibus autem certam sententiam tenere non poterit, consulat Episcopum; Nemo verò Indorum, aut Aethiopum ad Communionem recipiatur, nisi proprij Parochi, aut Confessoris licentiam scripto sibi datam ostenderit:

Cur aliqui Neophiti ad communionem non admittantur.

Concil. Limen. 3. sess. c. 28.

Prouerb. 9.

Cap. XXI.
De Eucharistia asseruanda vbi commodè poterit.

Concil. Triden. sess. 13. c. 6.

QVia sacrosancta Eucharistia in Ecclesia asseruata, tum protectionem christiano populo adfert admirabilem; dum decumbentium necessitatibus opportunè subuenit, optandum certè esset, ac pro virili curandum, vt parochiæ Indorum tanto Dei munere fruerentur, sed quia securitas dignitasque tam præcelsi sacramenti fidam custodiam, & præsentiam alicuius ministri ecclesiastici, atque alia quædam postulat, quæ non facilè vbiuis reperiantur. Idcircò Ordinarijs in Synodo præsertim Diœcesana, tranctandum, pro-

prouidendumq; relinquitur, quibus in locis possit ad populi deuotionẽ, & munimen Eucharistia dignè seruari.

Cap. XXII.
Communionem damnatis ad mortem non negandam.

Extra de furtis c. fures Concil. VVormac. sess. vltim.leg.7.tit. 13.part.1.

IIs, qui propter facinora admissa, capitis damnati sunt, pridie quã ad patibula, à Magistratu ducantur, communione Christi Corporis muniantur, quo patienter, & cum salute animæ, pœnas corpori debitas ferant.

Cap. XXIII.
Processiones quomodo faciendæ.

Concil. Mediolan. primum.

QVo tẽpore ab Ecclesia solemnes sanctissimi Christi Corporis processiones aguntur, aut in die Parasceues, aut quocunque alio die publicè supplicationes fiunt, nulla fœminarum cooperto vultu, vel vias publicas inambulet; vel de fenestris prospiciat, idque omnes obseruent, ne leuitate fœminea à cultu Dei populum auocent, sed religioso potius modestoque habitu, & gestu, internam fidem, pietatemque testentur. Magistratus quoque, ac Reipublicæ Ministros monemus, atque hortamur in Domino, vt eædem sanctius supplicationes agantur, dent sedulò operam, ne viri, fœminæque mixtim confuséque incedant, sed præeant viri omnes, mulieres iuxtà Prophetam seorsim sequantur Dei Ministros.

Zachar.12.

Cap. XXIV.
Ne Missæ in domibus priuatis fiant.

MIssæ in domibus priuatis passim dicuntur contra Tridentini Concilij Canonem: hunc abusum deinceps omnino tollendũ, curent ordinarij, nec nisi in Oratorijs approbatis, & ad eum vsum solummodo deputatis, missas celebrari, vlla ratione permittant.

Concil. Triden. sess. 22. de reform. Missæ.

Cap. XXV.
De ornatu Eucharistiæ, & vestibus sacris.

IN quouis Indorum populo ornamentum, & quidquid ad celebrandum necessariũ est, teneatur. Id si fieri alicubi nequeat, sacræ vestes & apparatus ex alio in alium, non nisi sub clauis custodia transferatur; vasa quoque olei, & Chrismatis in arcula clausa portẽtur: quoties verò Eucharistiæ viaticum ad ægrotos in Oppidis Hispanorum defertur, Sacrista thuribulo præeat sacramentum: si oleum ad infirmorum vnctionem feratur, crucem, & laterna clausa, candelam portet. In cæteris quoque officijs Ecclesiasticis Sacristæ Parochos suos comitentur, & per seipsos mynisterium suum impleant, si neglexerint facere, quartam obuentionem sibi debitam amittant.

Cap. XXVI.
Eucharistia cum publicè exponitur, Ministros Ecclesiæ debere assistere.

GLoriosissimum Eucharistiæ sacramentum tum in die Cœnæ

næ Domini, tum in festo,& octaua corporis Christi, ac quoties populo adorandum exponitur, à ministris Ecclesiasticis cum omni deuotione assistentibus associetur: cui officio Prælatus ex capitularibus, & reliquo Clero deputet per vices suas, quos ipsi placuerit.

Cap. XXVII.
De ordine in cultu Diuino.

SAcerdotes inter Missarum solemnia, dum ad oblationes populi recipiendas ab altari procedunt, sciant sibi penitùs interdictum, ne vltra arcum toralem egrediantur, sed illic fœminas quæ voluerint offerre, decenter exspectent: In altari autem maximo præter eos, qui præbendam obtinent,in Cathedrali nullus celebret. Inter Missæ quoq; maioris solemnia in alijs altaribus,quoad licebit Missæ non fiant: cum verò officium diuinum in choro cantatur, Clerici in Ecclesia non vagentur,neque quisquam vel deambulet, vel fabuletur, vel perstrepat. Sed cum omni pietate rebus diuinis vacet: Alioquì pœnis afficiatur, quas fel. record. B. Pius V. inflixit. *In motu proprio cum primum.*

Cap. XXVIII.
De extrema Vnctione Indis danda.

EXtremæ Vnctionis sacramentum nulla ratio patitur Christianis morbo periclitantibus denegari. ne ergo posthac quorumdam Parochorum desidia friuolam de hoc excusationem prætendat; innouato superioris Synodi decreto, strictè mandamus, omnibus Indis fidelibus; atque Aethiopibus per suos Parochos, suo tẽpore pœnitentiam ostendentibus, hoc Sacramentum administrari, atq; inter cætera à Visitatoribus diligenter de hoc inquiri, pœnasque arbitrio ordinarij negligentibus imponi.

Concil. Triden. sess. 14. c. 13. de extrema vnctione.

Concil. Lim. 2. sess. 3. c. 75.

Cap. XXIX.
Vt extremè laborantibus Parrochi assistant.

IIs qui è vita decedunt, dent operam Parochi, vt assistant, & maximè periculoso tempore animas sibi commissas iuuent, quod si per se non possint; certè aliquem idoneũ substituant, qui morientem excitet, & cohortetur, atq; Indis præsertim, exhortatione ab hac Synodo euulgata, opitulentur.

Concil. Compost. act. 3. c. 37.

Habetur infra.

Cap. XXX.
Decreta Tridentini Concilij de ordinibus esse seruanda, & domicilia iurata abroganda.

QVæ à Patribus in sacrosancto Concilio Tridentino, de ijs qui promouentur ad ordines, constituta sunt, ad Ecclesiæ dignitatem, ac puritatem, conseruandam, summopere necessaria, ita diaboli instinctu, & prauorum hominum fraude, sæpenumero negliguntur, cum ad sacratissimum sacerdotij munus, passim infimas fæces hominum, cum summo nostro dedecore irrepsisse videamus, quod vt posthac Episcopi diligentissimè caueant, sancta Synodus æternæ vltionis, quæ negligentibus pastoribus imminet, contemplationem obtestatur, atque admonet, vt quæ de inquisitione vitæ, ætatis, natalium, eorum, qui sunt assu-

Sess. 23. cap. 5. 6. 7. 8. & 10.

assumendi, ad quoscunque ordines, præcipuè ad maiores, nec non de litteris testimonialibus; tum etiam de examine præuio, ac seuero, sanctissimè generale Concilium statuit, nullo modo vnquam sibi prætermittenda existiment, præsertim in ijs, qui ex Europa aduentant,& quicunque aliàs non satis noti sunt. Ab alieno autem Episcopo nullus omnino promoueatur, nisi litteras ordinarij sui de omnibus supradictis testimoniales deferat. Alioqui & ordinans ab ordinum collatione per annum, & ordinatus ab exequutione arbitrio sui Episcopi sunt ipso Iure suspensi. Quoniam verò abusus quidam iam pridem inoleuit, vt per domicilia quædam iurata, quæ verbalia,& commentitia plerumq; sunt, in fraudem Ecclesiæ, & sacrorum Canonum contemptum ad ordines indigni irrepant; declarat hæc Synodus, neminem sub prætextu Domicilij esse ordinandum, nisi illud legitimè, quemadmodũ ius statuit, contractum fuerit, atque insuper si alibi cæperint ad ordines promoueri, sui prælati litteras testimoniales ostendant, si quis ad titulum Domicilij iurati, antequam domicilium ipsum legitimè contraxerit, ordinabitur, sit ab ordinum executione ipso facto suspensus, & cuiuscunque beneficij, aut paræciæ Indorum incapax per triennium.

Concil. Cart. 3. cap. 23.

Concil. Aurel. 3. c. 15. 9. q. 2. per totum. c. 1. & seq. de tempor. ord. in 6. Concil. Trid. sess. 23 cap. 8.

Cap. XXXI.

Ad titulum Indorum posse promoueri etiam patrimonij expertem.

IN sacris præsertim presbyteratus ordinibus conferendis, illud præcipuè spectare debent Episcopi, vt operarios idoneos tantæ huic Indorum messi suppeditent, siquidem ea totius Episcopalis officij in hac Prouincia, potissima cura est; vt qui ad Euangelij gratiam diuinitùs vocantur, ministros habeant, quoad fieri possit, & zelo animarum præditos,& numero sufficientes. Quod si alias idonei sunt, qui ordinari petunt, & seipsos doctrinæ Indorum dedicare capiunt, nullo modo propter patrimonij tenuitatem repellẽdi sunt, quin potius, quamdiu hæc Ecclesia indiguerit, quærendi, & inuitandi, qui moribus sunt probatis, & litteratura etiam sufficiẽte, & linguæ Indicæ non imperiti. Neque enim hos mendicare verisimile est, in tanta parochiarum multitudine, & Sacerdotum penuria: Neque verò Concilij Tridentini vlla ex parte decreta violantur, cum necessariò animarum saluti hac ratione consulitur, quemadmodum Limensis quoque superior Synodus censuit. Ad titulum ergo doctrinæ Indorum, quamuis nulla specialis parochia illico designetur, quicunque reuera Indis proficiendi putantur, iure ordinari poterunt.

Concil. Triden. sess. 21. c. 2.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 26.

Cap. XXXII.

De Simonia cauenda in ordinationibus.

QVamuis omnium antiquorũ Canonum definitionibus, ac nouissimè sacri Concilij Tridentini decreto, quæuis simoniacæ labis species, vel etiam auaritiæ suspicio ab ordinum collatione longissimè relegetur, nõ cessant tamen adhuc multorum hominum improba ingenia ad sacrorum ordinũ susceptionem,

Concil. Calced. act. 15. cap. 2. 1. q. 1. cap. si quis Episcopus. Concil. Trid. sess. 21. c. 1.

quod

quod meritis, & doctrina non obtinent, prauis & occultis artibus aspirare:&,quod sine dolore referre non possumus, auaritia duce, aditum sibi nonnunquam ad sancta Sanctorum aperiunt, ex quo fit, vt abiectis,atq; indignis ministris, & Ecclesiasticus status passim dehonestetur, & noua hęc Christi hęreditas operarijs confusibilibus occupata, exiguos admodum fructus faciat, cũ per Dei gratiam possit facere vberrimos. Itaque vt malum hoc quo grauius nullum existimari debet, ex domo Dei funditùs extermminetur, declarat sancta Synodus, tam dantes,quam accipiẽtes aliquid pro ordinatione etiam quocunque colore pœnas à iure inflictas ipso facto incurrere, neque vllam in hac parte consuetudinem excusare, neque pretextum vllum esse admittendum, quod spontè offeratur, aut detur,pręsertim quando exiguitas doni, & personarum ac temporis ratio non attestantur,iuxta Alexandri Tertij decretum, puritatem in dante, & accipiente ab omni suspicione auaritiæ alienam; sed neque pro dimissorijs, aut testimonialibus litteris, neque pro sigillo, neq; alia quacunq; de causa, eadem Tridentina Synodus patitur, Episcopos eorumue ministros aliquid accipere, excepto, quod Notarius decimam partem aurei pro singulis litteris accipere possit,si nullum ei ab Episcopo salarium constitutum sit.

Ex. de simo. c. Et si quæst.

Concil. Trid. sess.21. c.1.

Cap. XXXIII.
Idoneos solummodo esse ordinandos.

IN ordinibus minoribus conferendis, & interstitijs temporum exspectandis, potissimum verò sufficientia cuiuscunque ordinandi solerter exploranda,atq; ijs qui minus idonei reperti sunt, penitùs excludendis Episcopi integrè, omni affectione humana postposita, Tridentini Concilij saluberrima decreta custodiant, vt Deo & Ecclesiæ fideles se dispensatores probent,neque verò eo pretextu,quod Ecclesiæ laborent inopia ministrorum,indignos ad sacras functiones vocare debẽt; quandoquidem & illorum iam dudum copia excreuit, & longè certè melius Dei Ecclesiæ, & saluti Neophitorum consulitur, paucitate electorum Sacerdotum, quam multitudine imperitorum.

Concil. Trid. sess. 23. c.11. & c.7.

Cap. XXXIV.
De Matrimonijs contrahendis.

PRo ijs qui contrahere volunt, publicæ monitiones aut denũciationes fiant diebus festis, vbi populus frequens fuerit. Ignoti verò & exteri, aut vagantes, nullo modo ad coniugium admittantur, nisi informationem prius Prælatus ipse & viderit, & probauerit, alioquì graues pœnas ipsius arbitrio incurrant. Animaduertant quoque Ordinarij, ne in dispensatione denunciationum faciles se exhibeant, nisi cum valde probabile est impedimentum maliciosum matrimonio obfuturum. Et quamuis clandestina matrimonia ex Vniuersalis Ecclesiæ statuto inualida sint, & penitus nulla, si quis tamen adhuc ita contrahere attentauerit,& ipse excommunicationis sententiam eo ipso incurrat, Et quicunq;etiam nefarijs nuptijs præsentes se præbuerint, præter alias arbitrij ordinarij infligendas pœnas.

Concil. Late. cap.51.

Concil. Trid. sess.24. de reformat. & c.7.

Concil.Lim.1. sess.2. c.21.

In decreto de reformat.

Diuor-

Cap. XXXV.
Diuortij causam à solo Episcopo definiendam.

Concil.Trid. sess.24. Concil.Lim.2. sess.2. c.21. & sess.3. c.72. Matth.19.

DIuortij causam solus Episcopus per se cognoscat, et finiat, poterit tamē eius generalis Vicarius processum vsque ad diffinitiuam exclusiuè formare, sed nisi causæ prorsùs graues ac perspicuè probatæ intercesserint, non sunt matrimonia, quæ Deus ipse coniunxit, separanda.

Cap. XXXVI.
De seruorum matrimonijs non prohibendis.

Concil.Triden. sess.24. c.9. Conc.Limen.2. sess.2. c.19.

SErui Aethiopes neque contrahere matrimonia, neque contractis vti, à suis Dominis prohibeātur, neque verò distrahantur coniugati in ea loca, vbi à coniugibus abesse perpetuò aut etiam diù cogantur; non enim debet lex matrimonij naturalis, per legem seruitutis humanam derogari.

Cap. XXXVII.
De cæremonijs Nuptiarum.

CVm nuptiæ benedicūtur, Missa iuxta præscriptū noui Romani Missalis dicatur, nihil penitùs mutato: ceremoniæ verò consuetæ fiant ad Ecclesiæ ianuam, prout moris est, donec sanctissimi Romani Pontificis auctoritate manuale cōmune publicetur, quod oportebit per omnia sequi.

Cap. XXXVIII.
Nihil ab Indis accipiendum in administratione sacrorum.

PActiones quascunq; tacitas vel expressas pro Sacramentis administrandis, aut sepultura conferenda, sacri canones tanquam simoniacæ labis commercia fœdissima detestantur; laudabiles tamen consuetudines, in populo Christiano receptas, amplectuntur, & probant. Cæterùm de Indis, iam pridem Limense Concilium constituit, ac declarauit, neque pro Sacramentorum, neque pro sacramentalium administratione, neque verò pro sepulturæ cuiuscunque apertione quicquam exigi, aut recipi posse, Sacerdote quidlibet ab Indis recipiente, quadruplici pœna mulctato. Quod salutare decretum Neophitorum ædificationi, & fidei magnopere necessarium, & à plerisque cum non mediocri scandalo illorum cōtemptum hęc sancta Synodus denuò innouat, & quantum potest seriò commendat, declarans nullas in hac parte consuetudines tanquam laudabiles esse allegandas, quæ potius abusus sunt nuncupandæ. sed neque ad oblationes faciendas in missa, aut alias Indi cogantur; sed si quis offerre voluerit, intelligat, id quidem meritorium, & pium, sed tamē prorsus liberum esse, vel facere, vel non facere. Quicunque tamen Indorum in Hispanorum Vrbibus domicilium habent; quia & in fide instructiones sunt, & nostrorum hominum vsum crebrò affectant, cum ijs poterunt consuetudines in sepulturis, & cæteris, si quæ sunt laudabiles obseruari.

De simo.c. non satis, & c. sequ. ibid. c. ad Apostolicam. Concil. Limen. 2. sess.2. c.10.

Concil.Lim.2. sess.3. c.26.

Cap. XXXIX.
Bona defunctorum Indorum à Parochis, non vsurpanda.

Concil. Lim. 2. sess. 3. c. 10. EX bonis Indorum qui decedunt, Parochi partem aliquã nullatenus vsurpare præsumant, etiã sub illo prætextu, quod quintam eorum portionem pro defuncti anima erogare velint, sed integrum sit Indis de suis bonis disponere, vt ipsis placuerit. Quod si ab intestato decesserint, ad hæredes, quid pro anima defuncti erogandum sit declarare pertineat.

Cap. XL.
Parochijs Indorum semper prouidendum.

Num. 17. NE' Christi oues, dum nullum Pastorem habent, funditùs pereant, debent omnibus modis Episcopi prouidere, vt si Parochias Indorum desertas viderint, neque ministros Indicè doctos, atque vltroneos facilè inuenerint, mittant saltèm Sacerdotes probatos, quos etiam præsertim vacantes, atque ad titulum Indorum promotos, vel ea ex causa ex Hispania missos, compellant (saluo tamen iure Regij patronatus, quod integrum, atque illæsum intelligi semper volumus) ad curam illorum suscipiendam, quamdiù necessitas vrget, adhibitis, si opus fuerit, etiam censuris, cum lex charitatis, atque obedientiæ à studijs quoque litterarum abstractos, cogat interdum præsenti animarum periculo subuenire. Verùm Indici sermonis periti, quoad fieri poterit, quærendi erunt, atque vt omnes Indicè discant, præmijs, & honoribus inuitandi: quod si linguæ peritus nullus occurrat, nihilominùs sacerdote quocunque parochia munienda est, dummodo moribus corruptus non sit. Expedit enim benè viuentem potiùs, quam benè loquentem parochum mittere, si alterum sit eligendum, cum multò ampliùs ædificet vita quam lingua.

Concil. Limen. 2. sess. 3. c. 3.

De offic. iu ord. c. quoniam.

Cap. XLI.
Parochiam Indorum ante successoris aduentum à nemine deserendum.

Concil. Lim. sess. 3. c. 4. PArochiam, siuè doctrinam Indorum nemo deserere audeat, si quis sine sui Antistis assensu deserendam putauerit, aut ante discesserit, quã successori rerum Ecclesiasticarum suæ curę commissarũ rationem reddiderit, sit eo ipso excommunicatus, nam & fraudes in rebus Ecclesiæ nõ tolerandæ fiunt, & Christi oues facilè desertæ pereunt. Eandem ob causam Ministri Ecclesiæ fideles, maximèque ad Indorum salutem procurandam idonei nullo modo in Hispaniam reuerti sinantur, nisi publicæ vtilitatis causa iudicio Prælati id postulet.

Cap. XLII.
Ministros Diaboli à consortio cæterorũ Indorum separandos esse.

AD exterminandam Christianæ fidei pestem, quam Arioli, & scelestissimi dœmonum flamines tenero Christi gregi perpetuò afferre non cessant, quorum tanta est nequitia, vt vno die euertant, quidquid à Christi Sacerdotibus per annum ædificatur, prouidè admodum in

cilio

Concil. Liman. 2. sess. 1. c. 107. cilio superiore cautum est, vt ij omnes (vetuli alioqui inutiles, & decrepiti) in vnum locum congregarentur, clausique ibi tenerentur, ne cæteros Indos sua communicatione inficerent, vbi etiam alimenta tum corpori, tum animæ necessaria præberentur. Hoc salutare decretum, quanto damno prætermissum sit, satis nos docuit experientia. Quare vult sancta Synodus sine vlla excusatione, aut mora executioni mandari, idque parochis omnibus præcipit, quantum in ipsis erit; Regios verò ministros per Christum obtestatur, & rogat, vt tam salutari instituto operam suam accommodent, statimque prudenter inita ratione designent, vbi, & quomodo isti diaboli ministri, sine aliorum pernicie contineantur.

Cap. XLIII.
De Scholis puerorum Indicorum.

Concil. Magun. c. 45. Scholas puerorum Indicorum parochi valdè sibi commendatas intelligant, in quibus doceantur legere, scribere &c., atque illud præcipuè vt nostrum idioma Hispanicũ consuescant intelligere, & pronunciare. sed caueant scholæ occasione, ne illorum seruitute, atque operis abutantur, neve eos pabulatum, lignatumque mittant, qua de re sciant conscientias onerari, & ad restitutionem teneri: doctrina quoque christiana pueros, & puellas imbuant, neque ad sua commoda detineant, sed tempestiuè ad parentes remittant, ijsque obedientiam deferre, & opem ad subleuandos eorum labores doceant.

Cap. XLIV.
De Collegio Seminario instituendo.

Qvoniam in sacro Concilio Tridentino inter alia in Synodo Prouinciali tractanda, peculiari quadam ratione iniunctum est, vt de Seminarijs tanta Patrum, imo spiritus sancti auctoritate decretis, instituendis agatur: atque illud maximè perspicuum est, nullam hoc salutari instituto Ecclesiam perindè indigere, vt hanc nostram Indicanam, in qua nouæ plantæ Euangelicæ accuratè nutriendæ sunt, Et ad propagãdam Christi fidem instituendæ. Hæc sancta Synodus officiũ suum agnoscens, Episcopos omnes, atque pastores ex parte omnipotentis Dei obtestatur, atque eorum conscientias, quantum potest, onerat, vt in Ecclesijs suis quamprimum seminaria prædicta puerorum excitanda curent, omnibus impedimentis quacunque ratione postpositis. Porrò ad erigenda, & constituenda conuenienter prædicta seminaria, ex auctoritate nobis ab vniuersali concilio in hac parte specialiter concessa, vno consensu statuimus, & ordinamus contributionem ex quibuscunque redditibus, & bonis ecclesiasticis in hunc modum faciendam: Vt ex decimis, beneficijs, capellanijs, hospitalibus, confraternitatibus, iuxtà eiusdem Concilij statutum, siuè Episcopales, siuè Capitulares, siuè beneficiales redditus sint, etiam ex doctrinis Indorum, etiam si Regulares doctrinas teneant, tria de centum in perpetuum applicentur, & ex nunc applicata censeantur; ad quam sanè portionem (satis certè mo-

Concil. Paris. lib. 2. c. 30. Concil. Aquisgran. cap. 135. Concil. Triden. sess. 23. c. 16. Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 72.

Concil. Triden. sess. 23. c. 18.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 72.

moderatam) omnes clerici, & prædictæ personæ in conscientia teneātur, necnon Oeconomi ipsi, & officiales, aut quicunque persoluere habent eiusmodi ecclesiasticos reditus, præfatam portionem, trium videlicet de quolibet centenario, retineant pro Seminario; cuius fundationem, & administrationem Episcopi fideliter, & solicitè curent, secundum tenorem, & formam à Cōcilio Tridentino traditam, scientes se Deo omnipotenti, & sanctæ eius Ecclesiæ rationem, si quid minus rectè egerint, reddituros.

Placentnè vobis Reuerendissimi Patres hac decreta?

Omnes responderunt. *Placent*.

Actionis 3. dies locus, & solemnitas. *Dominica decima nona post Pentecosten, in die Sancti Mauritij, & Sociorum eius, quæ fuit xxij Septembris, tertia Actio habita est in eadem Cathedrali Ecclesia, processione solemni præmissa, ac Missam celebrante Reuerendissimo Episcopo* del Rio de la Plata, *& post concionem habitam à Reuerendissimo Imperialis Episcopo, eiusdem actionis tertiæ decreta publicata sunt.*

ACTIO TERTIA

Celebrata in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Regum, die xxij: Septembris, anno M.D.LXXXIII.

Cap. I.

Quales oportet esse Episcopos.

QVales esse oporteat Episcopos, à quibus reformationis initium sumendum est, vt iudicium incipiat à domo Domini, cum totius Cleri, & populi salus, atque correctio, ex illorum correctione pendeat, satis quidem sacræ litteræ vno verbo videntur tradere, cum docent oportere Episcopum irreprehensibilem esse, sicut Dei dispensatorem. Quod si vbique quidem Apostolorum successores Episcopos, Apostolicam etiam doctrinam, & vitam referre par est: tamen propria quadam, & peculiari ratione, vbi gentes ad Euangelicam lucem primùm vocantur, quod in hoc altero orbe nostra ætate, in quos fines sæculorum deuenerūt, Dei consilio placuisse cernimus, ibi Apostolico verè muneri Episcoporū, Apostolicam quoque sanctitatem, & lumen respondere debere, nemo est qui non videat; Non enim in ouile Dominicū, nouus Christi grex rectè adduci, adductus rectè pasci potest, quamdiu pastores non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt quęrunt. Itaq; primùm princeps ipse pastorū Christus assiduè, atque ardenter ab omni gradu orandus est, vt pastores hic suo gregi dare dignetur iuxta cor suum, atque vt tales viros integros, probatos, animarum amatores, & vtiles omninò in domo Dei, Regiæ, & Catholicæ Maiestati eligendos pro immensa sua prouidentia semper inspiret. Deindè qui iam ad hunc locum diuina dispositione sub-

Marginalia: 1. Tim. 1. Tit. 1. — August. in psal. 44. 68. c. quorum vices. Concil. Trid. sess. 23. c. 4. de ordin. — 1. Pet. 5. Hierem. 3.

ſublati ſunt, aut poſt hac efferantur, eos hæc ſancta Synodus in viſceribus Christi orat, atque obteſtatur, vt dignitatem ſuam morum præcipuè ſplendore, & vitæ integritate tueantur, forma facti gregis ex animo, nō dominantes faſtu ſæculari, nec turpe lucrum amantes, nec luxu menſæ, aut apparatu ſuperuacaneo, quæ ſunt huius mundi ſapientes, ſed benigni, modeſti, zelo fidei accenſi, pauperum ſemper Patres, & pro commiſſo ſibi grege ſolliciti, miniſterium ſuum impleant tales deniq; ſint, vt per eos glorificetur Deus, & Pater domini noſtri Ieſu Christi, atque illorum aſſiduis precibus, præclariſque meritis donet innumerabiles harum nationum animas, ac de poteſtate tenebrarum ereptas, transferat in regnum filij dilectionis ſuæ.

1. Pet. 5. Concil. Cart. 4. c. 77. Concil. Tolet. 3. c. 7. Concil. Antioch. c. 35. Concil. Triden. ſeſſ. 25. c. 1. & ſeſſ. 13. c. 1. 12. q. 2. c. Epiſcopi & per ſeq.

Cap. II.

Quibus Miniſtris vti debeant Epiſcopi.

QVia verò Epiſcopi in tanta amplitudine diœceſium per ſeipſos pleraque obire non poſſunt, ſtudioſiſſimè videant, quibus ſibi vtendum adminiſtris putent, vt non niſi optimos, & lectiſſimos quoſq; Eccleſiaſticis functionibus adhibeant. In primis familiares ſuos pudicos, ac religioſos eſſe doceant, pia opera, & ſacramentorum vſum frequentare publicè, in præcipuis ſaltèm anni ſolemnitatibus Christi Corpus ſumere: Vicarios verò & iudices, ac viſitatores ex ijs, qui ſapientia, & moribus præſtant, eligant: Nemini porrò non ſolum infami, ſed quouis etiam modo notato adminiſtrationem Eccleſiæ, aut viſitationem quamcumq; committant. Religioſos, & pios viros foueant, veritatis ſtudioſos amplectātur, aſſentatores, & leues homines à ſe amandent, improbis, & rapacibus, ac flagitioſis terrori ſint. Denique quæ à Sanctis Patribus in Cōcilijs tot, ac tanta de Epiſcoporum dignitate, grauitate, litteratura, religione, curaque indefeſſa pro Chriſti Eccleſia, copioſè, ac neceſſariò tradita ſunt, ea vt in ſeipſis exhibeant nouæ huius Eccleſiæ Paſtores omni ratione adniti debent.

1. Tim. 3. Exod. 18. Concil. Triden. ſeſſ. 2. c. 1. Concil. Tolet. act. 2. 1. c. 4.

3. q. 7. c. infamis & c. infames.

Concil. Cart. 4. Tolet. 1. Anthi. & Trid. ſeſſ. 1.

Cap. III.

De protectione, & cura Indorum.

NIhil eſt in harum Indicarum gentium prouincijs, quod Eccleſiæ Præſides, cæterique Miniſtri, non eccleſiaſtici modo, ſed etiā ſæculari potentia inſignes à Christo ſummo Epiſcopo, & Rege animarum ſibi vehementius commendatum exiſtimare debeant, quam vt huic nouo, tenerοque Dei gregi paternum affectum curamque pro ſpirituali, ac temporali eorum neceſſitate, prout Miniſtros Christi decet, impendant. Et certè harum gentiū manſuetudo, & perpetuus ſeruiendi labor, & naturalis obedientia, atque ſubiectio quoſuis homines quantumuis feros, mouere iure poſſit, vt eos defendendos potius arbitrarentur, quam improborum prædam eſſe paterētur. Quapropter dolens impensè ſancta Synodus in hos miſeros, atque imbecilles tantùm fraudis, ac violentiæ non ſolum olim præter modum inuectum, ſed hodie quoque à pluribus deſignari, orat in Christo, atque admonet omnes

Regiæ ſchedulæ de his rebus ad Prælatos, & prouinciarum præſides innumeræ, & perpetuæ ſunt. Vide Salorzan. de iure Indiarum.

nes Magistratus, & Principes, vt ijs se benignos præbeant, suorum ministrorum, cum opus est, insolentiam frenent, & Catholicæ Maiestatis fidei commissos, & subditos liberos certè non seruos agnoscant. Porrò Parochis cæterisque ecclesiacis Ministris seriò præcipit, vt pastores se meminerint, non percussores, & tanquam filios christianę charitatis sinu, Indos foueant, & portent. Quod si quispiam percutiendo, maledicendo, aut aliàs quoquo modo Indum aliquem læserit, Episcopi, & visitatores seuerè admodú, & inquirant, & vindicent; Profectò enim turpissimum est, Dei ministros in sæculi satellites verti.

Concil. Brac. 3. c. 6. Leo. epist. 82. p. 1. dist. 40. cum Beatus, & c. licet.

Concil. Lim. 2. act. 3. c. 116.

Cap. IV.

Nè personæ Ecclesiasticæ vacent negociationi.

CVpiditas, omnium malorum radix ità Ecclesiasticos quoq; plerosque corrupit, vt Domum Dei spiritualem factam negociationis domum cum magno gradus nostri dedecore, magno ouilis Dominici detrimento, sancta Synodus, & ingemiscere cogatur, & erubescere. Cui tanto malo, quod & in dies latius serpere, & Indorum saluti vehementer nocere animaduertit, cupiens pro data sibi à Domino potestate efficacius occurrere, strictè præcipit, ne qua persona ecclesiastica cuiuscunque gradus dignitatisuè sit, negociationem, canonibus toties prohibitam, quacunque arte, coloreuè exerceat, Si quis autem Clericus mercaturæ operam dederit, præter pœnas à iure, atque Concilio superiore impositas, quas innouamus, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat.

1. Timoth. 6. Ioan. 2.

Dist. 88. c. consequens. Gelas. epist. 1. Dist. ead. c. negociatos c. fornicari ext. ne clerici c. 2. Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 93. Concil. Lim. 2. sess. 3. c. 17.

Cap. V.

Parochorum Indorum negociantium pœna.

QVoniam verò auaritiæ negociationisq; turpitudo in Rectoribus Indorum, & crebrior est, & periculosior, cũ Neophiti isti ea de causa tum scandalum graue sustineant, tum instructionis suæ iacturam non mediocrem faciant, tum ab his in temporalibus ipsorum quæstubus occupantur, à quibus debebant spiritualibus incrementis augeri: Idcircò sancta Synodus sub ijsdē pœnis proximo decreto propositis, vetat, nè quis Indorum parochus per se, vel aliam interpositam personam quancunque cum quibusuis Indis mercaturam exercere præsumat. Insuper neque pecora quęcunque alere, pręter necessaria ad victū, aut agros colere, aut vehendis mercibus animalia tenere, vel locare, neque Indos ipsos ad mineralia sibi curanda, mittere, vel eorum operam locare, denique neque cum ipsis Indis negociari, neque cum alijs per ipsos. Qui istorum quidlibet egerit, etiam excommunicatione latę sententię eò ipso se nouerit innodatum. Sciant etiam parochi Indorum mineralium officinas, siuè ingenia, pānorum quoque lanificinas, cęterasque quęstuarias artes, sibi esse penitùs interdictas. Neque enim qui euangelizandi ministerium suscceperunt, Deo simul, & mammonę seruire possunt.

Concil. Lim. 2. sess. 3. c. 17.

21. q. 3. per tot. dist. 88. c. decreuit ne clerici, vel c. 1.

1. Timoth. 2. Matth. 6.

Dis-

Cap. VI.

Dispensationes gratis esse faciendas.

IN quibusdam nostræ Prouinciæ partibus prauus quidá abusus inoleuit, vt pro diuersa qualitate causarum in quibus dispensatio petitur, maior minorue precij summa reddatur, adeo vt taxæ ipsæ veluti lege præscriptæ habeantur: quotiescunque igitur siue vrgens ratio, siue Ecclesiæ vtilitas dispensandum in aliquos persuaserit, Sciant ij penes, quos dispensandi facultas erit, non solum maturè, & grauiter causa cognita, sed etiam gratis omnino dispensationem esse faciendam, aliterq; facta dispensatio subreptitia censeatur. (Concil. Trid. sess.25. c.18.)

Cap. VII.

De Iudice, & ministris causarum Ecclesiasticarum.

IN causis criminalibus Clericorum nulla ratione liceat informationem Iudici, seu cuiuis personæ sæculari committere, cum & alienũ id sit à iure Canonico, & Ecclesiastica dignitati iniuriosum, illud verò Prælati summopere attendant, vt in causis matrimonialibus cum de diuortio, vel adulterio agitur, fidelissimo secreto negotia gerantur, ne per negligentiam in discrimen graue partes conijciantur. (2. q.7. c. nullus, & c. laico. Ibid. q.7. in nonæ, & seq. c. cõtingit de arbit. *Causæ matrimoniales secreto tractandæ.* Concil. Limen. 2. sess.2. c.100.)

Cap. VIII.

Officia Notarij, & Fiscalis gratis conferenda.

OFficia Notariatus aut Fiscalatus quemadmodum est in Concilijs Prouincialibus sæpe dispositum, neque vendantur, neque locentur, sed hominibus probis atque industrijs gratis ab Episcopo conferantur, si secùs fuerit factum, contractus omnis ipso iure sit nullus. (Concil. Tolet. act.2. c.15. Concil. Com post. act.3. c.2. Concil. Lim 2. sess.2. c.101.)

Cap. IX.

Sine Dimissorijs litteris Clericum non esse recipiendum.

GRauissimè veterum Patrum instituta sanxerunt, ne Clerici sine legitima facultate, vel à sua Diœcesi recederent, vel in aliena reciperentur; sed qui id iuris solum esse volunt, quod ipsis libet, facilè iura omnia pessundant, & vbi volunt vagantur, neque suis Præpositis obedientiam deferentes, neque quicquam aliud, crebris huc illuc commeationibus, præterquam auaritiæ suæ ac libidinis scandala plurima excitantes, istos vt Disciplinæ Ecclesiasticæ subditos esse doceat, præcipit omnino sancta Synodus sub pœna pecuniaria arbitrio Episcopi, vt nullus Clericus ex vna Diœcesi in aliam commeet sine litteris Dimissorijs, nullus quoque sub eadem pœna Vicarius, aut Prouisor, aut Iudex Ecclesiasticus aliter admittat quemquã, etiam ad Missam celebrandam. Idẽ à regularium superioribus obseruari sancta Synodus obnixè petit, atque admonet. Insuper statuit, ne huiusmodi litteræ Dimissoriæ à quouis Vicario impetrari valeant, sed tantum ab ipso Episcopo, vel ab ipsius Vicario generali, habente Episcopi expressam ad hoc in suo titulo facultatem: secus concessæ, vel obtentæ litteræ nullius sint roboris, vel momenti. (Concil. Cart. 1. cap.5. Concil. Calced. act.15. c.13. Dist.71. c. primatus. & c. extraneo. & cap. hortamur, & c. nullum. De Cleric. non resid. c. fraternitati. Concil. Limen. sess.3. c.4. Concil. Triden. sess.23. c.16.)

Deser-

Cap. X.

Desertoribus instituti regularis non esse committendas Parochias Indorum.

Concil. Triden. sess. 14. c. 12.

REgularia instituta qui professi sunt, deserentes, non sunt ab Ecclesiæ Præsulibus fouendi: ijs igitur, neque beneficium, aut Ecclesiasticum ministerium conferatur; neque verò Parochia Indorum, nisi ad id idoneam facultatem à Sede Apostolica obtentam ostenderint: excepti quoque à suis Superioribus, aut qui sub nullius certi Prælati disciplina in his partibus agunt, nullo modo Indorum Doctrinis præficiantur, quin potius si deliquerint, corripiantur ab Ordinario iuxta decreta sacri Concilij Tridentini, atque eorum litteræ dimissoriæ, & facultates diligenter examinentur. Quod si aut insufficientes, aut iam exacto iusto tempore inualidæ fuerint inuentæ, omnino in Europam remeare, etiam sub censuris compellantur.

Concil. Trid. sess. 14. c. 11.

Concil. Trid. sess. 6. c. 3.

Cap. XI.

Quoto numero Indorum præficiendus sit Parochus.

10. q. 3. c. vnio nostræ, c. ad audiend. & c. 1. & c. fin. de Eccles. ædif.

ET antiquissima iura, & nouissima sacri Tridentini Concilij decreta Episcopos magnopere admonent, ne plures Parochianos Rectori alicui committi patiantur, quã quibus possint sufficere, ad Ecclesiastica sacramenta administranda, & diuinum cultum peragendũ: Quod maturè expendentes Patres in hac ipsa Vrbe iam pridem ad Synodum Prouincialẽ congregati, simul etiam perniciosum illum abusum in hoc nouo Orbe vigere considerantes, quo innumerabiles Indi interdum in locis valdè distantibus, vnius Parochi curæ traduntur, à quo neque instrui in fide possunt, neque Sacramentis necessarijs imbui, neque pro vt opus est regi, maximè cum ij, vtpotè paruuli, plurima ac penè continua cura pastoris indigeant, vt animas suas liberarent, super speculam Domini constituti, clara voce pronunciarunt, testatiq; sunt, iudicare se non posse vni Rectori plures Parochianos Indos, quam quadringentos tutò committi, sed neque ipsis adhuc quadringentis vnum sufficere certò se affirmare: interim tamen id tollerandum esse. Hęc igitur sancta Synodus, eadem in Domino sapiens, ne in districto Dei iudicio cogatur, animarum iacturam ex defectu Pastorum sustinere, seriò admonet, atque declarat, tam numerosũ Indorum populum non posse tuta conscientia paucis Rectoribus committi, si plures reperiantur idonei. (Si enim desint, alia ratio est.) cum præsertim Indorum tributa, quæ doctrinæ potissimo titulo exiguntur, tanta sint, vt longè plures Ecclesiasticos ministros non rarò alere possint. Itaque censemus in quocunq; populo Indorum qui contineat parochianos trecentos, aut etiam ducentos, proprium Parochum debere constitui. Cum autem pauciores fuerint quam ducenti, curet, & efficiet Prelatus, vt eo reducantur, vbi commodè regi possint.

Concil. Lim. sess. 3. c. 76. 77. & 78.

Vt

Cap. XII.

Vt assignetur parochus ijs qui in mineralibus, aut lanificinis agunt.

IN prædijs, pannorum quoque, aut sacchari, aut mineralium officinis, vbi animarum non exiguus numerus seorsum degit; sæpè doctrina, & sacramentis homines destituuntur. Curent igitur Ordinarij, vbi numerus competens est, Sacerdotem pręficere doctrinæ illorũ, ex portione Canonica sibi debita quadruplicis noueni sustentandum, vbi decimæ Ecclesiasticæ dantur. Quod si hæc pro illius sustentatione non suffecerint, ex bonis, aut commodis ipsius Domini, aut cuius interest (qui si renuat, per censuras etiam compelli debebit) arbitrio Ordinarij congrua portio assignetur. Si ad Rectoris quoque sustentationẽ, qui Hispanorum curam gerit, non sufficerint, quatuor nouenæ partes in Ecclesiarum erectionibus constitutæ, iudicio ordinarij ex parochianorum bonis congruens portio suppleatur, iuxtà Concilij Tridentini decretum.

De Eccles.ædif. c. ad auditum, & c. final.

Concil. Triden. sess.21.c.4.

Cap. XIII.

De portione debita Parochijs, & Hospitalibus Indorum.

ECclesijs, siuè Parochijs Indorũ ex erectione, & fundatione debetur vna nouena pars cum dimidia; Hospitalibus quoque, siue xenodochijs Indorum tãtum omninò attributum est, quemadmodum in Synodo quoque prouinciali annis abhinc sexdecim, explicatum est. Quamobrem & prædictæ portiones imposterum fabricæ, hospitijsque Indorum sine excusatione reddantur, & Capitula Cathedralium pro ijs, quæ hactenus retinuerunt, videant, quemadmodum conscientias suas exonerent.

Concil. Lim.2. sess.3.c.81.

Cap. XIV.

Defectus Doctrinæ Ecclesijs Indorum debere cedere.

EA quæ propter absentiam Indorum parochis de legitimis stipendijs subtrahuntur, quos vulgò *defectus doctrinæ* appellant, debent omninò in vtilitatem Ecclesiæ Indorum conuerti. Itaque vel fabricæ Ecclesiæ, vel ipsius oppidi pauperibus pro Episcopi iudicio omninò distribuantur, neque ad alios vsus vlla ratione applicentur, sicut Regi nostro Catholico placet: si quando tamen ex mandato Episcopi pro ecclesiasticis negotijs parochus ab fuerit, pro talibus absentijs sic ab antistite suo approbatis, nihil de stipendio debito imminuatur, cum iniquum sit, qui Ecclesiæ inseruit, eum Ecclesiæ mercede spoliari. Parochijs porrò Indorum, quas regulares olim minori cum stipendio tenuerunt, eo quod ipsi paucioribus essent contenti, & iam ad Parochos sæculares redierunt, reddatur omninò æquale stipendium, quale solet cæteris conuicinis solui, vt labor æqualis non inæqualem habeat mercedem.

Concil. Lim.2. sess.2.c.11.

Cap. XV.

De reformatione Clericorũ communiter.

QVæ à Patribus magna spiritus sancti luce persusis in Oecu-

Concil. Triden. sess. 22. c. 1.

menico Concilio Tridentino de vita, & honestate clericorum grauiter, & sapienter præcepta sunt, ea omnes, maximè Ecclesiæ huius nouæ Ministri assiduè meditari, atque obseruare studiosissimè debent: meritò enim tradunt maiores nostri, nihil esse quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum instruat, quam eorum vitam, & exemplum qui se diuino ministerio dedicarunt: cum enim in altiorem locum à rebus sæculi sublati conspiciantur, reliquos profectò in eos oculos conijcere, tanquam in speculum, vnde sumant, quod imitentur. Quapropter sic decere Clericos in sortem Domini vocatos, vitã moresque suos omnes componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsq; omnibus rebus nihil nisi graue, moderatum, ac religione plenũ præ se ferant. Leuia etiam delicta, quæ in ipsis maxima sunt, effugere, eorum actiones cunctis afferant venerationem. Quocirca statuit eadem Synodus Tridentina, vt quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à sacris Cõcilijs, de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choræis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, necnon sæcularibus negotijs fugiendis, sancita fuerunt, eadem imposterum ijsdem pœnis, vel maioribus arbitrio ordinarij imponendis, obseruentur: neque appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Quæ salutaria præcepta communiter proposita, volens hæc Synodus inuiolabiliter obseruari: hęc circa Cleri reformationem, omni appellatione postposita specialiter exequenda constituit.

Cap. XVI.

De habitu Clericorum.

Concil. Triden. sess. 14. c. 16. Concil. Late. sub Leo. X. ses. 9. Conc. Constan. sess. 14. Clem. quoniam de vita, & hon. cler. 21. q. 4. per totam. Concil. Lima. sess. 2. c. 37. & sess. 3. c. 20.

PRimùm habitus externus Clericorum decẽs sit, nihil prophanum, nihil ambitiosum præ se ferat; Vestes neque diuersi coloris, neque sericæ sint, neque aut breuiores, aut strictiores, neque contrà prolixiores, & splendidiores, quam decet, sed pro ecclesiastica grauitate talares. Remoueantur verò à Clericali vsu noua quædam inuenta indumentorum, aut ornatus quæ milites, non clericos decent; qualia sunt, quæ patrio more vocare solent. *Lechuguillas, polaynas, punctes, guarniciones de seda, faxas en los manteos alamares, monteras, pantuflos, ò capatos de seda, follajes en las calças, ò musclos, aunque sean de paño.* Et si quæ sunt alia huius generis. Noctu autem armatos volitare (cùm domi etiam quouis modo continere se debeant) tum etiam vestitu militari, ac prophano compositos, nulla ratione ferendum, Quod si negotium vrgeat noctu egredi domo, lux certè præeat, aut honestus comitatus, vt filios lucis ostendat. Porrò cum iter faciunt, decorum sacerdotale ipso etiam apparatu conseruent. Etenim, quod quidam faciunt, lanceas, sclopetos, aliaque id genus arma gestare, milites Christi magnopere dedecet; Barbam, & tonsuram clericalem singulis saltem mensibus radant. Si quis hæc parui pendens, vestibus prophanis vti, aut armis deprehendatur, amittat statim omnes supradictas vestes prophanas, atque arma, quæ arbitrio Prælati applicentur, atque alijs etiam grauioribus pœnis, prout illi videbitur subijciatur.

Concil. Lima. sess. 3. c. 21. dist. 23. c. prohibemus, & c. non liceat. de vit. & hon. cler.

De

Cap. XVII.
De Ludo.

Dist.35.cap. Episcop. in sext. Syn. can.50. Concil. Limen. sess.3. c. 22. de vit. & honest. cler.

ITà multorum Clericorum in ludendo creuit excessus, vt cogamur remedia austeritate tentare, quo & ecclesiastici ordinis infamia aliqua ex parte aboleatur, & perditi mores illorum, qui in huiusmodi insaniunt, quo ad fieri poterit, corrigantur: quicunque ergo aleæ cartisuè pictis, aut alteri, iure prohibito ludo vacauerit, & summam excedentem quinquaginta aureos luserit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat; exceptum tamen esse volumus honestum aliquem, ac recreationis tantùm causa susceptum ludū; in quo comestibile quidpiam, precium sit, & tale, vt duorum aureorum valorem non excedat; quod etiam ipsum frequens esse nō debet.

Cap. XVIII.
Nè Clerici fœminas comitentur, aut laicis inseruiant.

Concil. Tolet. act. 2. c. 35. & act. 3. c. 8.

NVllus in sacris constitutus fœminis familiare ministerium exhibeat; ità vt equitando ducat à tergo, aut ambulando manuteneat, aut comitetur, nisi soror, vel mater sit, alioqui & clericus, & fœminæ contra agentes arbitrio Episcopi puniantur. Eidem quoque sententiæ subiaceat clericus, si laico alicui famulum se exhibuerit, & œconomi, aut alicuius alterius officij genere inseruierit. Qui & gradum suum, & nostrum decretum contemnens, quiduis horum fecerit, arbitrio Prælati puniatur: valdè enim absurdum est, vt qui ad altissimi ministerium consecrati sunt, hi se laicorum, & maximè fœminarum famulos patiantur.

21. q. 3. Credo, & c. Sacerdotū.

Cap. XIX.
De cohabitatione mulierum, & concubinatu.

FOeminarum consortia vitare clerici debent, nè vel continétiam, quam Deo vouerunt, violēt, vel certè honorem suum grauiter lædant, ac clericalem ordinem ludibrio cæteris exponant. Itàque non solùm concubinas tenere nefas, sed etiam mulieres quascunq; suspectas, vel domi alere, vel foris frequentare, turpè admodùm est: & quoniam impunitas peccandi licentiam facilè tribuit, meminerint, se præter cæteras pœnas sacrorum Canonum, Constitutione Concilij Tridentini ad primam monitionem Episcopi, si non abstineant, tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum, & beneficiorum ipso facto priuari. Ad secundam verò monitionem, si adhuc persistant in flagitio, non solum beneficiorum fructibus priuari, sed etiam ab administratione beneficij eo ipso suspendi. Quod si tertiam prætereà admonitionem sine emendatione præterierint, omni beneficio, & officio ecclesiastico priuandos esse, atque inhabiles ad quosuis honores, & beneficia reddendos. Nomine verò beneficij, & ecclesiastici honoris, siuè prouentuum comprehendi etiam doctrinas Indorum, atque ex eis prouenientia stipendia declaramus. Quòd si nulli Ecclesiæ inseruierint, neque beneficium habuerint clerici concubinarij, nihilominùs à suo prælato seuerè punian-

Extra de cohabit. cler. & mulier. Dist. 32. c. quoniam, & seq. Dist. 29. c. oportet. cap. seq.

Concil. Triden. sess. 25. c. 14. Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 82.

Concil. Triden. sess.25.c.14.

tur, iuxtà eiusdem Concilij decretū, additis etiā grauioribus pœnis, prout ipsi videbitur expedire, Episcopi autem, & Visitatores eorum in prædictos clericos concubinarios inquirant assiduè, & postposita omni appellatione ad executionem etiam sine strepitu, & figura iudicij, facti veritate inspecta procedant, scientes sibi in æterno Dei iudicio grauissimè imputandum, si eiusmodi concubinarios monere, aut punire dissimulauerint. Porrò Parochijs Indorum nullo modo clericos incontinentia notatos, aut suspectos præficiant; quin potiùs cùm tales resciuerint, sine cunctatione remoueant, neque aliundè remotos, aliò transferant, nè propter eos (quod crebrò cernimus) nomen Dei blasphemetur inter gentes. sed neque iuuenculas Indas ad seruitia domestica siue perpetuò, siue etiam per vices alternantes tenere vlla ratione permittātur, sed aut famulatu virorum, aut, si opus erit, mulierum satis ætate prouectarum seruitio vtantur.

Concil. Limen. sess.3.c.7.

Roman.3.

Cap. XX.

Nè in scenicis Clerici, aut Monachi agantur.

Concil. Tolet. act.2. c. 21. de vit.& hon.cler. cum decorem.

Clericos, aut monachos agere in scena, aut mimico quouis ludo, non decet, nisi fortè argumentum pium, ac religiosum, & ab ordinario approbatū ad ædificationē populi: sed neque quemcunque clericum maioribus initiatum personā ludicram in eiusmodi comedijs pronunciare fas est. Quicunque horum vtrumuis fecerit, sit eo ipso excommunicatus.

Concil. Lim.2. sess.2.c.42.

Cap. XXI.

Nè Clerici Decimarum conductores sint.

Sacræ leges prohibentes clericos conductores fieri, ad vnguem obseruentur.

Extra nè cler. c.1.et.q.3.et plenius.

Cap. XXII.

De studio Clericorum.

Lectioni librorum ecclesiasticorum clerici attendant, vndè officij sui admoneantur, & authores habeant casibus conscientiæ tractandis idoneos, in quibus versari sint oportet. In his verò negligentes corripiantur. Nullus verò ignotus, & peregrè veniens clericus insigne illud assumat, aut gestet, quod nostri* *Becca* appellant, neque supra pileum Clericalem, galerum amplum, vel sericum ferant: prout Episcopis, vel Præbendatis, vel graduatis moris est, neque verò se aut Doctorem vllus, aut Magistrum, aut Licentiatum, aut Baccalaureum nominet, seù subscribat, sub centum aureorū pœna; nisi prius, Prælato legitimū titulum ostenderit, nè fallaci ostentatione imperiti lædantur, & seducantur.

Concil. Trid. sess.22.c.18

Concil. Trid. sess.23.c.18

Cap. XXIII.

Nè venationibus, & aucupijs Clerici studeant.

Venationibus, aut aucupijs Clericos studere, Sanctorum Patrum statuta prohibent, atq; adeò canes venaticos, aut accipitres alere, more Principum sæcularium. Si quem ergo huiusmodi ineptijs de-

ditum

Concil. Fra... sub Zachari... ne cler. l. ... moch.c.1. Concil. Trid. sess.24.c.12. Concil. Lim. sess.3.c.18.

ditum Ordinarij, & Visitatores offenderint, opportunè coërceant.

Cap. XXIV.

Nè Tabachum Presbyteri fumant ante Missam.

PRohibetur sub reatu mortis æternæ Præsbyteris celebraturis, nè tabachi fumum ore, aut sayri, seù tabachi puluerem naribus, etiam prætextu medicinæ ante Missæ sacrificium sumant.

Cap. XXV.

Vt diebus Festis ad Ecclesias Clerici conueniant.

CLerici omnes, etiam primâ tonsura initiati, diebus Dominicis, & festiuis ad Cathedralem Ecclesiam, aut aliquam parochialem de assensu Ordinarij ad vesperas primas, & secundas, ad tertiam, & missam solemnem, secundum Canones (postposita quauis excusatione) cum superpellicijs conueniant, etiam si præbendam ibi non habeant. Qui neglexerint, arbitrio Ordinarij puniantur.

Dist. 91. esp. Eleutherius, dist. 92. c. si quis præsbyt.

Cap. XXVI.

De Officio diuino ab omnibus Capitularibus persoluendo.

DIuino officio diurno, & nocturno, ac Missarum solemnibus intersint omnes in Cathedralibus Ecclesijs dignitates, atque Canonici, quemadmodum in Tridentino, & Limensi Concilio constitutum est. Qui verò non interfuerint, sine vlla remissione distributiones amittant, quæ cæteris qui intersunt, eo ipso debeantur: neque verò remissionem, aut condonationem vllam in ijs sibi vicissim Capitulares facere possint; si fecerint, nulla sit, sed distributiones ità perceptas teneatur in conscientia restituere, qui fraudem fecit. Prætereà designetur, qui notet defectus absentium fideliter, & secretò, cui etiam tertia pars cedat mulctarum, quauis collusione prorsus exclusa. Portiones verò tam ex decimis, quam ex obuentionibus debitæ in quotidianas distributiones conuertantur, ac diuidantur secundum erectionem, & superioris Concilij Canonem, quem innouamus, atque omninò seruari mandamus.

Concil. Triden. sess. 24. c. 12.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 63.

Concil. Comp. act. 2. c. 16.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 68.

Concil. Tolet. act. 5. c. 10.

Concil. Lim. 2. sess. 3. c. 66.

Cap. XXVII.

De precibus, matutinis, & Salue Regina.

HOræ canonicæ matutinæ ante pulsum Salutationis Angeticæ nequaquam inchoëntur; signum verò campanæ ad singulas canonici officij horas detur. Omnibus autem Sabbathis *Salue Regina* cantetur in Cathedralibus, & parochialibus Ecclesijs, cui intersint præbendati, & alij clerici omnes cum superpellicijs, etiam primæ tonsuræ, alioqui arbitrio Ordinarij plectantur.

Cap. XXVIII.

Nè præbendam obtinentes à sua Ecclesia absint.

CAthedralis Ecclesia suis ministris carere non debet; Itaque, quod quæstus, non charitatis causa fit, nulla ratione permittendum est, vt dignitatem, Canonicatum, aut quam-

quamcunque præbendam in ea obtinentes ad vicariatum, aut curatum extrà illam mittantur, quod in sede vacante, quia per quam frequens est, nè fiat sancta Synodus sub æterni iudicij comminatione denuntiat. Nulli quoque in Ecclesia Cathedrali præbendam obtinenti commeandi in Hispaniam copia fiat, nisi præbendam suam, aut beneficium priùs resignauerit. Præterea ijdem in Ecclesia Cathedrali præbendam obtinentes, non ampliùs quam per mensem, atque hunc interpolatum, ac per dies non per horas computandum, ab Ecclesia abesse possunt.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 71.
Concil. Triden. sess. 14. c. 12.

Cap. XXIX.
De Scholastico, & Cantore Cathedralium.

CVm beneficium detur propter officium, munusque scholasteriam obtinentis in Cathedralibus sit, docere literas; Cantoris verò cantum Ecclesiasticum. Cumque tam Tridentini Concilij generalis, quam superioris Prouincialis id fieri decreto sancitum sit; Statuimus in nostra Pronincia posthac, vt scholasticus prælegat lectionem, quam ei suus Præsul indixerit, & cantor doceat rationem cantus, idque vterque exequatur intra decem dies, ex quo statuti notitiam cœperit, Alioqui seuerè arbitrio Episcopi mulctentur. Quod si in Seminario puerorum erigendo, suo fungantur munere, eo ipso sint liberi à contributione pro dicto Seminario.

Concil. Triden. sess. 23. c. 15.
Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 75.

Cap. XXX.
De Capellanijs.

CApellaniæ in Ecclesijs Cathedralibus, aut Parochialibus institutæ, nisi ex ipsa fundatione Dignitatibus, aut Canonicatibus, aut alijs Beneficijs sint annexæ, capitularibus, aut beneficiatis non conferantur, sed alijs clericis, vbi sunt institutæ, inseruiant iuxtà decreta Cōcilij Tridentini, & Regis nostri Catholici voluntatem.

Concil. Triden. sess. 14. c. 17.

Cap. XXXI.
De Oeconomis Ecclesiarum.

NVllus Oeconomus in Cathedralibus, vel parochialibus Ecclesijs admittatur, nisi priùs fideiussoribus datis. Arca autem tribus clauibus clausa pro ecclesiastica pecunia conseruanda, vbi commodè fieri poterit, teneatur, in qua œconomi, quidquid pecuniæ receperint, intrà triduum reponant.

Cap. XXXII.
De habitu Eremitarum.

QVamuis monachum non faciat habitus, decet tamen vnumquemque iuxtà suam professionem habitu distingui. Quarè qui Eremitico instituto gaudent, neque pileum clericorum, neque fratrum, aut monachorum capitium ferant: veste autem vtantur nigra. Quòd si paupertatis causa viliori panno, vti velint, quem Hispanè vocamus *xerga*, poterunt facilè nigro colore inficere.

De

Cap. XXXIII.
De Sanctimonialium bonis.

Concil. Turon. c.31. & 26. de instit. c.1. & c. auctoritate.

De statu Regn. in 6. §. sane.

Concil. Trid. sess.25. c.3.

AD habitum Sanctimonialium non plures recipiantur, quam ex Monasterij bonis ali possint: Præpositæ verò prouideant ipsis monialibus de omnibus sibi necessarijs, ita vt cognatis & populo in ijs efflagitandis molestæ non sint. Abbatissis autem, siue Priorissis, seù quocunq; alio nomine præsint, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, vt quidquid Eleemosynæ nomine à monialibus ingredientibus receperint, in redditus annuos, & bona stabilia Monasterij conferant. Quod si ex vrgente aliqua necessitate eleemosynæ aliquid consumendum erit, vt nullo modo id fiat, nisi priùs consulto, & approbante prælato. Quod si ex redditibus Monasterij, vel ex consuetis eleemosynis tantum suppetat monialibus, vt ad ipsarum victum, fabricam Ecclesiæ, aliasq; necessitates commodè sufficiat, minimè liceat alias recipere pacta certa eleemosyna pro dote, secus si monialium numerus augeatur.

Concil. Rom. cap.33.

Cap. XXXIV.
De Visitatione Sanctimonialium.

QVando Monasteria Sanctimonialium visitantur, principio visitator vna aut duabus personis honestis associatus ingrediatur, vt dispositionem ipsam domus, atq; officinas, cæteraq; necessaria scrutetur & videat. In fine quoque visitationis iterùm, cum capitulum super correctione de culpis tenendum est, eodem modo ingredi poterit: Cætera verò ad cancellos siue fenestellam transfigantur. Quod si præter hæc opus sit, claustra aliqua ex causa ingredi, id non fiat à visitatore, nisi facultate ab Ordinario priùs in scriptis obtenta.

Concil. Trid. sess.25. c.7. & c. 59.

Cap. XXXV.
De Collocutorijs Sanctimonialium.

Concil. Turon. c.29. Conc. Foro. Iuli c.12.

ABbatissæ siuè Præpositæ sæcularibus facilem cum sanctimonialibus colloquendi licentiam non concedant, nisi Parentes aut fratres fuerint. Atque ijs ipsis non ita crebrò. sine teste verò loqui non permittant. Porrò Clerici illarum collocutoria ne frequentent, quod si absque Prælati permissu eas visitare pro nihilo duxerint, excommunicentur.

Cap. XXXVI.
De Dote non augenda, ob defectum natalium.

De Symo. cap. quoniam. c. veniens. & c. non satis.

SI qua mixti generis mulier (quas vulgo *mestizas* vocant) in Monasterium recipi velit, eadem omnino dote, qua cæteræ recipiatur: neque pro eo quod admittatur, vt sit de Choro, amplius quicquam exigatur, quàm à cæteris de choro soleat, cum ea omnis conuentio simoniaca labe non careat, sed si alias satis idoneæ sint, nequaquam tales excludantur à choro ex defectu natalium, cum apud Deum fides non genus in precio sit.

Libros

Cap. XXXVII.
Libros Prophanos & lasciuos vitandos.

Pius IV. in Cathal. librorum prohibitor.

LIbri qui res lasciuas & obscenas tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed etiam morum, qui eiusmodi lectione librorũ facilè corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur, & qui eos habuerint, seuerè ab Episcopis puniantur: antiqui verò ab Ethnicis conscripti, propter sermonis elegantiam & proprietatem, permittũtur, nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt. Et quoniam apud Indos litterarum ignaros pro libris signa quædam ex varijs funiculis erant, quos ipsi *Quipos* vocant, atq; ex eis non parua superstitionis antiquæ monumenta extant, quibus rituum suorum & ceremoniarum, & legum iniquarum memoriam conseruant, curent Episcopi hæc omnia perniciosa instrumenta penitus aboleri.

Cap. XXXVIII.
Vt fœminæ Ecclesias frequentent, & ibi modestè se gerant.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 131.

Hieron. in Epist. ad Letam.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 130.

Ambros. in lib. de Viduis.

ADmoneantur matresfamilias secum in Ecclesiam deferre filias iuuenculas, vt ipsis præsentibus Missarum solemnibus, & verbi Dei prædicatione fruantur, cum honestiùs ac tutiùs id fit, quam domi ancillulis virgines commendatas relinqui; viduæ quoque superstitiosum atque ambitiosum illum morẽ tamdiu post defunctũ virum domi manendi Ecclesiæ religiosissimæ Disciplinæ postponant, diuinaq; officia ad consolationem suam opportunè adeant. Et tam ipsæ quam reliquæ omnes fœminæ modestia sua, & silentio atque ornatus confessusque Christiana sobrietate; tum etiam verbi diuini audiendi frequentia & auditate merito apud Deum, & Ecclesiam, deuotum fœmineum sexũ commendent.

Cap. XXXIX.
Vt Medici Confessionem ægrotis illicò iniungant.

Concil. Later. 4. 22. de pœn. & remiss. c. cum infirmitas.

B. Pius V. in proprio motu.

MEdicis & Chirurgis de spirituali confessionis Medicina ægrotos in ipso statim initio admonere cessantibus pœnas per litteras Apostolicas Pij V. inflictas, sine vlla remissione ad executionem conferendas curent ordinarij. Qui & ipsum breue Sedis Apostolicæ ipsis denuò intimari faciant, & si contumaces fuerint seuerioribus etiam pœnis subijciant.

Cap. XL.
Dies festos seruandos.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 132.

B. Pius V. in motu proprio cum primum.

Concil. Later. sub Leon. X. sess. 9.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 118.

DIebus Dominicis atque festiuis mercimoniorum emptiones venditionesque prohibeantur. præsertim in Indorum oppidis: quæ verò in foro venalia exponi solent, Missæ celebrationẽ exspectent. Mercatores qui secus egerint, præsertim si scandalo Indis sint, excommunicentur. In oneribus quoque iumentorum, Agasonum, cæterisq; seruilibus laboribus, executioni mandentur contra inobedientes, pœnæ per fel. recor. B. Pium V. propositæ. In Blasphemos quoq; prout est ab eodẽ sanctiss. Pontifice, & à Cõcilio superiore præceptum, acriter vindicetur.

Ab

Cap. XLI.
Ab esu Carnium abstinendum diebus ab Ecclesia praescriptis.

B.Pius V. in motu proprio. CArnibus vesci diebus à iure prohibitis, nemini liceat, nisi de vtriusque Medici spiritualis, & corporalis assensu: Neque verò eas vel vendere, vel mercari fas sit. Ab ijs etiam abstinere in Litanijs, siue Rogationibus, per triduum, & vsque ad meridiem publicis processionibus & concionibus interesse, omnes Christianos hortatur hæc Synodus. De consecr. d. 3. c. rogationes.

Cap. XLII.
Praetoribus Indorum non esse tanquam Episcopis obuiam procedendum.

CErta relatione comperimus; Prætoribus Præfectisuè sæcularibus Indorum, passim cum ecclesiastico apparatu, & cruce elata obuiam prodire Sacristas, aliosuè Ecclesiæ ministros; Quod & Regiæ leges improbant, & ecclesiastico decore nimis indignum est. Id ne imposterum fiat, districtè præcipimus, Parochos, si ad talia conniueant, & assensum præbeant, vinculo excommunicationis ipso facto innodantes.

Cap. XLIII.
De Peruigilijs Ecclesiarum.

OStia Ecclesiæ noctu aperta nemo relinquat sub pœna excommunicationis, neque pernoctationes in ea vllo modo virorum, & fœminarum, neque lectisternia permittantur: mulieres verò noctu mendicare, aut ostiatim circumire, quod nonnullæ faciunt, vt nefarium omninò, & flagitiosum damnamus, & ordinarijs seuerè vindicādum commendamus. Concil. Tolet. 4. c. 10.

Cap. XLIV.
De Confraternitatibus.

COnfraternitates ab Ordinarijs visitentur, &, quantum licebit, ad minorem numerum redigantur; nouas verò institui non permittant sine graui causa, neque pro iam institutis, eleemosynas peti cōmuniter, nisi diebus Dominicis, & festiuis: Idque petita semper, atque obtenta Prælati licentia. Æthiopes verò, & serui nulla Confraternitatum huiusmodi nomine, conuenticula facere sinantur, nisi in Ecclesijs, aut locis pijs, ac tunc aliquo etiam Sacerdote præsente, qui eorum acta moderetur, atque ad id quod expedit dirigat. Concil. Triden. sess. 22. c. 8.

Indictio futuræ Sessionis.

Postremò hæc nostra Synodus cum de reformatione nonnulla adhuc, eaque non leuia supersint, declarat in diem Apostolorum Simonis, & Iudæ Sessionem Deo fauente futuram, vt prædicta Decreta publicentur: Interim verò Concilium prouinciale nequaquam cessare, donec Spiritus sancti gratia annuente de Reuerendissimorum Patrū consensu, finis eidem Concilio imponatur.

Placent vobis Reuerendissimi Patres hæc decreta?

Responderunt omnes, *Placent.*

ANTICIPATIO SESSIONIS.

CVm celeri morbo correptus die Octobris nona, animam egisset Reuerendissimus Episcopus Cuzquensis, atque instaret Reuerendissimorum Chilensium ad suas Ecclesias nauigatio, de consensu Patrum, decretum est, actionem anticipandam in Dominicam proximam, quæ fuit vigesima quinta post Pentecosten, die Octobris decima tertia, in qua missam solemniter celebrante, ac simul concionem habente Reuerendissimo Imperialis Episcopo, quartæ actionis sequentis Decreta recitata sunt.

ACTIO QVARTA

Celebrata in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Regum, die xiij: Octobris, anno M.D.LXXXIII.

Cap. I.

Quibus sit committenda Visitatio.

ECclesiasticæ disciplinæ neruus ferè in Canonica visitatione consistit, quem astu dœmonis, & auaritia hominum plurimorum ità debilitatam cernimus, vt inde potius plurimæ quærelæ, & damna prouenerint, vnde remedia damnorum meritò expectanda fuerant: quã totius prouinciæ labem cupiens sancta Synodus diuino aspirante numine auertere; Primùm Episcopos omnes seriò admonet, vt ipsi per se paterno affectu diœcesim suam perlustrare non cessent: Quod si visitatores mittendos censuerint, quod propter nimiam Episcopatuum Indicorum amplitudinem sæpè fieri necesse est, solicitè videant, vt non nisi viris integris, spectatæ probitatis, industrijs, atque idoneis visitationem committant; & quos sciant neque doctrinas ipsas, siue parochias Indorum ambire, neque oblatas etiam acceptaturos.

Concil. Tolet. 4 c.35.10.q.1. cap. Episcopum per cunctas. Concil. Triden. sess.24.c.3.

Cap. II.

De Procuratione Visitatorum.

PRocurationis nomine ità vnicuique visitatori competens salarium assignetur ab Episcopo, vt neque de pœnis Cameræ Episcopalis, neque de condemnationibus visitatori ipsi, aut officialibus eius aliquid proueniat. Tempus autem nõ longius in visitatione consumant visitatores, quam necessarium esse perspexerint: Si secùs egerint, ità vt propter sua commoda, aut quouis alio respectu diutiùs immorentur, excommunicatione feriantur. Instructionem verò ab hac sancta Synodo factam pro Visitatoribus sub mortalis peccati reatu, & secum deferre, & fideliter obseruare teneantur.

Concil. Lim. 1. sess.2.c.110.

Concil. Tolet. 7. c.4. 10. q.3. c. inter cætera, & c. caueendum.

Est tertiũ edictum generale inferius producendum.

De

Cap. III.
De modo procedendi in Visitatione.

QVamdiù informationes secretè fient, parochus, siuè is qui visitatur nequaquam adsit, sed fiat Indis libera facultas denunciandi suas, vel quærelas, vel grauamina, si à suo se parocho læsos existimauerint. Interim dum parochus absens est, alius si commodè fieri queat, Rectoris officio fungatur. Porrò processus circa crimina grauiora Parochorum à visitatoribus fulminentur vsque ad diffinitiuam exclusiuè, atque ità obsignati ad Ordinarium transmittantur, adhibito ipsius visitatoris de vnaquaque causa indicio, vt tandem Episcopus vltimam sententiam ferat: id vt fideliter, atque integrè faciant, Visitatores omnes monet hæc sancta Synodus. Quod si timore Dei postposito processus aliquos occultauerint, aut iniqua collusione cum visitatis, eorum vitia dissimulauerint, vel ad Ordinarium prædictas causas integrè non transmiserint, Visitatores ipso facto, excõmunicatos esse decernimus.

Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. vers. Visitatores etiam.

Cap. IV.
De modestia, & sobrietate Visitatoribus obseruanda.

VIsitatores, vt non solum excessus corrigant, sed etiam exemplo modestiæ, & christianæ sobrietatis ædificent, nullo modo patiantur pompam, aut prophanum apparatum, aut nimios sumptus in occursationibus, & hospitationibus sibi exhiberi. Munera quæcunque, aut commodi aliquid, præter ea quæ sunt à iure permissa, neque visitator ipse recipiat, neque suos recipere permittat; sed neque emat, neque permutet cum his qui visitantur equitatum, aut aliquid aliud. Si quid eiusmodi acceperit, sciat se ad dupli restitutionem intra mensem faciendam iuxtà Constitutionem Concilij Tridentini, in conscientia teneri; quod si non restituerit intrà prædictum tempus, ab omni, & beneficio, & officio esse suspensum secundum Gregorij X. in Concilio generali editam sanctionem.

Concil. Brac. 2. cap. 2.
Concil. Tolet. 7. c. 4.

c. cum Apostolus de censibus.

Concil. Trid. sess. 24. c. 3. c. exegit de cens. in 6.
Gregor. X. in Concil. Lugd.

Concil. Lugd. 2. num. 19. apud Binium.

Cap. V.
De visitatione fabricæ, & ornamentorum.

IN visitationibus fabricæ, aut ornamentorum diuini cultus, decretum Tridentini Concilij, nulla ratione violetur, vt Patroni nullatenùs se immisceant visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut stabiliũ, seù fabricarum prouentibus, nisi quatenùs eis ex institutione, ac fundatione id competat.

Concil. Trid. sess. 24. c. 3. de reform.

Cap. VI.
Quomodo, & quando Indorum Testimonium sit recipiendum.

SAcerdotum qui inter Indos agunt, atque eis præsunt, existimationi securitatique consulere volens sancta Synodus, cum sciat hos passim malitiosè impeti, atque eo faciliùs traduci quo seueriùs vitia subditorum corrigunt, aut Hispanorum auaritiæ, violentiæq; obsistunt, superioris Concilij consultissimam constitutionem innouat, atque imprimis mandat, nullum è Parochia

Concil. Lim. 2. sess. 3. c. 114. 3. q. 6. c. retino.

debere detrudi, etiam si multæ, & graues quærelæ ad Episcopum deferantur, nisi oculato examine per se, vel per commissarium aliquem ibi causa agatur, vbi ille deliquisse narratur. Nam quantum fidei testibus præbendum sit, Iudex ecclesiasticus præsens meliùs nosse poterit, & rei totius ordinem discere. Prætereà cum ordinaria, aut extraordinaria visitatione inquirendum erit in sacerdotem, videat omninò qui iudicat, vt ab Infidelibus Indis, nullum contra sacros Canones testimonium admittat, sed neque ipsos fideles Indos, aut etiam Hispanos, si suspecti sint, quod sæpissimè accidit, adhibeat, sed integros, & Deum timentes testes inuestiget. Illud verò ante omnia teneat pręoculis, vt Neophitos iurare non cogat, nisi in re prorsus graui, & quæ aliter definiri non possit. At tunc prius, quantum sacrilegium admittant periuri, seriò doceat, si quos autem peierasse probauerit, ad timorem cæterorum, iubeat publicè fortiter vapulare, & infamia notari, attonsis pro more Indico illorum crinibus. Denique vbi necessitas exigendi testimonij vrgẽs fuerit; Et ex solo Indorum testimonio res pendeat, perpendat, quantum fidei talibus debeat adhiberi, quos facilè ad peierandum induci notum est,

3. q. 5. c. suspectos, & c. nullus

4. q. 1. c. si testes 22. q. 5. c. ille qui.

22. q. 5. c. qui peierauerit.

Concil. Matisc. cap. 21.

Cap. VII.

Indorum crimina ad forum Ecclesiasticum spectantia corporali potiùs, quàm spirituali pœna esse punienda.

SI nulla potest respublica sine metu supplicij in officio contineri, neque sufficiunt, quantumuis benè, ac sapienter constitutæ leges ad cohibendos à criminibus homines, nisi pœnæ pariter in rebelles decernantur, profectò, Barbara, & rationi non vsque adeò obsequens Indorum natio, pijs, & salutaribus institutis parere nũquam sicut opus est, assuescet, si rectores suos veluti ad vindicandum in malefacta, impotentes facilè contemnat. Nam & Apostolus quibus spiritum mansuetudinis non satis esse putabat, etiam virgam, & potestatem à Domino acceptam, interdum minabatur: Sed cum Ecclesiæ spiritualis vindicta grauissima sit, ad animarum intima penetrans, ijs tamen vtilis esse potest, qui bona spiritualia, & damna possunt satis cogitatione concipere, & prout oportet, expendere. Quibus verò nihil, vel pretiosum, vel vile est, nisi quod oculis cernitur, in eos certè spiritualis illa censura intentata, poterit proficere parum, nocere plurimum. Quam rem cum prudẽter superiores huius Noui Orbis antistites secum perpenderent, statuerunt in has tam faciles, & minimè perspicaces Indorum gentes ab excommunicatione, cæterisque censuris esse abstinendum; pro his verò ad cõseruandam ecclesiasticam disciplinam, & religionem necessariò externa, & corporali aliqua pœna vtendum, quod à priscis in simile genus hominum etiam obseruatum esse compertum est. Itaque Concilij superioris salutaria de hac re decreta confirmans, atque innouans, statuit hæc sancta Synodus pro culpis ad Ecclesiasticum forum attinentibus, etiam ecclesiasticos Iudices posse, ac debere Indos corripere. Qua-

1. Corinth. 4.

Concil. Lim. 1. sess. 3. c. 117.

26. q. 5. c. cum Idolorum et greg.

Concil. Arel. c. 11. Ino. lib. 11. c. 49.

Concil. Matisc. cap. 21.

Concil. Magun. c. 45.

Concil. Lim. 2. sess. 1. c. 115.

Concil. Tolet. 4. c. 15.

Qualia sunt atrociora illa Idololatriæ, aut Apostasiæ, aut superstitionis gentilicæ crimina. Tum sacrilegia in Baptismum, in Matrimonium, in alia etiam Sacramenta admissa. Deindè, & illa minora sunt necessariò corrigenda, Missæ, aut catechismi voluntaria omissio, ebriositatis quoque, & concubinatus satis istis familiaria vitia: pro talibus certè iuxta delicti mensuram potest adhiberi pœnarum modus; sed tamen paterno magis affectu, quam iudiciaria seueritate, dum tenera est in fide Indorum ætas, correctio præstanda erit, nisi ad sedandum multorum scandalum, & frenandam licentiam peccandi durius aliquid oporteat designare.

Cap. VIII.

De moderatione seruanda in punitione Indorum.

Concil. Lim. 1. sess. 3. c. 116. SEd quoniam, & natura Indorũ timida est, & nonnulli sacerdotum præter decorum assiduè sæuiunt, præcipit omninò sancta Synodus, nè Parochus, aut quæuis alia persona ecclesiastica per se ipsum vnquam cædat, aut puniat quãtumuis delinquentem, cum sit à sacer-

Concil. Lim. 1. sess. 3. c. 117. dotali dignitate alienissimum: sed cùm id erit agendum, per fiscales ministrosque ad hoc creatos agatur. Deindè præter Vicarios, & Iudices ecclesiasticos nullus Parochorũ supplicium sumat de Indis sibi subiectis, nisi à diœcesano suo habeat præscriptam legem quam in eiusmodi correctionibus seruare debeat, quam si excesserint, atque iræ suæ indulserint, Parochi, Episcoporum, & Visitatorum conscientias oneramus, vt in huiusmodi excessum vindicent, neq; percussores, & pusilli Christi gregis perturbatores impunè abire permittant, quemadmodum Apostolicis etiam Canonibus constitutum legimus. Canon. 28. dist. 45. 1. Episcopi.

Cap. IX.

De obseruantia dierum Festorum.

DIes festi ab Ecclesia statuti cum omni deinceps deuotione seruentur. Quos autem in nostra Prouincia Hispanos omnes oportet seruare, *sunt hi*: Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Stephani Prothomartyris, Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ Domini, Purificationis Beatæ Virginis, Matthiæ Apostoli, Annunciationis Beatæ Mariæ, Resurrectionis Domini, cum duobus sequentibus, Marci Euangelistæ, Philippi, & Iacobi Apostolorum, Inuentionis sanctæ Crucis, Ascensionis Domini, Pentecostes cum duobus sequentibus, Trinitatis, Corporis Christi, Barnabæ Apostoli, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, Petri, & Pauli Apostolorũ, Mariæ Magdalenæ, Iacobi Apostoli, Transfigurationis Domini, Laurentij Martyris, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Bartholomei Apostoli, Natiuitatis Beatæ Mariæ, Matthæi Apostoli, Dedicationis Sancti Michaëlis Archangeli, Lucæ Euangelistæ, Simonis, & Iudæ Apostolorum, Omnium Sanctorum, Andreæ Apostoli, Conceptionis Beatæ Mariæ, Thomæ Apostoli. Præter hos etiam si qui sunt ex probata consuetudine, aut ex legitimis priuilegijs, festi dies introducti, & ipsi reli-

De consec. dist. 3. c. pronunciandum.

De ferijs, cap. conquestus de reliq. c. gloriosus m.

Festa præcepti pro Hispanis.

religiosè in vnaquaque regione ſeruentur.

Feſta præcepti pro Indis.

Porrò Neophiti, quos Eccleſiæ[b] *materna Indulgentia* præceptorum ſuorum ſarcina magna ex parte leuandos exiſtimauit, ſequentes tantùm dies iuxtà ſuperioris Synodi Prouincialis ſtatutum obſeruare cogantur: Primùm dies omnes Dominicos, vt Eccleſia vniuerſalis ſemper obſeruat. Deindè diem Natiuitatis Domini, Diem Reſurrectionis primum, Diem Pentecoſtes primum, item Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti, Beatæ quoque Virginis Mariæ, feſtum Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis, demùm Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Concil. Lim.2. ſeſſ.3.c.90.

Feſta libertatis Indorum.

Si qui tamen Indorum plures alios dies feſtos noſtro more ſeruare voluerint, & in ijs ab opere ſeruili vacare, integrum ſit ipſis facere ex deuotione, neque vllo modo in ijs laborare à quoquam penitùs compellantur.

Cap. X.
De Reliquijs Sanctorum.

Concil.Triden. ſeſs.25. dec.1. Concil. Lim.2. ſeſſ.2.c.55.

RElìquiæ Sanctorum, quas magnopere venerari decet, à nemine teneantur, niſi per Ordinariũ prius examinatæ, atque approbatæ, neque tales etiam à ſæcularibus, & laicis portentur, niſi de eius ſpeciali facultate, iuxtà formam ſuperioris Concilij: deuotio tamen meritò laudabilis, circa cereos *Agnus Dei* à Sũmo Pontifice benedictos ſecum geſtandos, omnibus modis probatur, dummodò puri, ac non fucati coloribus ſint.

Motus proprius Gregor.XIII.

Cap. XI.
De Miſſali, & Proceſſionibus.

IN Miſſali auctoritate Summi Pontificis edito, nihil addatur, aut detrahatur, aut immutetur quouis modo, ſed quemadmodum eſt ab Apoſtolica Sede cõſtitutum, Miſſæ ceremoniæ omnes, cæteraque diuina peragantur. Proceſſiones autem ante Miſſarum ſolemnia fieri poſſunt, [a] *in die Natiuitatis*, in Dominica Reſurrectionis, in Dominica Pentecoſtes, in omnibus diebus feſtis Saluatoris, in quatuor celebrioribus Deiparæ Virginis, id eſt in Aſſumptione, in Annunciatione, in Natiuitate, in Purificatione; Item in feſtis Apoſtolorum, & in die Omnium Sanctorum. Inter Miſſarum autẽ ſolemnia alicui ſæculari pacem cum patena dari, aut per miniſtrum ordinis ſacri, ad fœminam cuiuſcunque qualitatis deferri, nulla ratione permittatur.

Dies proceſſionum.

Patena ſecularibus oſculanda non detur.

Cap. XII.
De Decimis.

IVri communi, & antiquo inhærens ſancta Synodus, præcipit ſtrictè decimas ſolui Eccleſiæ ex omnibus terræ fructibus, etiam ſylueſtribus, etiam ſpontè naſcentibus; nam ſi à Deo omnia donantur, qui dat omnibus abundè ad fruendum, æquum ſanè eſt, vt ipſi dominatori per ſuos fideles, aliqua ex parte reddantur: primitiæ quoque de omnibus terræ fructibus dentur, ac per Prælatum ijs, quibus de iure competunt diſtribuantur.

Ib.q.1.decimas. Ib. q.7. c. quicunque, & ſeq. de decimis, cap. peruenit, cap. nuncios, & cap. non eſt.

Vt

Cap. XIII.
Vt Matrici cæteræ Ecclesiæ deferant.

Concil. Later. sub Leon. X. sess. 11.

IN pulsandis campanis in Sabbatho magnæ Hebdomadæ, matricem Ecclesiam cæteræ expectent, iuxtà Ordinationem Concilij Lateranensis.

Cap. XIV.
De Edictis Publicis.

Hæc edicta: Vide infra post hoc Concilium.

EDictum sub quadragesimam legi solitum in vniuersa Prouincia sumatur iuxta exemplum ab hac Synodo datum, & approbatum, neque alio vti liceat: Idem in excommunicationibus ferendis pro rebus furtiuis, aut aliàs generalibus fiat, nisi à Sede Apostolica alia forma præscribatur.

Cap. XV.
De Taxis Episcopalibus.

Et hæc taxam

PRo Episcopalibus audiẽtijs Prouinciæ Peruanæ, ab hac Synodo constitutus est ordo taxarum, quem præcipimus, ab omnibus Episcopis & officialibus & Ministris in Regno Peruano inuiolabiliter custodiri. Pro cæteris Diœcesibus extrà seruatur taxa vsu & consuetudine in ijs hactenùs approbata. Notarij autem publicè sibi præfixas taxas habere, & secundum eas iura sibi soluta in quauis scriptura assignare teneantur.

Cap. XVI.
Ne præter Episcopi collationem Parochiam quisquam suscipiat.

Concil. Lat. sub Leon. X. sess. 11.

NVllus posthac Clericus Parochiam Indorum absque Episcopi collatione suscipiat, vel administret: Qui aliter susceperint, etiam si proprio Rectore Parochia destituta sit, anathemate feriatur: Idem à Regularibus obseruetur.

Cap. XVII.
De Examinatoribus ab Episcopo deputandis.

Concil. Tridẽn. sess. 24. c. 18. Concil. Tolet. act. 2. c. 24.

EXaminatores, qui futuros Indorum Parochos, tum de litteris, tum de linguæ Indicæ peritia examinent; vnusquisque Episcopus in Diœcesana Synodo iuxta Concilij Tridentini Decretum cõstituat. Ad explorandam verò tam notitiã sacræ Doctrinæ quam sermonis Indici facultatem, Catechismo ab hac Synodo edito, atque approbato examinatores potissimum vtantur, vt eum futuri parochi tenere & intelligere, & eloqui rectè sciant. Porrò Doctrina siue Parochia Indorum, vbi Episcopus ipse præsens fuerit, ab ipsius Vicario nullo modo conferatur.

Cap. XVIII.
Indos non esse deserendos propter celebritates Vrbium.

Concil. Lima. sess. 3. c.

CVm solemnes feriæ aguntur in vrbibus, earum celebritatis causa Parochi populos sibi Indorum cõmissos nequaquam deserant, etiam si Sacratissimũ corporis Christi

sti festum, aut etiam dies Parasceues in magna Hebdomada celebretur: neque verò ob id vocentur, & inuitentur à Vicarijs Vrbium, cum Deo sit longè gratius obsequium oues proprias eo tempore instruere & curare, quam cum illarum periculo vrbanas solemnitates frequentare.

Cap. XIX.

Vt Beneficiati Rectores Parochiarum iuuent.

Concil. Tolet. st.3.c.21.

QVi simplicia Beneficia in Ecclesijs Cathedralibus aut Parochialibus obtinent, Rectores ipsos Parochiarũ, tum in audiendis confessionibus; tum in alijs Ecclesiasticis munijs obeundis Christiana charitate adiuuent; vt sicut socij sunt honoris, sic etiam sint laboris. Quod si cùm vrget frequentia confessionum, aut insignis quæuis necessitas, id facere recusauerint, ab Episcopo puniantur.

Cap. XX.

De Quarta funerali, & portione Canonica.

C. conquerenti de offic. iud. ord.

QVarta funeralis ac Canonica portio, & quarta etiam oblationum, Episcopo à iure concessa, tam à capitularibus, quam à cæteris Clericis persoluatur eo ordine, & modo, quem sacri Canones statuunt. Pro controuersijs verò componendis, quæ harum portionum occasione oriri solent, deputentur in vnaquaque Diœcesi; ab Episcopo Collectores, qui sine cuiusquam præiudicio singulis, quæ sua sunt, attribuant.

Cap. XXI.

Ne in appellationibus originalia acta tradantur.

QVando ad Metropolitanum, læsus quispiam sibi appellandum putauerit, processus atque acta originalia nullo modo Notarij tradant, sed illorum transumptum, fide competenti munitum, dare sufficiat. Verum neque hoc etiam reddere compellantur, nisi soluta prius congrua mercede, iuxta Cõcilij Tridentini Decretum. Concil. Trid. sess.24.c.10.

Cap. XXII.

De Procuratore Cleri.

PRocuratorem suo nomine ad prouinciale Concilium destinare poterit Clerus Ecclesiæ, quemcunque sibi opportunum atq; idoneum existimauerit, cui etiam ad necessarios sumptus pro negotijs gerendis Clerus ipse persoluat salariũ: sed imponendi, atque * exequendi salarij ratio ad Episcopum pertineat, qui & ijs, qui huic Synodo interfuerunt, cum legitimo mandato, & cæteris, qui posthac in alijs Concilijs Prouincialibus, & Synodialibus intererunt, distributione iusta per clerum facta, congruentia subsidia reddenda curabit. Concil. Constant. post. act.3.c.4. * seu. exigendi.

Cap. XXIII.

Testes Synodales esse deputandos.

VT ea quæ ad Ecclesiæ vtilitatem, & populi Christiani salutem Spiritu Sancto suggerẽte sancita sunt, primùm in Concilio generali, deinde in Synodo Prouinciali Concil. Lat. c. 6. sicut olim. Concil. Tolet. act.3.c.28.

ciali debitæ, & Deo acceptæ execucutioni tradantur, testes Synodales tam Metropolitanus, quam cæteri Episcopi in sua quisq; Diœcesi quãprimùm designent, quos nouerint viros probatos atque integros, qui futuro Concilio prouinciali rationẽ reddant de obseruatione salutarium Decretorum sacri Concilij Tridentini, nec non huius & superioris Synodi Prouincialis Limensis.

Cap. XXIV.

De publicandis & seruandis in quauis Diœcesi decretis huius Synodi.

Dist. 18. c. anni. & c. decernimus.

CVm sacris Canonibus constitutum sit, vt quæ in Prouinciali Synodo definita sunt, ea vnusquisq; Episcoporum in sua Diœcesi denuò publicanda, & ad omnium notitiam deferenda curet: siquidem ex Episcopi vnius propemodum diligentia vniuersi laboris exacti fructus & summa pendet: propterea hæc sancta Synodus cupiens laborem suum in Christo non esse inanem, districtè præcipit, & æterni iudicij obtestatione denuntiat Episcopis omnibus, atque eorum officialibus, vt tum in Cathedrali, tum in præcipuis Parochialibus suarũ Diœcesium Ecclesijs, decreta præsentis Synodi, & Superioris Limensis solemniter legi, & publicari faciant: Ac ne obliuioni per negligentiam tradantur, iubeat omnino saltem semel quotannis in Capitulis Cathedralium, & in frequenti Cleri, & populi conuentu recitari, ita vt vnusquisque quod ad se pertinet, possit facilè intelligere, ac recolere. Deinde Prouisores, Vicarios, Visitatores, cæterosq; Iudices Ecclesiasticos, quocunque huius Prouinciæ admonet sancta Synodus, vt secundum has constitutiones iudicare, & causas Ecclesiasticas definire, pœnasq; ac censuras in his appositas legitimas declarare teneantur. Neque in his quæ ad reformationem spectant, appellatione cuiusq; legitima exequutio suspendatur.

Concil. Later. cap. 7.

Concil. Triden. sess. 24. c. 10. Sess. 22. cap. 1. sess. 13. c. 1.

Cap. XXV.

Ad quem pertineat Sede Vacante publicatio huius Synodi.

NE per occasionem Sedium Vacantium, quæ in hac Prouincia per quam diuturnæ sunt, necessariæ reformationis executio negligatur, & dum futurus Antistes expectatur, obliuioni (vt hactenus factum est) decreta ipsa tradantur, præcipit sancta Synodus, vt is qui in Capitulo Sede vacante, in quauis Ecclesia pro tempore præsidet, teneatur intra mensem à die quo in eius notitiam venerint, huius Concilij, atque etiam superioris Limensis decreta omnia in Cathedrali templo, atque in alijs Diœcesis, pro vt ei videbitur Ecclesijs solemniter publicare, incursurus, si neglexerit facere, sententiam excommunicationis ipso facto. Cæteri verò de Capitulo, si ei in prædicta publicatione obstare præsumpserint, eo ipso Ecclesiastico subiaceant interdicto: Porrò Metropolitanus totius huius Synodi exempla correcta, & authẽtica ad Suffraganeas Ecclesias, quarum sedes scit ad præsens vacare, cum primùm poterit, commodè transmittenda curabit.

Placentnè vobis Reuerendissimi Patres hæc decreta?

Omnes responderunt: *Placent.*

Post Reuerendissimorum Chilensium de Concilij facultate discessum. Illustri admodum vero Christophoro Ramirez de Cartagena, qui post Pro-Regis obitum, quòd esset antiquissimus ex Regij Senatus Consiliarijs, Synodo semper adfuerat, curante & agente propter causas rationi valde consentaneus, visum est Synodo Prouinciali vltimam manum esse imponendam. Et quoniam controuersiæ quædam adhuc restabant, quæ non poterant ita cito finiri, his expediendis à Concilio deputati sunt iudices commissarij, iuxta Tridentinum Decretum, Reuerendissimi Tucumañ. & Plateñ, & del Rio de la Plata Episcopi.

Actionis 5. solemnitas. *Quinta verò eademq; vltima actio decreta est in diem Sancti Lucæ Euangelistæ sacram, quæ fuit Octobris decima octaua: in qua solemni processione præmissa, ac Pontificaliter celebrante Reuerendissimo Platensi Episcopo, & concionem habente admodum Reuerendo Patre Iosepho Acosta Societ. Iesu, eiusdem quintæ atque vltimæ actionis Decreta recitata sunt.*

ACTIO QVINTA

Celebrata in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Regum, die xviij. Octobris, Anno M. D. LXXXIII.

Cap. I.

Declaratio quorumdam capitum superioris Synodi.

QVia in secunda huius Synodi actione decreuimus Limense superius Concilium denuò publicari, atque ab omnibus integrè seruari debere, ne ex quibusdam illius capitulis errandi sumeretur occasio: visum est mentem huius Synodi in his quæ meritò posset ingerere scrupulum, explicare: De ijs igitur quæ contra hæreticos, aut hæresim sapiētes, statuta sunt, in eadem Synodo, cum nondum Apostolici inquisitores huc missi essent, declaramus ad sacræ Inquisitionis Tribunal (quod fidei Catholicæ validissimum propugnaculum est, atq; in his remotissimis regionibus summopere necessarium) omnem eam prouidentiam secundum edicta Apostolica (In sess. 2. c. 115 & 117.) penitus pertinere. Porrò quæ de extirpanda coca, seu vitandis in ea excolenda Indorum incommodis, (*Coca an extirpanda.*) ibidem exposita sunt: Catholicam Maiestatem oramus, vt cognita de ijs Patrum sententia, quid factum optimum sit, atq; ex re maximè Indorum pro singulari sua prudentia & fidei Christianæ ardore cōstituat. (Sess. 2. c. 124.)

Cap. II.

De Summario superioris Concilij.

PRæterea ne in transcribendis ac perlegendis tam multis superioris prædictæ Synodi paginis, Parochi, cæteriq; grauentur, quibus ex præcepto huius Synodi necessitas penes se illam tenendi incumbit. (Act. 2. c. 2. & act. 4. c. 24.) Placuit Summarium omnium constitutionum inibi contentarum fieri, quod à deputatis à nobis factum, atque à Reuerendissimo Metropolitano

rano approbatum, omnibus nostræ Prouinciæ Ecclesijs communicetur. Hoc ergo Summarium sic factum, & approbatum quicunq; habuerit, præcepto de tenenda ipsa Synodo, se abundè satisfecisse, hac nostra declaratione cognoscat.

Cap. III.
De Confessionario:

EOdem modo Confessionarium pro vtilitate Indorum ad pœnitentiæ sacramentum venientium conficiendum, & lingua Cuzquensi, atq; Aymarayca donandum, iuxta huius Synodi deputationem, ab eodem Reuerendissimo Metropolitano approbetur, & sic approbatum ex auctoritate huius Synodi, omnibus Indorum Parochis cum Catechismo tradatur, vt illo, prout expedire viderint, vtantur sacramenti pœnitentiæ ministri. Concil. Lima. sess. 3. c. 56.

Cap. IV.
Vt Indi Politicè viuere instituantur.

CVm vita Christiana & diuina quam fides Euangelica docet, exigat naturali ratione, atq; homine non indignam viuendi consuetudinem, cumq; secundum Apostolum, prius quod animale sit, deinde quod spirituale; illud vehemētèr Parochis omnibus, cæterisq; ad quos Indorum cura spectat commendandum duximus, vt imprimis dent operam sedulam, vt ferinis atque agrestibus moribus depositis, humanis ac politicis institutis Indi assuefiant. Cuius generis sunt, vt ad templa non sordidi atq; incompositi, sed loti, & pexi, & mundi veniant: vt fœminæ caput velamine aliquo iuxta Pauli Apostoli institutionem, tegant, vt domi mensas cibo, lectos somno capiendo adhibeat: vt domus ipsæ nō caulas pecudum, sed hominum habitationem, ordine, munditia, decore referant; ac si quæ sunt alia eiusmodi, quæ sanè non violento & molesto Imperio, sed paterna potiùs cura & grauitate peragantur.

1. Cor. 15. (beside "tudinem, cumq; secundum Apo-")

1. Cor. 11. (beside "aliquo iuxta Pauli Apostoli institu-")

Cap. V.
De Cultus Diuini cura.

POstremò quoniam Indorum nationem, externis ceremonijs, & diuini cultus splendore ad summi Dei cognitionem, & venerationem supramodum allici compertum est, curent studiosè Episcopi, ac pro suo modo etiam parochi, vt quidquid ad diuinum cultum pertinet, diligenter, & quanto fieri poterit decore peragatur. Atque in ijs musicæ etiam studium, tum in cantoribus instituendis, tum in musicis fistularum, cæterorumque instrumentorum, adhibendis, nullo modo prætermittant. Hæc verò eo ordine, & modo, atque in ijs locis statuant, Episcopi, quibus ad Dei gloriam, & animarum spirituale auxilium opportunum existimauerint.

Cap. VI.

OMnia autem, & singula huius Prouincialis Concilij decreta, Sanctæ Sedis Apostolicæ censuræ, & correctioni sint subiecta.

Placentnè vobis Reuerendissimi Patres hæc decreta?

Omnes responderunt, *Placent.*

Quibus omnibus cæterisq; ex vsu Romanæ Ecclesiæ absolutis, Illustrissimus Archiepiscopus clara voce pronunciauit, Reuerendissimi Patres, & Magnifici Procuratores, finitum est Concilium, ite in pace. Atque ità Synodo benedixit, & Deo actis gratijs discessum est.

His actionibus Concilij Prouincialis Limensis interfuere, & diffinientes subscripserunt sequentes Reuerendissimi.

IN prima quidem actione interfuerunt Illustrissimus Toribius Archiepiscopus de los Reyes, & Reuerendissimi Frater Antonius Episcopus Imperialis, Sebastianus Episcopus Cuzquensis, Frater Didacus Episcopus Sancti Iacobi Chilensis, Frater Alphonsus Episcopus del Rio de la Plata.

In secunda, & tertia actione interfuerunt; & diffinientes subscripserunt, Toribius, Archiepiscopus de los Reyes, Frater Antonius Episcopus Imperialis; Sebastianus Episcopus Cuzquensis; Frater Didacus Episcopus Sancti Iacobi Chilensis, Frater Franciscus Episcopus Tucuman, Alphonsus Episcopus Platensis, Frater Alphonsus Episcopus del Rio de la Plata.

In quarta actione interfuerunt, & diffinientes subscripserunt præfati omnes Reuerendissimi, præter Sebastianum Episcopum Cuzquẽsem, iam tunc vita functum.

In quinta, & vltima actione interfuerunt, & diffinientes subscripserunt ijdem, qui in proxima præter Fratrem Antonium Episcopum Imperialis, & Fratrẽ Didacum Episcopum Sancti Iacobi Chilensis, qui de facultate Concilij ad suas Ecclesias discesserunt: his etiam actionibus subscripserunt Secretarij Concilij ipsius Prouincialis.

APPROBATIONES:

Testimonia publicæ fidei exemplaris transumpti ex originali asseruato in Cartophilaceo Limensi.

Ego Licentiatus Batholomeus Menacho, prædicti Concilij Prouincialis Secretarius, fidem facio, quod hoc transumptum, viginti sex folijs retroscriptis contentum fideliter, & de verbo ad verbum, transcriptum est ex originali authentico, quod in Archiuio Sanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ Ciuitatis Regum seruatur, propria manu prædictorum Reuerendissimorum subscriptum, & cum eodem originali collatum, in omnibus, & per omnia concordat, in quorum fidem, proprio nomine subscripsi, & sigillo Illustrissimi Archiepiscopi muniui. Datum in Ciuitate Regum, die vigesima secunda Aprilis. Anno millesimo quingentesimo octuagesimo quarto.

Locus ✠ Sigilli. *El Licenciado Menacho Secretario.*

Dein-

Deindè in impresso Madritensi sequūtur lingua Hispanica,quæ hîc latinè reddita subijcimus.

Scribæ publici huius Ciuitatis Regum, qui hic nostris nominibus subscripsimus, fidem adhibemus, quod Licentiatus Menacho à quo subscriptum est hoc testimonium, fuerit Secretarius Concilij Prouincialis, quod celebratum est in hac dicta Ciuitate Regum anno præterito millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, & quod Actis, & testimonijs coram ipso actis, spectantibus ad dictum sanctum Concilium data fit, ac detur fides, & credulitas in iudicio, & extra, & in eius rei fidem subscripsimus in Ciuitate Regum vigesimo tertio Aprilis 1584.

Alphonsus de Valentia Scriba publicus.
Alphonsus Hernandez Scriba publicus.
Stephanus Perez Scriba publicus.

Testimonium transumpti M.S. Madriten.

Cum autem transumptum illud authenticum aduectum esset Matritum, aliud indè legitimè descriptum est, vt constat ex actu Notarij publici Matritensis, vt sequitur.

In Oppido Madritensi vigesima tertia die mensis Decembris millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, coram Doctore Ioanne Baptista Neroni Vicario generali dicti oppidi pro sua Illustrissima dominatione Cardinalis D. Gasparis de Quiroga Archiepiscopi Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ, Primatis Hispaniarum, Cancellarij Maioris Castellæ, Inquisitoris generalis Regnorum, ac Dominiorum Suæ Maiestatis, & Conciliarij Status eiusdem, & coram me Notario publico, & testibus infrascriptis præsentata fuit petitio cum quodam testimonio authentico Concilij Prouincialis, quod videtur celebratum fuisse in Cathedrali Ciuitatis Regum Prouinciæ Peruuianæ subscripto subscriptione quæ dicit. El Licenciado Menacho, *& sigillato quodam sigillo, & comprobato per quosdam Scribas publicos Ciuitatis Regum. Et tenor dictæ petitionis est, vt sequitur.*

Magister Dominicus de Almeyda nomine cleri Charcàrum qui est in Perù, dico quod mihi necessarium sit pro obseruatione iurium mearum partium vnum exemplar Concilij quod celebratum est in Ciuitate Regum, in modo quo faciat fidem: Gratiæ vestræ supplico vt iubeat præsenti Notario, vt id mihi det in forma publica,interponente ad id vestra gratia authoritatem suam, & iudiciale Decretum ad hoc vt valeat, & faciat fidem, tam in iudicio, quàm extrà, & ad id &c. peto iustitiam.

Magister Dominicus de Almeyda.

Et sic præsentata dicta petitione, & visa per dictum Vicarium generalem simul cum dicto testimonio dicti Concilij Prouincialis,quod est scriptum in charta, & in lingua latina, & quod per dictum instrumentum constat esse non ruptum, non cancellatum, nec in aliqua parte suspectum, dixit, & mandabat, & mandauit, quod extraheretur exemplar, quod per dictam petitionem petitur; pro effectu, qui

in

in illa declaratur; testes Franciscus de Ayala, & Franciscus Ortiz Actum coram me Ioanne Gutierrez Notario.

Ad cuius complementum ego Ioannes Gutierrez Notarius publicus, & Regius, & de numero Audientiæ Archiepiscopalis dicti Oppidi Madritensis feci extrahi exemplar dicti scripti, & testimonij dicti Concilij Prouincialis &c.

Ac deinceps in serta tenore Concilij in impresso Madritensi, non qui in Romano Archiuio, vel Madriti tunc extabat, sed alio post Romanam emẽdationem, & correctionem iudicio Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, & Sixti V. Pontificis authoritate exhibito, & adiuncto illo Secretarij Licentiati Menacho, & ipsum comprobantium Scribarum Ciuitatis Regum testimonio, prosequitur Notarius Madritensis Ioannes Gutierrez.

Et sic (inquit) *extracto illo exemplari modo quo dictum est, & viso per dictum Vicarium generalem, dixit, quod interponeret, & interposuit ad eius validationem suam authoritatem, & decretum iudiciale, quantum ius locum habet, & muniuit suo nomine, præsentibus testibus Francisco de Ayala, & Francisco Ortiz Notarijs, Doctor Neroni. Actum coram me Ioanne Gutierre Notario.*

El Doctor Neroni.

Ego Ioannes Gutierre Notarius publicus Apostolicus, & Regius, & ex numero Audientiæ Archiepiscopalis in Oppido Madritensi diœcesis Toletanæ feci extrahi dictum exemplar per mandatum dicti Vicarij qui hic subscripsit suum nomen, quod scriptum est in sexaginta tribus folijs, cum hoc quod fert meum signũ. In testimonium veritatis.

Locus ✠ signi. Ioann. Gutierre Notarius publicus.

Est benè, & fideliter transumptum exemplar ex suo originali, cum quo ego infrascriptus Notarius ipsum collationaui, & correxi, & cum emendationibus quas fert concordat benè, & fideliter, cum illo in sexaginta, & in vno folijs scriptis in toto, & in parte. In cuius fidem subscripsi Madriti decima nona die Ianuarij 1587.

Alfonsus de Serna Notarius.

Ego Gabriel Lopez de Cesar, publicus authoritate Apostolica, & Ordinaria Notarius, & Regiæ Capellæ suæ Catholicæ Maiestatis, & in Archiuio Romanæ Curiæ descriptus fidem adhibeo, quod Ioann. Gutierre, cuius manu scriptum & signatum est præsens transumptum, sit Notarius publicus authoritate Apostolica, & Regia, & audientiæ Archiepiscopali huius oppidi Madritensis, fidelis, & legalis in suo officio, & quod ipsius instrumentis, & Actis publicis huic similibus perpetuò data sit, ac detur integra fides in iudicio, & extrà: De quo præsentes dedi in dicto Oppido Madritensi. vigesimo sexto die Octobris 1587. & proindè feci hic meum signum rogatus, & requisitus. In testimonium veritatis.

Locus ✠ Signi. Gabriel Lopez de Cæsar Notarius.

Epi-

Epistola R.P. Iosephi à Costa Soc. Iesu Theologi, de isto Concilio Prouinciali Limensi, ad Illustrissimum D. Ferdinandum à Vega Regij Senatus Indici Præsidem.

Semper quidem, Illustriss. Domine, Prouincialia Concilia ab Ecclesia sancta magni æstimata sunt, sed tunc maximè celebrata, & plurimi vsus habita, cum religio Christiana in quauis Prouincia nouas radices agere inciperet; Quòd intelligerent Sancti Patres, maiores nostri, ad mores componendos, ad disciplinam Ecclesiasticam penitùs inducendam, ad comprimendas denique veteris superstitionis Reliquias, & vitæ liberioris licentiam coërcendam opus esse conuentu multorum Præsulum, qui sapientia autoritateque sua nouæ prouinciæ formam maximè congruentem constituerent; Id ità habere facilè perspiciet, qui Gallicana, & Germanica Concilia tempore Caroli, & Ludouici Imperatorum celebrata euoluerit. Toletana prima tempore Gothorum, Græcanica quoque Superiorum temporum, cum Ecclesiarum apud gentes illas fundamenta iacerentur. Itaque maiorum instituta, autoritatemque sequuti, qui Catholicæ inuictissimi Regis Philippi Maiestati in isto Senatu fuere à Consilijs, cum de rebus Indicis optimè stabiliendis agerent, illud imprimis curandum censuere, vt in nouis Indiarum Ecclesijs Prouinciales conuentus agerentur. Vbi de instructione Indorum de ecclesiastica disciplina retinenda, de populi emendandis moribus, pro ratione temporum, ac regionum quam fieri posset accuratissimè decerneretur. Idque Regijs litteris, atque edictis ad Episcopos, & Pro-Reges Indiarum sæpè, atque ardenter est actum, ac tandem aliquando perfectum. Atque in alijs quidem Metropolitanis Ecclesijs Synodi Prouinciales celebratæ sunt, Limam verò, hoc est in Regiam Ciuitatem ex Peruano Regno cum suo Metropolitano Episcopi octo conuenere, quorum vt sunt Diœceses amplæ, & valdè disiunctæ, ità non potuit esse aut exiguus labor, aut impensæ mediocres. Verùm causa ità meritò postulante, neque laboribus, neque tempori parcendum fuit. Nam quòd raro posse contingere congregationes suas Episcopi in tam vastis regionibus animaduerterent, tunc operam sibi omnem adhibendam existimarunt, per biennium propemodum laborantes, adiumentum quoque præbentibus viris in illa regione litteris, & experientia, & religione præstantibus. Itaque post diù multumque agitatas varias causas, edita sunt decreta maximè opportuna, omnium penè sapientium calculis probata, demùm promulgata, atq; exhibita. Sed vt est vbiq; morũ reformatio ingrata, à quibusdam de Clero tumultuatum est, querelæ aduersus Episcopos propositæ, appellationes demùm interpositæ. Concilij ipsa decreta in isto Regio Senatu cui præes, eorundem opera diù, ac diligenter inspecta, nihil inuentum quod aut ciuili administrationi esset oppositum, aut à Christiana, & Ecclesiastica cura alienum. Tantùm censuræ frequentiores, atque interdum rigidæ visæ fuerunt tantisper temperandæ, ne nimius zelus potiùs pietati obesset. Quarè Rege nostro pijssimo ex tua istiusque Collegij sententia sic statuente Concilium ipsum Romam delatum est, atque adeò à Sanctissimo Domino nostro Sixto V. postulatum, vt & comprobaretur, & aliqua ex parte corrigeretur. Itaque autoritate Summi Pontificis in Congregatione præclarissima Cardinalium Conciliorum causis cognoscendis deputatorum lecta, &

tractata

tractata sunt Decreta omnia huius Prouincialis Synodi; vbi etiam appellatores auditi, & tota res diligenter acta. Denique paucis quibusdam aut declaratis, aut immutatis, concilium ipsum probatum est, ac praeclarè commendatum, atque vt modis omnibus obseruetur, ab illa grauissima Congregatione praeceptum. Sed vt constaret Romae à tantis Patribus autoritate Pontificis maximi ita fuisse decretum, vt à Catholico Rege nostro postulatum fuerat, rursus Regio isti Senatui repraesentauimus Concilium ipsum authenticum, quod Tibi, vir Clarissime, collegisque tuis ità placuit, vt, quamuis reclamante adhuc appellatorum parte, nouo decreto statueris Peruanis Praesulibus, atque Pro-Regi de illius accurata obseruatione scribendum, & vt omnibus esset copia, statim Typis mandandum. Faxit Deus vt quae tanto labore parata, tanto etiam Consilio promissa sunt, pari diligentia ac studio suscipiantur, atque obseruentur. Rectè enim Paulus Roman. 2. *monet, nihil prodesse legem nisi illam obserues: quin potius grauioris iudicij reos constituere omnes, qui agnoscunt quidem agenda, sed agere praetermittunt; Tuam verò amplitudinem pro istius loci dignitate adniti decet, vt quae ad illarum regionum salutem benè ac maturè deliberata sunt, diligenter atque integrè executioni tradantur. Vale Madriti nono Kalendas Maias. Anno M.D. LXXXIX.*

Hæc de veteri illo, & originali exemplari Limensis Archiuij, eiusque binis transumptis authenticis. Nunc verò de recentiore Sac. Congregationis Illustrissimorum Cardinalium Sac. Concilij Tridentini Interpretum censura temperato, & Sixti V. Pontificis authoritate approbato, atque Philippi II. Catholici Regis desiderio iussuque Madriti impresso, & eiusdem Regis edicto de eodem Concilio executioni à suis in Peruuia Ministris mandando. Sed priusquam ad hæc descendamus, videndum est, quid in eodem veteri emendatum, correctum, vel mutatum sit, & in nouo aliter exhibitum ex eodem impresso Madritensi ijsdem verbis quibus impressa sunt exponendum.

De ijs quae in hoc Concilio Prouinciali à Sacra Congregatione Cardinalium authoritate Summi Pontificis detracta, aut emendata sunt.

NEmo Catholicus dubitat ad Romanum eundemq; Summum Pontificem pertinere acta, ac Decreta Prouincialium Synodorum recognoscere, atque vbi opus fuerit emendare. Nam pro suprema in Ecclesia Dei authoritate, quam à Christo Domino accepit, Spiritus sancti luce etiam copiosiore illustratur, vt quæ videnda sunt videat: cuius censuram approbationemque, aut correctionem, non modo Sancti Patres Ecclesiarum lumina, Athanasius, Augustinus, Hieronymus, cæterique tales, verùm concilia ipsa Prouincialia, & studiosissimè flagitarunt, & fidelissimè acceperunt. Quo exemplo in hoc Concilio Peruano à Sacra Congregatione Cardinalium iussu Sãctissimi Patris Sixti Quinti nonnulla mutata, emendataque sunt. Ex quibus quæ sunt præcipua subijciam.

Imprimis censuræ quædam in quibus excommunicatio ipso facto fere-

ferebatur; quòd videretur pœna rigidior, vel prorsus sublatæ sunt, vel in pœnas alias mitiores commutatę. Nam quæ in actione secunda Cap. 23. ferebatur aduersus fęminas cooperto vultu vias publicas inambulantes, siuè de fenestris prospicientes, dum processiones supplicationesuè fiunt, omninò sublata est.

Deindè quæ in actione tertia Cap. 9. aduersus clericum sine litteris dimissorijs ex vna Diœcesi in aliam commeantem, commutata est in pœnam pecuniariam arbitrio Episcopi.

Itemque in eadem actione; & capite eodem aduersus Vicarios, & Prouisores, & Iudices ecclesiasticos admittentes Clericum ex aliena diœcesi etiam ad Celebrandum sine litteris dimissorijs, eodem modo commutata est in pœnam pecuniariam arbitrio Episcopi.

Prętereà in eadem tertia actione, cap. 17. aduersus Clericum aleis, aut cartis pictis, aut alteri iure prohibito ludo vacantem, ferebatur sententia excommunicationis ipso facto, dummodo pretium duorum aureorum excederet in ludendo. Id temperatum est, vt pœnam excommunicationis Clericus non incurrat, nisi summam excedentem quinquaginta aureos lusetir.

In eadem actione cap. 18. ferebatur aduersus Clericum qui fœminã equitando ducit atergo, aut ambulando manu tenet, aut comitatur: Itemq; in ipsas fœminas tali ministerio Clericorum vtentes. Mutata est in pœnam arbitrariam Episcopo. Quin etiam, quod decretum habebat, etiam si mater esset aut soror, non esse fœminam à Clerico comitandam, quia nimium id visum est, correctũ est, vt exceptio potius fiat, nisi mater aut soror sit. Aequum enim censuerunt esse Patres grauissimi, vt matri aut sorori possit Clericus eiusmodi obsequium impendere.

Cap. 21. actionis eiusdem ferebatur excommunicatio in Clericum conducentem decimas per se, vel per interpositam personam: hæc prorsus sublata est. Quin potiùs quoniam Doctores nobiles sentiunt nõ esse contra ius Canonicum decimas Ecclesiarum à Clericis conduci, decretum ipsum ita emendatum est, vt solum habeat, leges sacras, quæ prohibent Clericos conductores fieri, esse ad vnguem obseruandas: nulla de decimarum conductione noua prohibitione facta.

Præter censuras iam dictas etiam moderari placuit, quod in secunda actione cap. 30. decretum erat, vt nullus ordinaretur ad titulum Domicilij iurati, nisi per triennium integrum verè, & realiter commoratus sit in ea Diœcesi: cuius loco positum est, Neminem sub prætextu domicilij esse ordinandum, nisi illud legitimè, quemadmodum ius statuit, contractum fuerit.

In capite etiam septimo actionis tertiæ habebatur, in causis criminalibus Clericorum neq; fiscalem, neq; Notarium laicum esse admittendũ, sed in sacris ordinibus constitutos esse debere, qui ijs officijs fungerentur. Id totum auferre placuit, quòd non vsque adeò iuri consentaneum visum est.

Capite 16. actionis quartæ, cùm ageretur de parochia non suscipienda sine Episcopi collatione, etiam

à regularibus, additum erat, regulares præter Ordinarij facultatem curam gerere parochiæ nullatenùs iura permittere, & matrimonia ab ijs copulata esse irrita & inualida, nisi Apostolico priuilegio fulcirētur, quod tamen nullum esse Episcopi iudicabant. Hoc totum detrahendum sacra Congregatio censuit, quòd noluerit de Priuilegijs Sedis Apostolicæ, quæ se regulares habere contendunt, definitam ferri sententiam. Quare causam hanc inter ordinarios & regulares pro neutra parte definitam reliquit: quod sanè prudentia sua, non ad alicuius omnino regularium instantiam egerunt Illustrissimi Cardinales.

Sunt etiam nonnullæ pœnæ pecuniariæ de quibusdam locis detractæ, quòd non videretur causa vsq; adeò vrgens, neq; ipsa frequentia mulctæ pecuniariæ valde esset vsitata in Canonicis decretis. Hæc atque alia minutiora nō erit opus indicare.

De ijs quæ Concilio addita sunt ab eadem sacra Congregatione.

IN actione prima professio fidei posita erat iuxta Conciliū Compostellanum Salmanticæ celebratū. Visum est sacræ Congregationi, potiùs ponendam esse, vel addendam eam formam professionis, quam Pius IV. inducit in Constitutione edita anno millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, cuius initiū est: *Iniunctum nobis*. Tum quòd ea forma commodior sit & plenior, tū quòd Apostolicæ & Romanæ Sedis, sicut fidem omnes vbique Ecclesias sequi oportet, ita professionis formam præferre deceat.

Actione 3. cap. 33. vbi de Sanctimonialium Bonis agitur, ad finem totius Decreti addidit Congregatio: Quòd si ex redditibus Monasterij vel ex consuetis eleemosynis tantū suppetat monialibus, vt ad ipsum victum, fabricam Ecclesiæ, aliasque necessitates commodè sufficiat, minimè licet alias recipere pacta certa eleemosyna pro dote: Secus si monialium numerus augeatur. Cur id addiderit in promptu est, quòd simoniacum iudicauerit, pro ingressu Monasterij de bonis pacisci: tantumq; id eleemosynæ accipere tutum sit, vbi Monasterium indiget. In quinta eademq; vltima actione breue Capitulū in fine addidit Congregatio in hac verba. Omnia autem & singula huius Prouincialis Concilij decreta sanctæ Sedis Apostolicæ censuræ & correctioni sint subiecta. Nam quod Archiepiscopus atq; Episcopi Comprouinciales per suas litteras Sanctissimo Domino nostro significarunt, de sua reuerentia & subiectione fidelissima erga Sedem Apostolicam, id quoq; aliquo decreto in ipso Concilio testandum fuit, quemadmodum solent Synodi non solum Prouinciales, sed etiam generales, atque œcumenicæ Summi Pontificis approbationē confirmationemq; postulare.

De ijs quæ reclamante Appellatorum parte, à sacra Congregatione Cardinalium, ex auctoritate Summi Pontificis in hoc Concilio rata habita, cōfirmataq; sunt.

QVamuis aliquot excommunicationis latæ censuras, sacræ Congregationi remouere placuerit, vt

vt est supra ostensum, non tamen omnes quæ in hoc Cōcilio Prouinciali decretæ sunt. Quin potius matura tractatione discussas, nonnullas relinquendas, vt erant, atq; approbandas iudicauit; quòd essent causæ magni ponderis, ob quas ferrentur. In quo genere sunt tres præcipuæ: Primum actione secunda cap.41.in eos qui Parrochiam Indorum sine assensu sui Antistitis deserunt, aut antè discedunt, quam successoribus rerum Ecclesiasticarum suæ curæ commissarum rationes reddant. Huius censuræ ratio idonea statim redditur in ipso textu Concilij. Nam & fraudes, inquit, in rebus Ecclesiæ non tolerandæ fiunt,& Christi oues facilè desertæ pereunt. Vtrumque damnum crebrò datum in illis tam vastis regionibus Præsules diuturna experientia abundè didicerunt.

In actione quarta cap.3. in Visitatores processus aliquos occultātes, aut iniqua collusione cū visitatis eorū crimina dissimulantes, aut ad ordinarium prædictas causas non integrè transmittentes. Sciunt experti illarum regionum visitatorum sæpe cupiditate & fraudibus visitationes non parum fuisse corruptas, vnde remedij nihil rebus Ecclesiasticis allatum sit, quin potiùs damni plurimum datū. Quam visitationis canonicæ perniciem amouere cupiens Synodus, statuit à visitatoribus causas criminales Parochorum cognosci quidem, sed definitiuam Episcopis reseruari. Ne verò aut processus occultarentur, aut corruptè transigerentur, excommunicationis latæ sententiam intentandam censuit, idque sacræ Congregationi etiam placuit.

Sed inter omnes huius Concilij censuras illa præcipua est, quæ in actione tertia cap.4. & 5. lata est in Clericos mercaturæ operam dantes. tum etiam in Parochos Indorum, qui per se vel etiam interpositam personam quamcunq; cum quibusuis Indis marcaturam exercere præsumunt, aut etiam pecora alere, aut agros colere, aut vehendis mercibus animalia tenere vel locare, aut ipsos Indos ad mineralia sibi curanda mittere, vel eorum operam locare, denique vel cum ipsis Indis negotiari, vel cum alijs per ipsos: Hoc sanè decreto grauiter pleriq; Parochorū offensi sunt, atq; ob hoc maximè appellarunt, & quantum licuit, vt tolleretur, egerunt: quòd videretur certè durum & acerbum, atq; clericorum fortunis iniquum, tum etiam conscientijs periculosum, cum sit id tam vsitatum in illis locis, vt nihil magis. Verùm vt hæc censura præ omnibus vna grauior fuit, ita hac dempta, cætera omnia in hoc Concilio Prouinciali prouisa, nullius pene esse pretij & vsus, omnes rectè sapientes censuere. Igitur causa hæc, parte appellatorum instante, in Regio Senatu Indico diligenter discussa est: Sed cum constaret Regijs Edictis etiam cautum esse, vt Parochorum negotiationibus, quòd esseat, Ecclesiæ Indicanæ certa pernicies, Episcopi omnibus modis occurrerent, rectè esse positam censuram Senatus iudicauit. Inuictissimus quoque atq; Catholicus Rex Philippus per Legatum suum, siue Oratorem Romæ agentem Pontifici maximo suggerendum putauit, vt censura quæ in Parochos Indorū negotiantes lata fuerat à Synodo Prouinciali,

nullo modo tolleretur, quin potius Sedis Apostolicæ auctoritate confirmaretur, Romæ post multam controuersiam, atq; vtriusq; partis allegationes auditas, tandem est definitum, decretum Concilij cum sua cēsura manere debere. Inducta est sacra Congregatio in eam sententiam ijsdem rationibus quibus Episcopi impulsi sunt. Primum quòd negotiationes Parochorum magno scandalo Indis, atque Euangelio ipsi grauissimo impedimento sint. Quòd putent Indi religionem Christianam esse venalem, & nihil aliud Euangelij ministros, quàm quæstum agere: Deinde præter modum occupantur & destinentur Indi in ijs temporalibus Sacerdotum lucris, & multum sæpè grauiterq; vexantur. Tertio vitia primorum inter Indos quos illic *caciços* aut *curacas* vocant, facilè dissimulantur, adulteria, inquam ebrietates, superstitiones, Idolatriæ, dum ad hæc Parochi conniuent, vt ad sua lucra operam Indorum prōptam habeant. Quarto ipsi Sacerdotes in ijs occupati sæpe confessiones maiorum etiam ægrotantium, Baptismum paruulorum, Catechesim, cæteraq; officia prætermittunt, aut negligenter exercent. Quinto iniquæ fraudes hac occasione nectūtur, dum Indi suis Parochis obsequium præstare volentes, merces aut emunt, aut distrahunt, quoquo precio Parochis libet. Deniq; tota res sordida est, & Christi ministro indignissima, dum parœciæ non ob aliud ambiuntur, atq; curantur, quā vt mercibus & lucro augeantur Clerici. Quæ profectò omnia sic se habere, nemo dubitabit, qui sit rerum Indicarum vel tenuiter peritus. Quare omnium sapientium vox fuit, Nihil in Concilio proficere posse Patres, nisi negotiationem à Neophytorum præpositis omnibus modis excluderent. Et pœnas quidem pecuniarias ad id nihil prodesse, longa experientia compertum est, eti fuerint superioribus Synodis satis magnæ propositæ. Visitationes quoq; in ea re parum, vel nihil potius efficere certum est, quod vel occultentur, vel dissimulenter, vel certè non emendentur negotiatorum crimina. Ergo vnum illud remedium restare visum est si idem esset & reus, & iudex futurus sui, quod in excommunicationis latæ sententiæ pœna fit. Neq; admodum timendum est, ne irregulares Parrochi fiant, aut enim censuram timentes abstinebūt, quod pleriq; facient, aut si nec sic quidem abstinuerint, se & apud Deum & apud homines nihil aliud quam mãmonæ seruos declarabunt. Neque verò eēsenda est tanta acerbitas huius decreti, si recolas à Gelasio Primo ob similem negotiationis culpā clericos deponi iussos, vt constat. 88. dist. cap. Consequens, & Alexandro Tertio anathemate percuti Clericū aut Monachum, mercaturam aut negotiationem eiusmodi exercentē, cap. 2. instituta. extra. Ne Clerici vel Monachi. Nam quod quidam inopiam prætexunt, apertus est dolus, cum Paræciæ Indicanæ habeant redditus, non solum sufficientes, sed etiam copiosos. Nihil etiam aliud quærunt, qui ista prætexunt, quam breui ad eas opes peruenire, quibus aucti & Indorum curam abijciant, & ad suos locupletes reuertantur: Adhibita est nihilominus à Congregatione illa moderatio, vt possit Parochus

rochus victui necessaria pecora alere: Id enim nullo modo negotiationis nomine debet intelligi.

Relictæ quoq; sunt quædam aliæ censuræ, sed quæ vix quicquam curæ afferant, quòd in eas rarus sit qui incidere soleat.

Postremo actionis secũdæ decretum vltimum de Collegio Seminario instituendo, & de contributione facienda, reclamante quoque appellatorum procuratore, confirmatum est, propterea quòd Concilij Tridentini institutum nusquam æque necessarium sit, atq; in nouis Indorum Ecclesijs, quæ ministrorum & numero, & facultate magnopere indigent.

Aptatam per hunc modum formam actionum huius Concilij Prouincialis Limensis Apostolica Sedes approbauit, & Philippus Rex gratissimam ac desideratissimam huic prælo tradi iussit, & perpetuæ executioni, de quibus extant in ipsa impressione Regis iussu facta, quæ hic sequuntur documenta.

Testimonium Secretarij sanctæ Congregationis, Illustrissimum Interpretum S. Concilij Tridentini, de approbatione Concilij Prouincialis Limensis ab eadem S. Congregatione emendati & aptati ex authoritate Sanctissimi.

DE mandato Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Cardinalis Carafa, fidem facio, & attestor Ego Laurentius Frizolius, Synodum Prouincialem à Reuerendissimo Archiepiscopo Ciuitatis Regum cum suis Comprouincialibus Episcopis, anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, celebratam à sacra Congregatione Cardinalium Concilio Tridentino interpretando, auctoritate Sanctissimi Domini nostri præpositorum, emendatam, atq; aptatam fuisse: Eiusq; Synodi originale apud ipsam Congregationem remansisse, cum quo præsens Synodus hoc libro chartarum vnius & sexaginta, quarum prima incipit, En la Villa de Madrid, vltima verò incipit, Su nombre, & desinit Gabriel Lopez de Cesar, Notarius. Locus † signi. Descripta & collata in omnibus, & per omnia concordat. In quorum fidem hæc propria manu scripsi, & subscripsi, Sigillumque quo in litteris Congregationis prædicta obsignandis vtor, apposui. Romæ die vltima Octobris M. D. LXXXVIII.

Ego Laurentius Frizolius S. Congregationis antedictæ Secretarius de Mandato, manu propria.

Epistola Illustris. A. Card. Carafa ad Archiepiscopum de eodem.

Domino Archiepiscopo Ciuitatis Regum.

REuerendissime Domine vti frater, Synodum Prouincialem ab Amplitudine tua istic anno M. D. LXXXIII. celebratam, & ad Sanctissimum Domi-

Dominum nostrum postea missam, Illustrissimi Cardinales Concilio Tridentino interpretando præpositi, ex suo munere, eiusq; sanctitatis iussu diligenter perlegerunt, ex eaque amplitudinis tuæ pietatem, & quod inde elucet, in Catholicam Religionem & sanctam Sedem Apostolicam studium perspexerunt. Nunc Synodum prædictam ad amplitudinem tuam remittunt, vbi visum fuit, emendatam, atq; aptatam, vt eo modo quo illam acceperit, edendam, & pro istorum populorum salute, atque Ecclesiasticæ disciplinæ conseruatione omnino curet obseruandam. Si quid autem erit, in quo Congregationis summa erga eam voluntas in spirituali administratione istius Prouinciæ latissimo locorum internallo à nobis disiunctæ, charitate autem coniunctissimæ adiumento esse possit, sciat amplitudo tua, se eius opera summa cum fiducia vti posse. Quod si fecerit, intelliget, quo membra ista sunt à capite remotiora, eo nos semper fore ad ea fouenda paratiores. Et nisi nobis tua in isto Pastorali officio prudentia, & assiduitas satis perspectæ essent, istum tibi nouum gregem multa cura indigentem, pluribus verbis commendaremus; quod tamen breui facimus, non quia opus esse existimemus, sed vt nostrum erga recentes istos veræ fidei & religionis alumnos studium & charitatem ostendamus. Quod superest, Deo gratias agimus, qui voluerit in istas regiones Regnum & nomen suũ post multa secula propagari, eumq; suppliciter rogamus, vt pergat istas nationes quotidie magis diuinæ lucis suæ radijs illustrare. Amplitudiniq; tuæ vires subministret, quibus sibi imposito graui quidẽ & laborioso oneri sustinendo sufficere possit; omniaq; illi insuper prospera concedere, gratiaq; suæ donis eam cumulare dignetur. Romæ die vigesimo sexto Octobris M. D. LXXXVIII.

Amplitudinis tuæ Reuerendissimæ

Vti Fr. Studiosus A. Card. Carafa.

De impresso Madritensi.

Licentia Regis ad impressionem Madritensem eiusdem Concilij Limensis.

D. *Philippus Dei gratia Rex Castillæ, Legionis, Aragoniæ, vtriusq; Siciliæ, Ierosolymæ, Portugalliæ, Nauarræ, Granati, Toleti, Valentiæ, Galiciæ, Maiorciæ, Hispalis, Sardiniæ, Corduba, Corsicæ, Murciæ, Gebennæ, Dominus Biscayæ & Molinæ, &c. Quandoquidem ex parte vestra Ioannes Sanchez impressor librorum, incola huius oppidi Madritensis, relatio nobis facta sit, quòd velis imprimere vnum librum intitulatum Concilium Prouinciale Limense, quòd cum nostra licentia multis vicibus impressum fuisset, & quòd sit liber valde necessarius, & quòd illo multum indigeatur, petijstis à nobis & supplicastis, vt iuberemus dari vobis licentiam & facultatem ad imprimendum illum pro vna vice, & vt nostra gratia foret. Qui cum per nostrum Consiliũ visus fuit, & conuentum, quod debeamus iubere dari vobis nostram chartam ad illum effectum, & nos id boni consuluimus. Quapropter licentiam & facultatem vobis concedimus ad hoc, vt hac vice possis imprimere & vendere dictum librum*

librum, cuius mentio superius facta est, iuxta ipsius originale, quod in nostro Consilio visum fuit, quodq; rubricatum & in fine subscriptum est à Ioanne Aluarez del Marmol nostro Scriba Camerali eorum qui in Concilio nostro residens, & quòd antequam vendatur, ipsum feras ad ipsos simul cum suo originali, vt videatur, an illa impressio sit conformis illi, vel producas fidem in publica forma, qualiter per Correctorem per nos nominatum illa impressio visa & correcta fuerit, iuxta dictum Originale, *& vt vobis taxetur pretium, pro quo vendendus sit, sub pœna cadendi, & incurrendi in pœnas contentas in legibus, & pragmaticis, quæ desuper disponunt: de quo dari iubemus ac damus hanc nostram chartam sigillatam nostro sigillo & expeditam per nostrum Consiliū in* Oppido *Madritensi die decima nona mensis Iunij anno* 1614.

Marchio de Valle.
Licentiatus. Pet. de Tapia.
Licentiatus. Ludouicus de Salzedo.
Licentiatus. Melchior de Molina.
Licentiatus. Ioannes de Frias.

Ego Ioann. Aluarez del Marmol Scriba Cameralis Domini nostri Regis, de suo mandato scribi feci ex consensu ipsius Consiliariorum.
Registrata. *Georgius de Olaal de Vergara maior Cancellarius.*

Georgius de Olaal de Vergara.

Fides impreßionis Madritensis huius Concilij, quam vulgo vocant, Fè de erratas.

Librum hunc nomine, Concilium Limense vidi, & cum suo Archietypo contuli, quòd sacræ Cæsareæ Maiestatis Senatus, idemq; grauissimus approbauit, & eorum qui typis excusi sunt, exemplar esse voluit, omniaq; in eo sunt adeò verè & fideliter impressa, vt nihil notatu in eo dignum inuenerim, quod non correspondeat suo exemplari. Datum Madriti die decima sexta mensis Augusti, Anni 1614.

Licentiatus Murcia de la Llana.

Taxa iuxta Chartam Regiam supra descriptam.

Ego Ioannes *Aluarez del Marmol Scriba Cameræ Suæ Maiestatis, eorum qui resident in suo Regio Senatu, fidem adhibeo, quod cum per Dominos eiusdem Regij Senatus Assessores visus fuerit liber, qui cum eiusdem Senatus assensu impressus fuit per Ioann. Sanchez impressorem librorū, incolam huius Oppidi Madritensis, inscriptus, Concilium Prouinciale Limense, taxauerint singulas phileras dicti libri ad pretium quatuor marauedinorum, qui videtur continere viginti sex phileras, quæ ex dicto calculo ascendunt ad centum & quatuor marauedinos. Et dicto pretio, nec pluris ipsum vendi iusserunt. Et quod hæc taxa ponatur in principio*

cipio

cipio cuiusq; dictorum librorum, & vt id constet, dedi hanc fidem in Oppido Madritensi, vigesima die mensis Augusti anni 1614.

Ioann. Aluarez del Marmol.

Edictum Regium executoriale Concilij Prouincialis Limensis.

REX:

MI Pro-Rex, Præsidentes, & Auditores mearum Audientiarum Regiarum in Prouincijs Peruuiæ, & mei Gubernatores & Prætores districtuū dictarum Audientiarum, cuilibet in sua iurisdictione. Concilium Prouinciale, quod iuxta Decretum Concilij Tridentini celebratum est in Ciuitate Regum istarum Prouinciarum, anno iam præterito 1583. *in quo diuersa Decreta sancita sunt, quæ ad reformationem cleri, ac status Ecclesiastici, instructionem Indorum, administrationemq; Sacramentorum pertinent, in Archiepiscopatu dictæ Ciuitatis Regum, & in ipsius Episcopatibus Suffraganeis, visum est in meo Senatu Indiarum, & meo iussu latum est, vt præsentetur coram sua Sanctitate, vt ipsum videri & approbari iuberet: & postquam suæ Sanctitati allatum fuit, bene ipsi placuit, ipsum approbare, & confirmare, pracipiendo, quod dicta Decreta dicti Concilij manderentur executioni in forma & modo quæ percipietis ex originalibus & exemplaribus, quæ meo iussu in mea Curia impressa sunt. Quæ omnia denuò visa sunt in dicto meo Senatu, & ad illas Prouincias deferuntur. Et quandoquidem dictum Concilium & eius Decreta tam prudenti examine facta & ordinata sint, & sua Sanctitas iubeat, quod compleantur, & executioni mandentur: Ego vobis omnibus, & vestrum singulis mando, vt dictum est; quòd, vt sic fiat, detis ac dari faciatis omnem fauorem, & auxilium quæ conueniant, & necessaria sint, & quod contra id nec vllam eius partem modo vllo eatis vel transgrediamini. Et iniungo admodum Reuerendo in Christo Patri Archiepiscopo dictæ Ciuitatis Regum, & Reuerendis in Christo Patribus Episcopis ipsius Suffraganeis comprehensis in dicto Concilio Prouinciali, quòd de nouo faciant publicari in suis Ecclesijs, quisq. in suo districtu decreta dicti Concilij & compleant, & compleri inuiolabiliter faciant, quod in illis dispositum & ordinatum est, vt in ipsis continetur, & Sanctitas Sua ordinat & mandat absque vllius rei alteratione vel mutatione. Actum in S. Laurentij* 18. *Septembris, anni* 1591.

Ego Rex.

De mandato Regis D. N.
Ioannes de Ybarra.

Ex his habemus sacrum hoc Concilium Prouinciale Limense iuxta Oecumenici Concilij Tridentini decreta, matura deliberatione ritè celebratum,

tum, Sixti V. Pontificis authoritate S. Congregationis districto examine visum, & paucis locis mutatum ad mitigationem pœnarum, quas bonus zelus illorum Patrum Limæ conuenientium transgressoribus inflixit. Deinde per Sedem Apostolicam approbatū, & Catholici Regis Philippi (post exactum, iudicioq; contestatum Senatus Regij scrutinium) non assensu tantum, sed & optatu typis excusum, & mandato promulgatum, perpetuæq; executioni demandatum fuisse.

Notæ in Concilium Prouinciale Anni M.D.LXXXIII.

IN titulo * *Primum*. Non absolutè primum Limanum, sed primum à Sede Apostolica approbatum, & primum celebratum à Toribio, cuius solius monumenta hic proferimus. Erat enim ante hoc Concilium alia quędam Congregatio Prouincialis, anno 1552. per Loaysam Archiep. non Conciliario ritu coacta, quā tamen primum Limēse Concilium aliqui vocant, Et aliud deindè Concilium ab eodem, anno 1567. legitimè quidem congregatum, sed quod Summi Pontificis confirmatione caruit; de quorum vtriusque vi, & authoritate vide Act. 2. huius Concilij anni 1583. cap. 1. vbi primum illud prorsus annullatum est, secundum ab hoc ipso Toribij Concilio, & Apostolica eius approbatione, quamcunque habet, authoritatem accepit, de quo etiam Act. 5. cap. 1. & 2.

Act. 1. [a] *D. Toribio Alfonso Mogrouejo*. Sacris Constitutionibus non parùm adfert ponderis, & venerationis doctrina, & probitas vitæ conditorum, qui eisdem definientes subscribunt. Omnium autem, quæ hoc volumine congessimus, præcipuus author, & Synodorum omnium Præses erat Toribius, cuius zelum, & prudentiam, sapientiam, & sanctitatem copiosè describunt, qui vitam eius conscripserunt. Hispanicè primùm Licentiatus D. Anton. de Leon Pinellus, supremi Senatus Indiarum, & earundem Cameræ Relator, seù Referendarius, anno 1653. Madriti impressam in 4. Italicè D. Michaël Angelus Lapius, in Romana Curia Subpromotor Fidei, Vir doctus, & noster amicus, Romæ in 4. anno 1655. Sed & alia amplior eodem idiomate nunc apparatur. Latinè autem breuiter Fr. Franciscus à S. Augustino Macedo, Ordinis Minorum, Lector Iubilatus, & in Academia Patauina Publ. Professor. prodijt in 4. Patauij anno 1670. Sed omnium fusissimè etiam latinè P. Mag. Cyprianus de Herrera Ord. S. August. S.T. Doctor Limensis, & ibidem Sacræ Inquisitionis Qualificator. Romæ in folio 1670. Omnia studio Perillustris, & Religiosissimi Viri D. Ioannis Francisci à Valliadolid, Cathedralis Ecclesię Limēsis Canonici, & Canonizationis Toribij in Romana Curia Postulatoris, cuius pietas, & propria in Seruū Dei nostra deuotio nos quoq; in pręsētē laborē impulit. Præter duo Poëmata Heroica ex Pinello à nobis descripta, quibus D. Petrus Villagomez, nuper Archiepiscopus Limanus, & D. Ildefonsus Vasquius de Prada, Collegij Maioris Sancti Saluatoris Ouetensis, Salmantinæ Vniuersitatis Togatus Toribij vitam, & virtutes egregiè cecinerunt. Ex quibus omnibus Nos breue Serui Dei elogium supra descripsimus cap. 10. nostræ præfationis historiæ. Extant prætereà ad solemnem eius apotheosim legitima monumenta, quos processus vocant, Romani Pontificis authoritate confecta. Quibus, quoad virtutes attinet, ritè perpensis, exijt è Congreg. SS. Rituum, sequens eius virtutum approbatio.

Limana, seu Ciuitatis Regum.

Beatificationis & canonizationis Ven. Serui Dei Toribij Alfonsi Mogtobesij Archiepiscopi Limani.

Proposito dubio in Congregatione generali Sac. Rituum habita coram Sanctissimo D. N. per Eminentiss. D. Card. Chisium Ponentem causa dicti Ven. Serui Dei Toribij Alphons. Mogrobesij Archiepiscopi Limani; An constet de virtutibus Theologalibus Fidei, Spei, & Charitatis; cardinalibus, Prudentiæ, Iustitiæ, Fortitudinis, & Temperantiæ in casu, & ad effectum de quo agitur. Eadem Sac. Congregatio vnanimi voto declarauit, constare de praedictis virtutibus in gradu heroico. Hoc die 8. *Martij* 1672.

F.M.Episc.Portuen.Card.Brancatius.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congreg. Secret.

Act. 1.[b] *Fr. Antonio à S. Michaële*. Hic erat natione Hispanus, & Fr. Ord. Minorum, clarissimus Verbi Dei apud Peruuianos Concionator, ac Prouinciæ Limensis duodecim Apostolorum Prouincialis Minister. Anno 1563. creatus est Episcopus Ciuitatis Imperialis in Regno Chilensi, datis Romæ Bullis eodem anno, X. Calen. Aprilis. Huic deindè Prouinciali Concilio Limensi vigesimo pòst anno interfuit, & præter alios labores eidem impensos, in prima, tertia, & quarta eius Act. publica sermonem ad Côciliarios habuit, & in quarta summum etiam decantauit sacrum. Finita verò hac Actione ipse simul cum Fr. Didaco S. Iacobi Chilensis Episcopo, de quo infrà, ex facultate Concilij ad suas Diœceses reuersi sunt. Antonius Episcopatum apud Philippum Regem abdicare studuit, rogans, vt ad pristinam cœnobij cellam ei redire liceret, mortem cum religiosis consodalibus meditaturo. Sed prudens Rex viri dotes, & pastoralis officij per eius absentiam detrimenta, per alios apprimè doctus assentiri noluit: quin potiùs maioris Ecclesiæ Quitensis curam illi iniunxit. Qua dolenter suscepta, cum se ad migrandum pararet, ad meliorem Ecclesiam, vt piè creditur, In Cœlum abijt, relicto Peruuianis magno sui desiderio, cum doctrinæ morumque sanctimoniæ, & miraculorum fama, vti de eo scribit in historia illius Prouinciæ apud me M.S. Fr. Didacus à Cordoua eiusdem Prouinciæ perpetuus Pater, Chronographus, & publicus anthoritate Apostolica Notarius.

Act. 1.[c] *Sebastiano Lartaun*. Quid iste in Episcopatu suo, & sacra hac Synodo fecerit, docebunt Ant. de Leone cap.6. Lapius cap.5.& Herrera cap. 11. in vita D. Toribij. Obijt celeri morte Sebastianus sub ipso Concilio Limæ, 9. Octobris 1583. quinque diebus ante quartam Actionem.

Act. 1.[d] *Didaco de Medelin*. Hic etiam ex Ord. Minorum assumptus, natus est in Bethuria Prouincia Hispaniæ, vulgò Estremadura, in Oppido Medelin, vnde sumpsit Cognomen. posteà factus Minorita verbum Dei inter Peruuianos prædicando, cælesti spiritu, & virtutum insignijs claruit, & illius Prouinciæ Limensis Prouincialis Minister fuit circa annum Christi 1568. Et anno 1574. factus est Episcopus Ciuitatis S. Iacobi Chilensis, datis Romæ Bullis 14. Cal. Iunij. Cumq; Ecclesiam cum laude rexisset, anno demùm circitèr 1593. in sua Ciuitate obijt, & in Ecclesia Cathedrali honorificè sepultus est cum singularis vitæ probitatis opinione.

Act. 1.[e] *Fr. Alphonso Guerra*. In ordine Prædicatorum, vitæ præstantia, morum candore, atque doctrina spectabilis, ad Paraguayanum prius Episcopatum assumptus, deindè ad Machanum translatus est, vbi per annos sex cum laude præfuit, ac tandem in pace quieuit. Dum ad Ecclesiam Paraguaynam, quæ tunc veniebat titulo Fluminis Argenti, Antistes sacrandus erat, per quatuor Annos Limæ hæsit ex defectu sumptuum ad consecrationem & reliqua necessariorũ, & quatuor diebus ante inchoatum Concilium, Prorege sumptuum subsidium ministrante,

con-

consecratus est per manus D. Fr. Francisci à Victoria eiusdem ordinis Episcopi Tucumanensis: tàm pauper in media Peruuia fuit hic bonus Religiosus.

Act.1. [f] *Petrus Penna*. Is etiam etsi hoc loco Fr. titulo, vt fieri solet, non sit insignitus, erat tamen religiosus eiusdem ordinis Prædicatorum, cuius hunc reperio characterem: Fr. Petrus de la Penna ex Episcopo Verapacis trãsijt ad Episcopatum Quitensem, primusque hanc rexit Ecclesiam; cumque litterarum, & artium bonarum peritia, magna sanctitatis fama, & diligens circa Ecclesiam commissam sedulitas, in vita, & post mortem fecere conspicuum.

Act.1. [g] *Fr. Franciscus Victoria*. Hic erat eiusdem ordinis Prædicatorum egregius verbi Dei Præco, qui in Præsulatu Tucumanensi meritis, & virtutibus illuxisse, & Ecclesiam suam optimè gubernasse, in eaque obijsse scribitur. Quid porrò in Concilio fecerit, referunt Authores ad Sebastianum Cusquen. superius adscripti.

Act.1. [h] *Alphonsus Granero de Aualos*. Hic à Ciuitate Plata, seu Argentina, quam Paulus V. Archiepiscopalem posteà fecit, Episcopus Platensis hoc loco vocatur, sed alias à nomine Prouinciæ dicitur Episcopus Charcarum, vulgò *de las Charcas*, vt proindè de ipso intelligenda sint, quæ Ant. à Leone, Lapius, & Herrera, ad Sebastiani Cusquensis nomen supra citati referunt; & Epistola, seù schedula Philippi Regis, de rebus in hoc Concilio gestis ad Tucumanensem, & Charcarum Episcopos scripta, quam Herrera integram in Toribij Archiepiscopi commendationem profert.

Atque hi septem Episcopi, non obstantibus distantia, & periculis, quæ in præfationis nostræ cap.8. & eius notis indicauimus, isti Concilio interfuerunt, ac eius decretis definientes respectiuè subscripserunt. Alij verò tres Papayanus, Panamensis, & Nicaraguanus non venerunt, vel,(inquit Ant. de Leone,) quia sedes tunc vacabant, vel propter eorum distantiam à loco Concilij.

Act.1. [i] *Controuersijs componendis*. Harum controuersiarum præcipua, & solemnis fuit cum quodam Episcopo Suffraganeo, qui à subditis suis presbyteris de quibusdam excessibus accusatus seipsum ab Archiepiscopi iustitiæ, & ecclesiasticæ disciplinæ prudenti zelo, repetundarum vi, & multarum manuum violentia defendere voluit, & impedire ne quidem ad Sedem Apostolicam causa deuolueretur: de quo legendi Toribij vitæ Scriptores. Pinellus cap.6.§. *Huuo en este Concilio algunas controuersias*. pag.84. & seqq. & ex eo Michaël Angelus Lapius cap. 5. §. *Hebbe l'Archiuescouo solamente &c.* pag.42. Cyprianus de Herrera cap. 11. §. *In hoc primo Concilio*, pag.35. Franciscus Macedo cap. 16. Quos lector integræ rei curiosus legere poterit: discetque contrà Sanctos, & integræ virtutis viros frustrà pugnari; nec, si tacuerint, contemnendos esse, eo namque maior vindex adest Deus.

Act.2. cap.11. [a] *Christianis assuetanomina*. Optima ratio redditur, nè Christianum nomen minimè præferentes Christianos, aut Baptizatos esse dubitati possit, & baptismus sacrilegè iterati. Sed & ipsi Deo, & Christo in vtroque testamento, magna nominum ratio habita fuit, cum & Abrahæ, & Sarai, & Israel, & Iesu, & Mariæ, & Ioanni, & Cephæ, & multis alijs nomina ipsi imposuerint, quod sanctum aliquod vel mysterium, vel ministerium designarent. Vnde Alcuinus ser. de Natiuit Virg. *Sciendum est*, inquit, *quia horum nomina allegorici, & moralis sensus pleniter in se contineant intellectus*: & iterum: *Igitur per hos Patriarchas Christus Dominus Deus noster veniens in mundũ, horum omnium in se allegoricè gessit officium, & in eorum nominum interpretatione nostram salutem designauit*. Rectè igitur hic præscriptum est, vt Christiana Baptizatis nomina in vsu essent; non solùm, ob rationem in textu positam, sed simul etiam, vt perpetua monumẽta sint obligationis, & fidei in baptismo susceptorum, atque etiam virtutis, & pietatis Sanctorum, à quibus priùs gesta sunt. vt audito nomine illos imitari conemur, & excitemur pudore nominis, cuius re significata careamus.

Ibidem.[b] *Cognomina verò.* Propria quidem nomina hominibus, & rebus ab origine creationis indita sunt. Nam primi homines Adam & Eua vocabantur, ac cæteri deindè sua nomina sortiti sunt. Deus etiam omnia animantia Adæ adduxit, vt vocaret ea nominibus suis. Cognomina verò non item: quoniam neque in sacris literis, neque in vetustissimis Gentium historijs, nisi rarò admodum, & singularibus personis ex aliquo accidenti adiecta reperiuntur, quæ ad eorum posteros tanquam gentilitia non transibant. Romanis equidem in vsu fuisse constat, quæ cum suis originibus peculiari libro explicat Panuinus, alijque. Ab his ad Hispanos multa deriuata fuisse scribit L. Marinæus lib.4. rerum Hispaniæ. Sic etiam ad Germanos, & Gallos, aliasque Nationes, quas Romani subigebant, docent earum Scriptores, quanquam, & indigena multa nunc vbique sint, sed post Romanorum expeditiones vt plurimum adinuenta. Septentrionalibus Populis Baltici maior accolis recentissima sunt. Nam, vt docet O. Wexeonius lib. 8. rerum Suecicarum cap. 7. *Antiqui illi solo nomine proprio contenti, addito saltem, cuius filius quis esset, nullam stematis, seù insignium mentionem faciebant: Nostro autem æuo* (inquit author fortè adhuc viuens) *cognominibus ex ipsis insignibus desumptis nobiles frequentius vtuntur.* Recentioribus etiam Scotis, seù Albanis, recens hoc inuentum esse, Hector Boëtius ipsorum Historiographus lib.12. narrat, *Eduuardi*, inquiens, *Anglorum Regis auxilio Malcholmus Scotorum Regnum caso Maccabæo recuperauit anno salutis* 1061. *Fursair generale edixit: vbi primores Regni, qui partibus suis adhæserant, quorumque Patres à Maccabæo fuerant occisi, amplis donauit præmijs agrisque, ac magistratibus redditis pristinam ipsorum, ac Parentum restituit dignitatem: volens, vt quod ante non fuerat, aliarum more gentium à prædijs suis cognomina caperent.* Sed huius Concilij Limensis decreto similior est veterum Scotorum, seù Hibernorum cognominum origo, quam in Cambrensi euerso, cap.28.pag.274. narrat libri eruditissimus author Gratianus Lucius his verbis: *Ante Brianum Borrumbium* (Bernardum Borromæum) *Regem anno Domini* 1014 *in acie cæsum, rebus gestis, & virtute clarissimum, ac proindè in Martyrologium Anglicanum relatum, in Hibernia moribus ità comparatum erat, vt præcognomine Patris tantummodo nomen quivis retulerit. Quam Consuetudinem plurima incommoda innebentem, Brianus Rex latiùs euagari minimè passus, penitùs sustulit, omnibus imperans, vt quo cognomine quisque ìiùm afficiebatur, illud ad posteros transmitteret; ità vt etiam hodiè plerisque familijs Hibernorum, Heroum tunc superstitum nomina loco cognominum hæreant.*

Atque hoc ipsum in Peruuia hoc Sacri Limensis Concilij capite decretum esse reor: Cum enim per varias occasiones plures Indorum historias legerim, non recordor personarum nominibus, quæ in illis occurrunt plurima, cognomen aliquod gentis, vel familiæ adiunctum esse; Præterquam in Peruuianorum Regum Filijs, quorum nominibus *yuca* passim additur: sed hoc ipsum potiùs Regij sanguinis honorificum indicium, vt Hispanicum *Infante*, quam gentis cognomentum est. Igitur cum cognominibus priùs caruissent Peruuiani, propter quod, vt ab inuicem discernerentur, Concilium ea in posterum imponenda decernit: Sensus Canonis est, vt filij omnes Masculini generis Patris proprium nomen, non, quo caruerat, cognomen cognominis loco retinerent, vt Brianum Hiberniæ Regem suis edixisse diximus; & fœmineæ proles propriæ matris nomen pariter cognominis loco seruarent: Quo profectò magis quam filij discerni poterant, cum omnium vnus, & mononimus pater esset, è cuius vno eodemque nomine filij omnes cognominabantur: Ideò forsitan, vt paternæ stirpis vocabulum, tanquam præcipua generis pars in filijs perennaret. Filiæ verò fortassis tot habuerunt cognomina quot ipsę fuerunt, cum in illa gentilitate plures consueuerint esse patris vxores, seù concubinæ, quarum singulæ singulas filias peperisse poterant: neque stematis adeò intererat paternum nomen in fœminis con-

conseruari, quòd per eas ad posteros non traduceretur, sed cuiusque ipsarũ mariti. Quamquam Hispanorum multi nomini suo passim patris simul, & matris cognomen adscribant, vt nobilitatem suam, seù sanguinis, vt vocant, puritatem ex vtriusque parẽtis cognomento præferant.

Act.2. cap. 17. [a] *Experiantur noxiam*. Hoc etiam Concilij Tridentini decreto cautum est sess. 14. cap. 7. vbi declarat casuum reseruationem Episcopis omnibus in sua cuiusuè diœcesi, *in ædificationem tamen, non in destructionem licere*. Ad Confessariorum tamen zelum,& prudentiam pertinet, vt eiusmodi peccatorum, & censurarum grauitatem pœnitentibus inculcent,& reseruata esse declarent, nec absoluendi facultatem sibi ad destructionem concessam esse, atque adeò grauiter hortentur nè pœnitentes ipsi, hanc Sacrosanctæ Synodi indulgentiam ad maiorem peccandi libertatem trahant, alioquin prouisuros Episcopos, vt hæc ipsorum clementia non sit ad destructionem, sed vt nimis fiducialiter peccantes grauiùs puniendi sint: nec vt ipsi pœnitentes conscientijs suis noxium experiantur, quod pro eorum salute à sacra Synodo prouisum est.

Act.3. cap.22. [a] *Becca*. Est insigne Alumnorum, qui in Hispaniarum Collegijs admissi sunt, ità vt idem apud ipsos sit prætendere Beccam, & prætendere admissionem ad Alumnatum Collegij. Cum aliqua Becca vacat, magnus fit nobilium Scholasticorum concursus, nec dantur, nisi communibus Collegarum suffragijs (præmisso etiam nobilitatis,& doctrinę scrutinio) vt qui vincat numero, ille obtineat; & qui semel obtinuit, magna est inter Hispanos eius opinio. Vnde Authores Vitæ nostri Toribij, exaltant, quòd cùm in Collegio Ouetensi Salmanticẽsis Academiæ vacarent tres Beccæ, competentibus inter alios Ioanne Pineda, qui anno quinto ab accepta Becca Societati Iesu se addixit, & Francisco Contrerio, qui postea in Hispania multis titulis illustris euasit, Toribio tamen prima ex tribus Becca delata fuerit, Postquam Vallisoleti Iuris vtriusque Laurea decoratus esset, & ætatis annum 31. ageret. Imò quanti æstimanda sit litteraria hæc Hispanorum trabea, vel ex hoc ipso Concilij Limensis decreto satis constat, in quo affirmatur eam, vel amplum galerum gerere, Episcopis, præbendatis, & graduatis moris esse. Accedebant autem, vel ex Hispania, vel aliundè scioli aliqui, & glorioli, qui & scholastici gradus titulos, & abollam hanc philosophicam vsurpabant, sine legitimo sui gradus testimonio, quorum fraus, & vanitas prouidentissimo hoc Decreto repressa est, nè, vt subijcitur, fallaci ostentatione imperiti lædantur, & seducantur. Vtinam qui maiorem perfectionem profitentur, tanto studio in honoribus conferendis, & animabus, & Reipublicæ prouiderent. Est autẽ Becca (vt Macedo eã in Toribij vita describit) insigne quoddam abollæ scholasticæ, quæ trabeæ in morem ab humero deducta in latera reijcitur, & pendula circumferturs ac propè imam oram circulum eiusdem panni assutum habet, quo distinguitur, & insignitur. vel vt alij referunt, est instar stolæ sacerdotalis, cuius medium in formam semicirculi ex humeris ad pectus, & extremitates post scapulas proiectæ, pendent. Sed pro Collegiorum diuersitate diuerso colore affecta est.

Act. 3. cap. 24. [a] *Ne Tabachum*. Quod hoc loco presbyteris ante Missã, idipsum laicis ante Communionẽ prohibetur inferius Synod. diœces.9.n.19. Sed grauitas cõminationis reatus mortis æternæ, in hoc decreto intẽtatæ, procul dubio presbyteris peccati mortalis vinculum inponit. Aliud simile habetur in Cõcilio Mexicano III. his verbis. *Præcipitur nè vllus Sacerdos ante Missæ celebrationem, aut quauis alia persona ante communionem quidpiam Tabaci per modum fumalis euaporationis, aut alio quouis modo percipiat*: quo proeul dubio mortale peccatum illarum Prouinciarũ subditis, tabacum ante communionem sumẽtibus indicatur. Sunt etiam multi nec infimæ Classis Theologi qui docẽt, id vbicunque terratum facientes mortaliter

taliter peccare ex ipsa natura rei, tùm quia violatur iejunium naturale, requisitum ad dignè communicandum, quia Tabaco, seu in fumo, aut succo masticatæ herbæ per os, aut in puluere per nares sumpto, aliquid semper in stomachum descendit. Tùm quia grauis irreuerentia irrogatur Sacramento, & ministerio Altaris propter fœtorem, & alias immunditias, quæ Tabaci vsum consequuntur. Cæteris vberiùs rem tractat R.P.D. Benedictus Stella Religiosus Fuliensis Ord. S.Bernardi, in suo libro de Tabaco, vbi cap. 33. quærit, *An masticatum in folio, vel attractum in fumo, violet ieiunium naturale?* & cap. 34. *an sumere Tabacum in Templo sit peccatum mortale?* & vtrumque affirmatiuè resoluit, citans, quos pro hac vel negatiua reperire poterat Authores, & quod vsum pulueris attinet, idem tenet, quod de succo herbæ masticatæ, nam vtrumque, inquit, æquè in stomachum descendit. Et de impedimento Communionis, præter defectum ieiunij, & debitæ reuerentiæ, adducit horum Conciliorum Mexicani, & Limensis authoritatem, quam his verbis applicat, sed Italicè, qua linqua scripsit. *Et quantumuis dicta Concilia sint Prouincialia, & non vniuersalia, & quòd illorũ prohibitio non extendatur extra illas prouincias: Nihilominus quoniam Roma approbata sunt, per Sac. Congregationem Eminentissimorum Cardinalium, & à Sanctitate Sixti V. Pontificis in Bulla expedita, anno 1589. die 28. Octobris, & confirmata per Vrbanum VIII. in Bulla expedita 11. die Martij 1626. vt refert P. Thomas de Hurtado tract. 2. par. 6. resol. 2. num. 183. Resol. moralium part. 2. habent magnam authoritatem, & virtutem Præcepti extensiui ad omnes Christianos, ità vt si quis sumeret tabacũ ante Missam, & Communionem, contraueniret illi præcepto, & sumeret Sacramentum non ieiunus ieiunio naturali.* Sed quicquid sit de illa extensione præcepti, quam aliquis facilè negabit, cum Pontifex non confirmet præceptum, nisi pro illis prouincijs, quibus per Concilia impositum fuit; vis tamen huius consequentiæ aliundè ex natura materiæ deduci potest, nimirũ ex identitate causæ prohibitionis. Nam si vel irreuerentia, vel defectus ieiunij tàm grauis est, vt formale præceptum, & comminationem reatus mortis æternæ in Indijs mereatur, & hoc post Concilia iudicauerit Sacra Congregato, & ipsi Pontifices, atque eadem vbique ratio causæ sit, vt verè est, idem vbique erit ferendum iudicium, non ratione præcepti Limensis, vel Mexicani, vel ipsius Pontificiæ Confirmationis, sed ex natura rei, & subiectæ materiæ, & causæ prohibitionis; non enim, vt idem author alibi loquitur, id peccatum est, quia solummodo præceptum, sed ideò præceptum quia peccatum, vel proximum periculum peccati. Qua propter magis securum est, vt dicunt Diana, & omnes alij à me (inquit Stella) citati, non exponere se periculo, quia *Qui amat periculum peribit in illo*. Quod periculum debent sup ponere omnes qui ità consulunt.

Ego nihil definio, id saltem considero, sanè mirandum, quod Sacerdotes ita vincant Venerem, vt Virgines longæui moriantur, ita vincant gulam vt nobili loco nati & alioquin delicatè nutriti, sic contemnant cupedia, vt de ijs ne cogitent quidem: voluntaria paupertate vincunt auaritiam, professa humilitate superbiam, tolerant famem, sitim, frigora, & calores, vt Missam meridie vel quandoq; tardiùs, & procùl celebrent, & alia eiusmodi multa, vt religiosè sibi, & alijs exemplariter viuant; sed vnicum pruritum narium ne quidem per paucas horas tolerare vel valent vel volunt, qui nec intra nos natus est, vt alia vitia, nec necessarius sit, sed vel vana curiositate, vel communis abusus consensione forinsecùs accersitus, vel ad summum consuetudine retentus: Cum tamèn vt ipsi fautores eius fatentur, & animam in periculum agat, & corpori non rarò noceat, & Sacerdotale decus dehonestet, & personam alijs ingratam, & eius ministerium, quamquam alioquin Sacrosanctum, abominabile reddit; cum & sacras vestes & altaris lintea, & ipsum aliquãdo, in quo Christi Corpus collocatur, & quo sanguis ter-

tergitur, & pauimentum,& parietes ad nauseam conspura cernuntur,Sacerdotem tota Missa sternutare, tussire, sputare, vix non vomere, quod etiam aliquando accidisse fertur, & ex eodem ore, quod mundissimum & nouum esse deberet, stomachabundũ expui muchum, in quod immediatè post infertur venerabile Sacramentũ, quod vtinam non hoc aromate conditum deglutiatur. Decet sanè sacerdotalem sanctimoniam & grauem eius obligationem reuerentiæ erga Deũ, & boni exempli erga proximum, vbi minima suspicio sit peccati motralis, illam omnino euitet & exhorreat, præsertim vbi nulla vel grauis necessitas, vel manifesta vtilitas operari cogit, vbi non de omittenda protsùs hac voluptate, sed de differenda paulisper in horam agitur: quemadmodum ob eandem caufam dignæ Communionis differunt sũptionem cibi & potus, præ oculis semper habentes tremendam illam S.Pauli sententiam, *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* &
1. Corinth.11. aliam S. Concilij Trid. sess.22. in Decreto, de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ, docentis: *Cum igitur multa iam siue temporum vitio, siue hominum incuria & improbitate irrepsisse videantur, quæ à tanti Sacrificij dignitate aliena sunt, vt ei debitus honor & cultus, ad Dei gloriam & fidelis Populi ædificationem restituatur: decernit S. Synodus vt Ordinarij locorum Episcopi, ea omnia prohibere & è medio tollere sedulò curent, ac teneantur, quæ vel auaritia, Idolorum seruitus, vel irreuerentia, quæ ab impietate vix seiuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix induxit.* Quis verò negabit notissimos effectus Tabaci quomodocunq; ante Missam sumpti ad irreuerentiam, ac proinde impietatis notam pertinere, eumq; abusum, temporum vitio, & hominum voluptate irrepsisse? qui si in Europa Tridentinæ Synodi tempore, vt hodie, grassaretur, forsitan expresse prohibitus fuisset: vt plane videatur Decreta illa Limensia & Mexicana ex hoc Generali Tridentini deriuata, in eoque implicitè, atque adeò generalem prohibitionem Tabaci ante sacrificium & Communionem contenta fuisse, tenerique hodie reliquos Episcopos crescentem iam abusum, & vbique grassantem sedula cura in suis Diœcesibus prohibere & è medio tollere, tanquam à tanti Sacrificij dignitate, debitaq; illi reuerentia alienum, & fidelis populi ædificationi contrarium. Sed hoc ampliùs declarare, ad sacram Congregationem Eminentissimorũ Cardinalium S.Concilij Tridentini Interpretum pertinet, cum illis per Episcopos propositũ fuerit. Notandiq; sunt inter actus irreuerentiæ, quos Concilium inter alios ibidem exprimit, *non decens corporis habitus, strepitus, clamores*, quæ an à frequenti tussi, excreatione, & alijs effectibus Tabaci, quæ supra saluis autibus meminimus, secerni possint, ijdem Eminentissimi Patres, pro sua ipsorum sapientia & pietate iudicabunt. Ego verò protestor, non velle me, vel alium ex me verba S. Concilij aliter intelligere vel interpretari, quam eadem sacra Congregatio, & sancta Sedes Apostolica intelligat & interpretetur.

Act.4. cap.9. [a] *Festi dies, &c. sunt hi*. Gregorius XIII. die 30. Decembris 1573. in Bulla *Pastoralis officij cura*, declarauit aliam B. Pij V. de celebratione Festorum Hispaniæ, eademq; extendit ad Insulas & terram firmam Indiarum Catholico Regi subiectarũ, in qua facit mentionem aliquorum festorum quæ in hoc Decreto non nominantur. Receptam fuisse in Archiepiscopatu Limensi hanc Bullã inde colligo, quod festum Triumphi Sãctæ Crucis in Bulla memoratum, memoretur etiam in actis Synodorum Limensium inferius, vbi nos de hoc festo plura. Placuit autem integrum Diploma hic describere, quia multa continet notatu digna, & scitu necessaria.

BVL-

BVLLA GREGORII XIII.

De Celebratione Festorum in Hispania & Indijs.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis officij cura nos admonet, vt ea quæ magis conducere censemus, pro locorum & personarum qualitate concedamus. Sanè licet aliàs post Missalis & Breuiarij ex Decreto sacri Concilij Tridentini editionem felic. record. Pius V. Prædecessor noster, dilecti nobis filij Ludouici de Torres Malacitani, & Cameræ Apostolicæ Clerici, qui tunc ex Hispaniarum Regnis, ad quæ ab eodem Prædecessore pro certis grauibus negotijs ad Rempublicam Christianam spectantibus missus fuerat, Romã redierat, relatione audita multas scilicet, vt ipse Ludouicus à viris grauissimis ad hunc effectum à charissimo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico deputatis acceperat, ex huiusmodi editione subortas fuisse in illis partibus difficultates, ad eas tollendas nonnulla, quoad Hispaniarũ Regna prædicta, duxerit reformanda, & concedenda: nihilominus quia vt idem Ludouicus nobis retulit, reipsa compertum est, adhuc aliqua ad Missalis & Breuiarij impressionem, quæ in illa Prouincia magnis impensis curantur, desiderari: Nos eius dictis certam adhibentes fidem, ad omnem scrupulum dimouendum, motu proprio & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hæc quæ sequuntur declaranda duximus, & concedenda. In primis illud nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio: Cum enim Prædecessor prædictus indistinctè concesserit, vt Ecclesiæ Hispaniæ possint celebrare officia propria Sanctorum illius Prouinciæ, illiq; plures sint numero; ex hoc sequebatur, vt Officium maioris partis feriarum anni omitteretur, & ordo Breuiarij ferè subuerteretur. Nos huic incommodo occurrere volentes, & Prædecessoris prædicti mentem sano modo interpretantes, declaramus, vnamquamq; Hispaniæ Ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breuiario non sunt descripti, officia propria celebrare posse, qui vel illius Diœcesis sunt naturales, vel eius Ecclesiæ seu Diœcesis sunt Patroni, vel eorum corpora seu notabiles reliquiæ in ea Ecclesia seu Diœcesi requiescunt. De alijs verò Sanctis etiamsi sint naturales, vel patroni alterius Diœcesis, etiam si illorum corpora vel notabiles reliquiæ in aliqua Ecclesia alterius Diœcesis requiescant, non celebretur officium proprium, sed seruetur ordo Breuiarij Romani. Et quo die celebrabitur festiuitas patroni vnius Diœcesis, Religiones omnes teneantur eodem die in suis Ecclesijs intra limites illius Diœcesis existentibus eamdem festiuitatem celebrare, & in hoc cum Ecclesia matrice se conforment: Item volumus quòd festiuitates sequentes sint in tota Hispania generales, ita quod omnes Ecclesiæ & religiones existentes in illa Prouincia recitent de illis, & celebrent propria illarum officia, quæ sunt, festiuitas expectationis Dominæ nostræ quæ celebratur die 18. mensis Decembris. Et quoniam dicta die iuxta Breuiarium Romanum Feria habet Antiphonas proprias ad Laudes; ne Antiphonæ prædictæ omittantur, & vt festiuæ singulis annis in illa Prouincia decantentur: mandamus, quod dictæ Antiphonæ feriales, quæ in die in qua officium Expectationis celebratur, dicendæ essent, reponantur die 16. Decembris, omissa ea, quæ ad Canticum dicitur, cuius loco dicatur ea, quæ ad Canticum ponitur in Psalterio: & idem fiat de Antiphonis in die S. Thomæ occurrentibus, reponendis in Sabbato, quando festum Expectationis huiusmodi in Sabbatho venerit: vt scilicet Antiphonæ in die S. Thomæ occurrentes, tunc reponantur xvj. Decemb. dempta ea, quæ dicitur ad Canticum, vt supra. Item festiuitas Triumphi S. Crucis, quæ celebratur die xvj. Iulij. Item festiuitas S. Ildelfonsi Archiepiscopi Toletani Confessoris. Item festiuitas S. Isidori Archiepiscopi Hispalensis, pro quo celebretur Officium Doctoris, & recitetur Credo in celebratione Missæ. Insuper celebretur festiuitas S. Annæ Matris B. Mariæ Virginis in omnibus locis vbi fuerit Ecclesia, vel Capella dictæ Sanctæ ad præsens; vel vbi ædificabitur Ecclesia in futurum. Item concedimus, quod qualibet Ecclesia, & Monasterium Hispaniæ, habens aliquas reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus ali-

alicuius Sancti, etiam alienigenæ, non existentis in Breuiario, vel de quo in dicto Breuiario, fit tantùm Commemoratio, possit illius festiuitatem celebrare, & Officium duplex facere, & de alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex fit commemoratio: si verò fuerit duplex, vel semiduplex transferatur in primam diem simili festo non impeditam. Et quoniam in Regno Castellæ in pluribus Ecclesijs celebratur die 30. Decembr. Translatio S. Iacobi Apostoli Hispaniarum Patroni, præcipuum duplex, & in Breuiario ponitur die 29. festiuitas S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, & Martyris, semiduplex: & in anno quo festiuitas S. Thomæ occurrit in Dominica, iuxtà regulam Breuiarij transfertur in diem sequentem, quo die in illo Regno celebratur supra dicta festiuitas S. Iacobi, posteà quam per plures dies non venit aliqua dies vacua, in qua possit celebrari festiuitas prædicti S. Thomæ: volumus vt in eo anno Festum ipsius S. Thomæ transferatur ad primam diem duplici non impeditã, quæ erit vigilia Epiphaniæ, & tũc de vigilia fiat tantum commemoratio: ad vesperas autem Epiphaniæ nulla fiat cõmemoratio de festo S. Thomæ prædicti. Cum verò in Ecclesijs, & Religionibus Hispaniæ vigeat consuetudo, quòd diebus Paschalibus, & festiuitatibus maioribus celebret Missam Conuentualem Antistes, vel alia persona principalis, & regula Missalis ordinet, quòd omnibus diebus Dominicis infrà Annum Sacerdos, qui celebrauerit Missam Conuentualem, exeat ante celebrationem Missæ cum pluuiali, vel cappa, & cum ministris ad incipiendum in Altari maiori Antiphonam Asperges, & aspergendum aquam benedictam populo: concedimus, quòd Antistes, seu alia persona principalis celebrans Missam Conuentualem, præmissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex Sacerdos eius loco, & quòd talis Sacerdos non deferat pluuiale, sed albam, vel stolam, vel superpelliceum, & stolam, nec procedat associatus cum ministris, sed solùm cum Acolythis. Hæc autem omnia, & singula, Breuiarium, & Missale concernentia per fel. rec. Pium V. & nos concessa pro Hispaniarum Prouincijs, volumus vt intelligantur, etiam concessa Ecclesijs Insularum, & terræ firmæ Indiarum dicto Regi Catholico subiectarum. Et insuper statuimus, quod Missæ Sanctorum, quæ iuxtà motum proprium dicti Pij V. in Missali Romano in Hispanijs imprimendo possint imprimi, non in corpore, sed in fine dicti Missalis imprimantur. Et ità per præsentes authoritate Apostolica declaramus, statuimus, concedimus, & indulgemus: Non obstantibus præmissis, & litteris Prædecessoris prædicti in Breuiario, & Missali, ac regulis seu Rubricis generalibus cum ipsismet Breuiarijs, & Missalibus impressis, nec non omnibus & singulis in eis contentis prohibitionibus, clausulis, derogationibus, & decretis. Quæ omnia Nos ad effectum præsentium in dictis Prouincijs locum sibi non vendicare decernimus, ac alijs, quæ dictus Prædecessor in suis literis obstare non voluit, cæterisque contrarijs quibuscunque. Vt autem præsentes litteræ omnibus innotescant, volumus, & districtè præcipiendo, omnibus, & singulis librorum impressoribus in partibus illis consistentibus mandamus, vt illas in cuiuslibet Missalis, & Breuiarij principio imprimant, & imprimi curent, aliàs illis non appositis, & impressis præsentes namini suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xxx. Decembris MDLXXII. *Pontificatus nostri anno primo.*

Alexander VII. omnia festa Regnorum Hispaniæ extendit ad Indias Hispaniæ Regi subiectas per Bullam sequentem.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

P*ijs Dilectorum filiorum Peruani Cleri Insularum, nec non terræ firmæ Indiarum, Charissimo in Christo Filio nostro* Philippo Hispaniarum *Regi Catholico subiectarum, precibus benignè inclinati, & earum singulares Personas, à quibusuis Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque quibusuis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, de venerabilium Fratrum nostrorum* S.R.E. *Cardinalium Sacris Ritibus*

Præpositorum Consilio, quod omnia & singula officia, Missæ, necnon reliquæ diuinæ preces Regnis Hispaniarum hactenus indulta, vel in futurum concedenda, Indulta pariter, ac concessa extitisse, & esse censeantur vniuerso Clero Insularum, & terræ firmæ Indiarum, præfato Philippo Regi subiectarum, Auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, salua tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam Causarum palatij Apostolici Auditores, iudicari, & definiri debere; ac irritum, & innane si secùs super his à quaquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscumque. Volumus autem vt præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur vbique, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel extensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die XV. Nouembris M. D C. L I X. *Pontificatus nostri anno quinto.*

S. Vgolinus.

Idem Alexander ad Instantiam Catholici Regis, festum Immaculatæ Cōceptionis in Hispania, & Indijs eidem Regi subiectis de præcepto cum octaua celebrandum constituit sequēti Decreto.

DECRETVM.

Iteratis, ijsque precibus Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici Philippi IV. benignè inclinatus Sanctissimus D. N. annuit, vt in omnibus Regnis Hispaniarum, & Indiarum eiusdem Catholicæ Maiestatis imperio subiectis, tùm à sæcularibus, tùm à regularibus vtriusque sexus, qui horas Canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Immaculatæ Conceptionis, cum octaua in posterum de præcepto recitetur, cum lectionibus in Octauario Romano à Congregatione Sacrorum Rituum approbato contentis, & à die octaua ad decimam quintam Decembris ritè dispositis. Idemque officium ad vsum eiusdem Cleri seorsim ab Octauario Romano imprimi posse concessit. Hac die 2. Iulij 1664.

M. Episc. Sabinensis Card. Ginettus.

Loco † Sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congreg. Secret.

Cætera Festa Hispanorum, quæ virtute superioris Bullæ Alexandri ad Indos celebrare pertinet, in proprio Hispanorū Calendario reperiuntur, & specialia aliqua pro prouincia, & Diœcesi Limensi; vltrà ea quæ hoc capite Concilij Prouincialis numerantur, habentur infrà in alijs Concilijs, & Synodis Limanis. Omniaque vno libello simul edenda præstolamur studio solertissimi harum rerum curatoris R. D. Ioannis Francisci de Valliadolid, quem sæpiùs in his monumentis laudare nos cogit ipsa rerum conditio.

Act. 4. cap. 9. [b] *Materna Indulgentia.* Hac indulgentia priuilegia quædā Indis concesserunt aliqui Romani Pōtifices, quæ summariè descripta in hoc sacro Concilio præsentata, & acceptata fuerunt, decretumque, vt adderentur in fine Cathechismi, vbi videri poterunt inferius pag.

Act. 4. cap. 11. [a] *In die Natiuitatis &c.* Præter Processiones generales, quæ hodiè sunt in communi vsu Ecclesiæ, aliæ olim fiebant singulis diebus Dominicis totius anni, in festo Circūcisionis Domini, qui Dies olim lugubris, & pœnitentialis, deindè lætus & Sanctissimo Nomini IESV solemnis esse cæpit. In festo Dominicæ Resurrectionis, seù Paschæ, In festis Annunciationis, Natiuitatis, Dormitionis Dei Genitricis, & in die hypapantes. Aliæque multæ anniuersariæ, propter diuersa motiua, & in diuersis regionibus; de quibus latè & eruditè Nicol. Serarius, peculiari opere de processionibus. Quemadmodum igitur, vt Cardina-

dinalis Baronius in Martyr. 1. Ianuar. loquitur: *Sicut festi diei celebrandi diuersa fuit causa priscis illis gētilibus, & Christianis: itā & diuersus, atque adeò & contrarius fuit colendi modus vtrisque: Vt enim illi multiplicatis victimis, auctis superstitionibus, indecoris corporis motibus choreas ducentes, dapium publicarum ingluuie, nefandis cruentisque spectaculis fœdabant potiùs diem, quam colebant: Sic isti contrà, summa illum sanctitate, ac puritate transigere studebant: atque vt illorum superarent impietates, & in Deum iniurias quodammodo vindicarent, propensiori studio additis ieiunijs, & Litanijs, quibus velut expiationis hostijs, Diuinum offensum numen placare satagebant.* Ità si quis (quo nihil aptiùs) hæc eadem cum priscis illis Indorum gentilium turpitudinibus, crudelissimis humani sanguinis imolationibus, & humanæ carnis epulis, clamorosis nudo corpore choreis, & inhonestis gesticulationibus, & varijs superstitionibus, cumque his sacris supplicationibus, alijsque ritibus quas hæc sacra Synodus, aliæque Limenses, authore præsertim Toribio Mogrouejo, maximopere promouit, comparare voluerit, inueniet profectò renouaram in Indijs Ecclesiæ primitiuæ faciem, dum alibi subinde, & Hæreticorum furijs, & Præsulum negligentia languescit. Quanto studio, & pietate hic sacer ritus apud Peruuianos fiat, colligi potest, tum ex cap. 23. Act. 2. supra; & cap. 20. & 47. regulæ consuetæ infrà.

Sanè huiusmodi sacris functionibus, seù externis ceremonijs, & diuini cultus splēdore Indorum nationem ad summi Dei cognitionem, & venerationem supra modum allici compertum esse, hæc ipsa sacra Synodus Act. 5. cap. 5. restata est. Etenim Ecclesiæ Catholicæ cultus diuinus mysticus est, non in Taurorum, vel hircorum, multò minus hominum sanguine fundendo fœdatus, sed puræ mentis cum Deo spiritu purissimo, munda coniūctione, quæ & exercentes, & spectatores in sui admirationem, & vt Concilium loquitur, in Dei cognitionem, & simultaneam venerationem allicit, & non rarò rapit, per externas quidem illas, ordinarissimas, & significantissimas ceremonias, sine quibus internus animus addictus Deo externis sensibus explicari non potest, quod S. Ioan. Chrisost. hom. 60. ad populum Antioch. benè notauit, cum diceret, *Si incorporeus esses, nuda, & incorporea tibi dedisset ipse dona: sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi prabet.*

Et indè existimo Catholicos homines tàm parùm in diuinis proficere, & hæreticos in Ceremoniarum, & Ecclesiæ Catholicæ, quæ eis vtitur, contemptu tam pertinaces esse, quia cum his intersunt, vel eas legunt, aut audiunt, adeò sensuum abiectis addicti sunt, vt ad mysticum sensum, & sanctissima pulcherrimaque mysteria quæ latent, non attendunt; adeòque tam aridi; & animo incompositi recedunt, quam vano sensus oblectandi desiderio, & humana solùm curiositate accesserunt. Trahit enim sua quemque volupras, & ideò qui modis musicis, & externo sacrorum rituum ordine delectantur, eisque contenti sunt, in eis euanescunt. Qui verò mysteria quærunt, & mentem altiùs eleuant, non fraudantur desiderio suo, quæ vel vnica est, vel præcipua vtilitas externi cultus.

Post finem Act. 5. *His Actionibus &c. subscripserunt.*

Inter Subscriptores Concilij non nominatur F. Petrus à Penna Episcopus Quitensis, seù Ciuitatis S. Francisci de Quito, de quo supra diximus in Historia, & notis ad primam Actionē, qui post primam ipsam Actionem ad Concilium accessit, & ante secundam vita piè defunctus est, adeòque cum nulli publicæ actioni interfuisset, nulli subscripsit.

EDICTA
GENERALIA

D. Torribij Alfonſi Mogrouejì in Concilio Prouinciali expedita pro vniformi modo procedendi in iudicijs per totam Prouinciam Limenſem.

DEprehendit Toribius Archiepiſcopus, & Patres cum ipſo in hoc ſacrō Concilio Prouinciali congregati magnam varietatem in edictis publicis, & aliquos abuſus in exactione Iurium vtriuſque fori miniſtrorum, & officialium Iuſtitiæ; quod & Philippum Regem ritè inſtructum deprehendiſſe, & correctum omninò fore voluiſſe, in ipſis hìc productis monumentis indicatur. Qua propter, cum deceat in vnius Regis Imperio, & vnius Archiepiſcopi Prouincia, vt omnia vniformiter, & ſecundum iuſtitiam in publico vtriuſque fori regimine fiant, ſtatuerunt remedium, & per tria edicta ſequentia applicuerunt anno 1583. menſe Auguſti ante ſecundam actionem Concilij, quæ celebrata fuit die decima quinta eiuſdem menſis, & anni.

EDICTVM PRIMVM.

Taxantur iuſta ſtipendia Miniſtrorum & Officialium Iuſtitiæ.

IN Ciuitate Regum, ſecunda die menſis Auguſti anni 1583. Sacrum Concilium Prouinciale legitimè congregatum in dicta Ciuitate, videlicèt Illuſtriſſimi Domini D. Toribius Alfonſus Mogrouejus Archiepiſcopus Ciuitatis Regum. D. Fr. Antonius à S. Michaële Epiſcopus Ciuitatis Imperialis Chilæ, D. Sebaſtianus de Lartaun Epiſcopus Cuſcenſis, D. Fr. Didacus à Medellin Epiſcopus S. Iacobi Chilenſis. D. Fr. Franciſcus à Victoria Epiſcopus Tucumanenſis, D. Fr. Alfonſus Granero de Aualos Epiſcopus Platenſis, D. Fr. Alfonſus Guerra Epiſcopus Fluminis argenti. Cum exceperimus informationes iurium, quæ exiguntur in iudicijs, tam Eccleſiaſticis, quã ſæcularibus huius Ciuitatis, & reliquarum horum Regnorum, & Prouinciarum Peruuiæ, per Iudices, Notarios, & Scribas, & alios miniſtros iuſtitiæ, ac diuerſitatum, quę in illis acciderunt, cum alij plus, alij minus percipiant, & aliqui dicant, quod in iudicijs Eccleſiaſticis iura miniſtrorum duplicia eſſe debeant, & in ſæcularibus ſimplicia, & alij his aggrauentur: ad prædicta euitanda hoc ſacrum Cõcilium cum imperatis à Maieſtate Domini noſtri Regis Philippi, ſe conformans conſtituit, vt fieret vna Tariffa generalis, ſeù tabula taxatoria, vulgò *Aranzel*, pro hac audientia Metropolitana, & alijs audientijs Eccleſiaſticis tam ipſius Archiepiſcopatus, quàm Epiſcopatuũ ei ſuffraganeorũ, iuxtà quam ex nunc impoſterum Iudices, Notarij, Fiſcales, Accenſi,

&

& alij quicunque Ministri iustitiæ taxent, & percipiant iura, quæ ipsos concernunt ratione officiorum, & occupationum, quibus in causis ciuilibus, & criminalibus funguntur. Et quod pariter dictorum Prælatorum vnusquisque eam iubeat in suo tribunali, & in reliquis iudicijs sui districtus obseruari, non excedendo in vlla parte id quod in illa continetur, nec vtantur ipsi, vel alios vti permittant alia vlla Tariffa, vel Taxa, præterquam hac quam dictum sacrum Concilium ad præsens constituit, quæ est conformis vtique taxæ huius audientiæ Regiæ Ciuitatis Regum, quæ est tenotis subsequentis.

I.

Iura Iudicum in causis criminalibus.

IMprimis pro citationibus, & præconijs, quæ expediuntur ad capiendum aliquem delinquentem qui non reperitur, pendatur [a] *vnus pesus.*

Pro mandato ad comprehendēdum aliquem vnū, vel plures pro delicto, vel alia causa, quatuor tomini.

Pro mandato ad soluendum vnum, vel plures ab eodem delicto, quatuor tomini.

Pro sententia interlocutoria in causa criminali ab vtraque parte vnus pesus.

Pro sententia diffinitiua in causa criminali vnus pesus, & medius.

Pro pœna, prima vice qua quis iudicatur, vnus pesus, & duo tomini.

Pro charta receptoria ad excipiēdos testes, quatuor tomini.

Pro inducijs, & securitate, quatuor tomini.

Pro homicidio, si quis ob id fuerit condemnatus, quinque pesi.

II.

Iura Iudicum in causis ciuilibus.

PRo mandato faciendi executionem, quatuor tomini.

Pro mandato citandi in terra suæ iurisdictionis, quamuis sit pro pluribus personis, non percipiet plus quam tres tominos.

Pro contumacia citationis, si non comparuerint partes citatæ, quatuor tominos.

Pro concordia, quam fieri iubet in bonis mobilibus, & stabilibus, & pro mādato quod pro illa expediet, pro dato percipiet vnum pesum, & si non expediatur mandatum, accipiet dimidium.

Pro sententia interlocutoria, tres tominos.

Pro sententia diffinitiua, vnum pesum.

Pro charta receptoria, tres tominos.

Pro charta requisitoria, pro ministris suæ iurisdictionis, quatuor tominos.

Pro quocunque mandato sequestri, siuè personæ, siuè bonorum, vel vtrorumque simul, tres tominos.

Pro authorizanda qualicunque scriptura, quatuor tominos.

Pro quacunque tutela, vel curatura quam dederit, pro omnibus actis, & informationibus, ac traditione quæ fiet, vnum pesum.

Pro quocunque actu substantiali cui subscripserit cum vi mandati, tres tominos.

Quod non accipiant sepenas, vel alias vllas pœnas, quæ de iure pertinent

nent ad cameram nostram, nisi secundum ius aliquid Iudici applicatũ fuerit; nam hoc, & non plus accipere poterunt, cum partes priùs in Camera persolutæ fuerint, & quod nullas alias pœnales mulctas accipiant, præter partem, quæ ipsis per legem dispofita fuerit, vt dictum est, sub pœna illam cum septenis restituendi.

III.

Iura Accensorum, vulgò Alguaziles.

PRo vnaquaque persona intra vrbem, vel suburbijs comprehendenda, Accensus percipiet quatuor tominos. Quod si extra vrbem ad aliquem prendendum exierit, percipiet iure præscripta per leucas, iuxtà numerum leucarum; sed pro regressu nihil.

Pro incarceratione cuiuscunque personæ, seù vir siuè mulier fuerit, seù ingenuus (*hijodalgo*) seù alterius qualitatis, quamuis fœmina fornicaria fuerit, vulgo *herrada*, vel alterius cuiuscunque modi, si non dormierit in carcere, soluet quatuor tominos; quod si dormierit in carcere, soluet vnum pesum, siuè multò, siuè paruo tempore fuerit in carcere: Non soluet autem pro clausura, vel alia vlla iura.

Et si plures incolę ciuitatis comprehensi fuerint, hoc respectu accipiet iura pro vnaquaque persona vsque ad tres, & non vltra, etiamsi multæ fuerint.

Quando Accensus quempiam cõstituerit in possessionem alicuius rei siuè mobilis, siuè immobilis; si id fecerit intra vrbem, accipiet vnum pesum: Si autem extra vrbem, accipiet pro danda possessione illum pesum, & pro viatico quatuor tominos pro qualibet leuca, nihil accipiendo pro regressu.

Pro executione quam fecerit, accipiet ex primis centum pesis, pesos quatuor, & ex reliquis omnibus centenarijs duos pesos pro singulis centenarijs, vsque ad quantitatem quatuor millium pesarum: & quamuis executio ascendat ad maiorem quantitatem nihil ampliùs accipiet. Quod si dicta executio non accesserit ad centum pesos, accipiet pro rata dictorum quatuor pesorum: & si excesserit centum pesos, & non accesserit ad ducentos, tunc accipiet respectiuè pro excessu dictorum cẽtum pesorum ad rationem quatuor pesarum pro centum, & similiter in alijs centenarijs.

Pro executione quam Accensus fecerit pro marauedinis, & rebus fisci, si executio superauerit quinquaginta pesos, accipiet pro iure suo pesos duos, & non amplius: quod si summa non ascẽderit ad dictos quinquaginta pesos, tunc accipiet de iure vnum pesum, & non plus.

Si Accensi ad huiusmodi executionem prodierint extra ciuitatem ad loca suæ iurisdictionis, accipient pro singulis diebus medium pesum, numerando dies progressus, sed non regressus. Et si iura executionis superauerint iura itineris, tunc non percipient iura itineris.

Iura verò huiusmodi executionũ non percipient, vsque dum parti priùs ad satisfactionem solutum fuerit quantum lege sancitum est. Et si executio semel vel pluries facta fuerit, vel supersederit, non accipiet, nisi simplicia iura pro tota executione.

Pro

Pro executione cuiuscunque sententiæ, in vnamquamque personam, vnum pesum. Et ex qualibet scriptura denunciationis, accusationis, replicæ, vel interrogatorij, aut benè probati, quæ præsentabitur, dictus * Fiscalis poterit percipere duos pesos & pro vnaquaque aliarum scripturarum vnum pesum.

Fort. Accessus, nam de Fiscali nulla hic alia mentio.

Pro faciendo quocunque sequestro, quatuor tominos.

Pro prendendo vno propter delictum, dum non dormierit in carcere, quamuis in eo fuerit, accipiet quatuor tominos.

Pro accersenda vna persona siuè cum mandato, siuè absque illo; medium pesum.

IV.

Iura Notarij in rebus ciuilibus.

PRo quolibet mandato ad citandum, vel alio cuiuscunq; modi per Iudicem relaxato, quatuor tominos.

Pro qualibet contumacia, vel perduellione, quē Notarius scriptis extendet, vnum tominum; & si non tradiderit scriptis, nihil indè accipiet.

Pro interrogatorio scriptis, aut voce tradendo, vnum tominum.

Pro extensione cuiuslibet præconij, seù informationis, quæ dabitur & fiet parti, si ista non comparuerit, accipiet Notarius vnum tominū.

Pro negatiua, & contestatione, quæ in scriptis, vel voce fiet, vnum tominum.

Pro præsentatione cuiuscunque scripturæ signatæ, Notarius accipiet tres tominos, & si fuerit duarum personarum, vel vltra, vel capituli, accipiet duplum, & non plus: si non fuerit signata, quamuis subscripta, nihil accipiet.

Et præcipimus dictis Notarijs, & ipsorum cuilibet, quod in processibus, qui coram ipsis expedientur, extendant omnes præsentationes, & scripturas, & probationes, quæ in processu præsentabuntur, etiam si notauerint dictas præsentationes in dorso dictarum probationum, & scripturarum, ad hoc vt si aliqua deperdatur, vel auferatur, ex processu, nihilominùs constet ex actu presentationis id quod defuerit.

Pro cautione cum vadimonio, vel sine illo, tres tominos; & si fuerit duarum personarum, vel vltrà, vel alicuius consilij, vel capituli, accipiet duplum.

Pro iuramento suscipiendo per Iudicem à persona quæ non dabit vades, quod non recedet à loco, tres tominos.

Pro extensione cuiuscunque vadimonij, vel sequestrationis, accipiet Notarius tres tominos.

Pro quacunque restitutione quæ petitur, accipiet Notarius duos tominos.

Pro scriptura recusationis, quæ fit contrà Iudicem, vel Notarium cum iuramento, Notarius accipiet tres tominos.

Pro iuramento calumniæ, vel decisorio, quod Notarius excipiet, accipiet tres tominos, & si pars voce responderit ad depositiones, & Notarius extenderit responsa, accipiet pro qualibet integra philera, quam scripserit in registro, si plena fuerit, & non relictis magnis marginibus, & bono charactere scripta, & in cuius vnaquaque pagina sint ad minus lineæ triginta, & sex partes in singulis li-

lis lineis, accipiet tres tominos; Et ad hanc ratam accipiet, si fuerit plus, vel minus supradicto.

Pro extendendo conclusionem causæ ad sententiam interlocutoriã, vel diffinitiuam, accipiet Notarius vnum tominum ab vtraque parte.

Pro sententia interlocutoria, accipiet Notarius tres tominos ab ambabus partibus.

Pro sententia interlocutoria, vulgo, [b] *de quarto plazo*, accipiet Notarius duos tominos à parte in cuius fauorem data fuerit.

Pro charta citationis in receptoria, vel requisitoria, vel compulsoriali, vel executoriali, vel alijs quibuscunque chartis iustitiæ, in quibus incorporandæ sunt aliæ plures chartæ, vel scripturæ, vel acta, vel qualibuscunque chartis quas Notarius signatas, & expeditas dederit, accipiet ex vnaquaque philera scripta modo supradicto quatuor tominos; Et ità respectiuè secũdum quod plus, aut minus fuerit papyri in tali charta. Et quamuis charta fuerit plurium personarum, seù consilij, vel capituli, non accipiet Notarius plus quam supradictum est. Et præcipimus omnibus Notarijs, quod chartas quas daturi sunt, ferre debeant, ac ferant bono charactere scriptas, sine magnis marginibus, secundum, & iuxtà modum supradictum, & emendatas, & in dorso inscriptas nota iurium quæ accipient, in loco vnde auferri non possit, ipsorum nomine subscriptas, vt partes cognoscant, iura quæ soluere debent, & vt non possit ab ipsis ampliùs peti, quantumuis tales chartæ sint clausæ, vel casu quo denuò emendentur, vel semel aut pluries fieri debeant, pro scriptura chartæ, vel sub alio colore, sub pœna quod Notarius qui contrà hæc, vel vllam eorũ partem fecerit, quadruplum restituat, quod hac ratione, vel pro emẽdanda charta, vel pro ea iterum facienda; cuius mulctæ medietas cedet parti, & altera medietas Cameræ nostræ.

Pro prorogatione termini *de quarto plazo*, quam iudex dederit alicui partium, accipiet Notarius duos tominos.

Pro commissione quam Iudex dederit ad excipienda testimonia, vel ad aliam rem, accipiet duos tominos.

Pro remissione, quam aliquis Iudex fecerit ad alium Iudicem in quacunque causa, Notarius accipiet tres tominos.

Item pro quocunq; processu, quẽ Notarius ante vel post sentẽtiam remiserit ad alium Notariũ, Notarius remittens non poterit accipere alia iura, præter illa quæ debebantur vsque ad punctum, & statum, in quo processus erit tempore quo remittetur, iuxtà ordinationes, & taxas supra contentas. Et si dederit copiam, seù exemplar signatum, accipiet stipendium exemplaris, & si dederit chartam executorialem, is qui illam dederit, accipiet stipendium. Casu verò quo ipsum originale processus ex mandato nostro tradiderit alteri Notario, cum iam acceperit iura supradicta, quæ ipsi ex scriptura, & actis processus debebantur, non vlteriùs accipiet vlla alia iura. Et pro transmittendis processibus huiusmodi dicti Notarij talium processuum, vel ipsorum vllus non accipient vlla iura ex illa quæ debentur

No-

Notarijs, ad quos remittentur: Nec Notarius cui tradentur, accipiet vlla iura ſpectantia ad Notarium, coram quo dicti proceſſus priùs pendebāt, ſub pœna reſtituendi cum quadruplo quidquid contrà contenta huius capituli accepit, applicanda Cameræ noſtræ.

Pro præſentatione teſtium, ex primo teſte percipiet Notarius vnū tominum, & ex reliquorum ſingulis medium tominum. Et ſi fuerit plurium perſonarum, ſeù conſilij, accipiet duplum, & non plus.

Notarius cauſæ qui ſupradicta ſcripſerit, pro ſingulis phileris integris regiſtri, quas ſcripſerit, modò ſcriptæ ſint, vt ſupradictum eſt, poterit pro ſingulis phileris accipere tres tominos, & non ampliùs, & iuxtà hanc ratam ſecundum ſcripturas quæ in illo fuerint.

Pro conſcribenda publicatione probationum, accipiet Notarius vnum tominum.

Pro ſententia diffinitiua, accipiet tres tominos.

Pro taxatione chartarum, duos tominos.

Pro conſcribenda cognitione ſententiæ, denegatione, ſtipulatione, & appellatione, vnum tominum, cum dimidio.

Pro teſtimonio appellationis, quā Notarius ſignatam dederit, accipiet iuxtà ſcripturas, quæ fuerint, quatuor tominos pro qualibet philera, quam ſignatam dederit, & modo iam dicto ſcriptam, & pro ſigno, tres tominos, & non plus.

Pro extendendo qualiter Iudex appellationem pro nulla pronunciauerit, & præceperit executionem ſententiæ, accipiet Notarius tres tominos.

Si pars in gradu appellationis, vel in alio quocunque gradu extraxerit proceſſum, ſoluet pro ſingulis phileris integris, quas Notarius ſcriptas bono charactere, & modo dicto dederit, tres tominos, & ſecundum hoc ſignando ſcripturam, quæ in proceſſu fuerit, & pro ſigno, duos tominos.

Pro conſcribenda præſentatione cuiuſcunque proceſſus in gradu appellationis, ſi ſit vnius perſonæ, accipiet Notarius tres tominos.

Si in gradu appellationis, vbi illa fuerit, fient aliqua ex dictis actis, præcipimus, quod Notarius accipiat duplicata iura primæ inſtantiæ, & nō plus.

Pro præſentatione cuiuſuis ſententiæ, vel contractus, quæ executioni mandari debet, & pro petitione, quæ ad hunc effectum ſit, & pro iuràmento, Notarius accipiet quatuor tominos.

Pro mandato exequendi, accipiet tres tominos.

Pro petitione, mandati, vel citatione, ad dandum extractorem maioris valoris, vel remanentis, accipiet Notarius ſeptem tominos.

Pro charta ſolutionis, quam dominus debiti dederit extractori, & pro ceſſione iuris quæ ſit in extractorem bonorum, vel alio quocunque modo, Notarius accipiet duos tominos.

Si Notarius ierit ad faciendam executionem, vel alios actus extra ciuitatem, & ſuburbia, pro ſingulis diebus accipiet tres peſos; ſed ſi non fuit integer dies, accipiet reſpectiuè ſua iura pro actis, & ſcripturis, quæ coram ipſo tranſigentur.

Pro vnoquoque præconio, quod

dederit, siuè ad vendendum bona, siuè ad alium effectum, accipiet vnũ tominum, & medium.

Pro quouis mandato ad supersedendum, accipiet tres tominos.

Pro quocunque mandato, quod Notarius dederit signatum, accipiet quatuor tominos: & si fuerint plures quam vna philera, accipiet pro qualibet philera quam signatam dederit, & vt supra scriptam, & hac ratione iuxtà scripturam, quæ in mandato continebitur.

Si Notarius coram Iudice fecerit inuentarium bonorum intra ciuitatem, accipiet pro id conficiendi mãdato tres tominos; & pro inuentario tres tominos pro vnoquoque folio, vt dictum est.

Pro partitione bonorum, in qua interuenerit Iudex, & Notarius, tàm Iudex, quàm Notarius accipient iura actorum quæ fient, pro singulis folijs tres tominos, si illa dederint signata.

Pro mandatis cum acto, & informatione possessionis, Notarius accipiet tres tominos pro folio.

Pro mandato ad vendenda bona, Notarius accipiet tres tominos.

Pro conscribendo qualiter Iudex det authoritatem ad authorizandam aliquam scripturam, Notarius accipiet tres tominos, & pro copia signata talis scripturæ, accipiet tres tominos pro folio, vt dictum est.

V.
Iura Notariorum in criminalibus.

PRo querela, vel denunciatione, quæ vel voce, vel scripto dabitur, Notarius accipiet tres tominos.

Pro presentatione testium, quos Notarius excipiet ad informandum pro comprehendendo reo, si testes fuerint vsque ad numerum ternarium, pro primo teste accipiet duos tominos, & pro reliquis vsque ad tres vnum tominum pro quolibet, & pro sua scriptura accipiet pro singulis philleris integris, quas descripserit in registro modo iam dicto, tres tominos, & si rogatus dederit signatum, accipiet pro vnoquoque folio, quod priùs dictum est, & si exceperit plures testes, quam tres, nihil ampliùs pro eis accipiet.

Pro verificatione vulnerum, vel mortis, pro quolibet teste, qui dicto Notario presentabitur, pro primo accipiet duos tominos, & pro alijs vsque ad tres pro vnoquoque, vnum tominum, & pro scriptura, quam desuper signatam dederit, accipiet pro singulis folijs vt supra dictum est.

Pro mandato prendendi, accipiet Notarius tres tominos.

Pro responso ad accusationem, accipiet tres tominos.

Pro vadimonio, & incarceratione, quamuis sit plurium personarum, modo fuerit pro vno delicto, accipiet Notarius quatuor tominos.

Pro conscribendo testimonio, seù fide, quam interposuerit Accensus, quòd non inuenerit delinquentem, duos tominos.

Pro præconijs, quæ dantur contrà absentes, accipiet Notarius pro quolibet duos tominos.

Pro præsentatione sui ad carcerẽ, quam quis fecerit ad probandam suam innocentiam, accipiet Notarius tres tominos.

Pro

Pro charta contumaciæ, accipiet Notarius duos tominos.

Pro ſequeſtratione bonorum, accipiet Notarius pro ſingulis phileris integris, quas in regiſtro ſcripſerit, modo ſuperius explicato, tres tominos; quod ſi ſignatas dederit, accipiet ex quolibet folio ſignato, quod ante præſcriptum eſt. Et ad hunc modum ſecundum ſcripturam quæ in illo continetur.

Pro concluſione cauſæ ad ſententiam interlocutoriam, & diffinitiuam, Notarius ab vnaquaque parte accipiet vnum tominum.

Pro confeſſione ſpontanea, quam ediderit captiuus in tormento, vel comminatione, accipiet Notarius ſtipendium iuxtà folia regiſtri, & ſcripturæ, quæ in illo fuerit.

Pro ſententia interlocutoria, accipiet ab vnaquaque parte vnum tominum, cum dimidio.

Pro ſententia ad tormentum, accipiet duos tominos.

Pro actis tormenti, & omnium quæ in eo contingunt, Notarius accipiet ſua iura iuxtà numerum, & quantitatem ſcripturæ in eis contentæ, vt iam ante præſcriptum eſt; modo ſingula folia conſcripta ſint vt ſupra.

Pro iuramento calumniæ, accipiet vnum tominum ab vtraq; parte iurantium, & pro ſcriptura, quam confecerit ſuper ijs, quæ vtraq; pars, vel earum alterutra reſponderit ad iuramentum, accipiet quod ſupra in ciuilibus præſcriptum eſt, & non plus.

Pro præſentatione, & repræſentatione teſtium in iudicio ordinario, accipiet Notarius pro primo teſte duos tominos, & pro cæterorum vnoquoque vnum tominum, & pro ipſorum dictis, quæ ſcripſerit, accipiet, vt ſupra iuſſum eſt in cauſis ciuilibus. Præcipimus tamen nè in repræſentatione quidquam accipiat pro illis teſtibus, pro quibus in ſummaria informatione ſua iura percepit pro præſentatione, & ſcriptura.

Pro publicatione probationum, accipiet ab ambabus partibus, duos tominos.

Quod ad copias autem probationum, & ſcripturas quæ præſentabũtur, in dictis cauſis criminalibus attinet, iubemus, vt ſeruetur, vt ſupra in ciuilibus iuſſum eſt.

Pro præſentatione cuiuſuis ſcripturæ ſignatę, accipiet Notarius tres tominos; & ſi fuerint duarum, vel plurium perſonarum, ſeù Conſilij, aut capituli, vel vniuerſitatis, accipiet duplum ſtipendium, & non plus. Et ſi acta non fuerint ſignata, nihil accipiet.

Pro ſententia diffinitiua, accipiet quinque tominos.

Pro taxatione ſumptuum, tres tominos.

Pro executione ſententiæ criminalis, quia Notarius debet perſonaliter adeſſe, accipiet vnum peſum.

Pro licentia, & ſeparatione querelæ, quatuor tominos.

Pro cognitione ſententiæ, ſtipulatione appellationis, vel denegationis ipſius, tres tominos.

Pro mandato ad liberandum, quatuor tominos.

Pro teſtimonio appellationis ex folijs proceſſus, ſi Notarius id ſignatum extraxerit, accipiet vt ſupra dictum eſt in cauſis ciuilibus, ad tres tominos pro folio.

Pro conſcribenda præſentatione

cuiuſcunque proceſſus in gradu appellationis, accipiet Notarius quatuor tominos, cum fuerit vnius perſonæ, ſi verò plurium vel Conſilij, accipiet duplum, & non ampliùs.

Pro fide præſentationis, ſi ſignatam dederit, quatuor tominos.

Si in gradu appellationis fecerit aliqua ex ſupradictis in cauſis criminalibus, accipiet duplum iurium primæ inſtantiæ, & non plus.

Pro quacunque auctione bonorũ viui, vel defuncti, quæ præſente Notario fiet, vltrà iura eius, quod ſcripturus eſt, & taxari debet vt dictum ſupra eſt, accipiet etiam pro tempore, quod auctioni impenderit, iuxtà ratam, duos peſos ad ſingulos dies, & non plus.

Pro ſubſtitutione alicuius poteſtatis, medium peſum.

Pro compulſorio, inhibitorio, & citatione, vnum peſum, & medium; quod ſi fuerit duarum, aut plurium perſonarum, accipiet tres peſos.

Pro inſtrumento, vulgò [f] *ſobrecarta*, accipiet duos peſos, & ſi fuerit duarum, vel plurium, accipiet quatuor peſos.

Iſta iura accipiuntur pro vna perſona, & ſi fuerint duæ, vel plures, vel contrà violatorem Eccleſiæ, vel perſonæ eccleſiaſticæ, aut concubinarium, accipiuntur duplicata.

Item pro alijs omnibus, & quibuſcunque ſcripturis extra-iudicialibus, quæ præſente Notario tranſigentur, pro quolibet folio quod ſcripſerit, & quod continebit partes & lineas ſupra præſcriptas, accipiet tres tominos, & ſi ſignata dederit, idipſum accipiet, & vlteriùs pro ſigno alios tres tominos; & pro quibuſuis notificationibus quas fecerit in litibus, quæ ipſo præſente agitabuntur, accipiet duos tominos, & non plus.

VI.

Iura Mandatarij, ſeù Nuncij, Praconis, & Lictoris.

PRo accerſendo quamuis perſonam ad petitionem partis, vel ex mandato Iudicis, ſi fuerit intrà vrbem, accipiet Mandatarius quatuor tominos.

Pro qualibet auctione defuncti, accipiet vnum peſum pro omni centenario, & inde inferius ad ratam, & non plus.

Pro vnoquoque præconio ad accerſendam aliquam perſonam in contumacia, vel ad vendendum bona ex mandato iuſtitiæ, accipiet duos tominos; & pro termino venditionis; vulgò *remate*, quatuor tominos.

Quando præco exierit cum aliquo delinquente ad proclamandam executionem iuſtitiæ, accipiet vnum peſum.

Pro executione ſententiæ tormenti, Lictor accipiet vnum peſum.

VII.

Iura chartarum, & prouiſionum in merè Eccleſiaſticis.

PRo titulo, ſeù teſtimonialibus omnium ordinum, etiam primæ tonſuræ, Epiſcopus nihil accipiet.

Pro vna Notaria ordinaria accipient ſeptem peſos, Iudex mediam partem, & Notarius alteram.

Pro legitimatione ad ordines minores, vel ad habendum Beneficium ſimplex, Iudex nihil accipiet, ſed Notarius accipiet tres peſos.

Pro

Pro vnis dimissorialibus pro Clerico qui vadit extra Diœcesim, Iudex accipiet vnum pesum, & Notarius alium.

Pro legitimatione ad omnes ordines, Iudex nihil accipiet; Sed Notarius quatuor pesos.

Pro prouisionalibus doctrinæ, seù Parochiæ Indorum Sacerdoti concedenda, Iudex accipiet quatuor pesos, & Notarius duos, ac prætereà sua iura oppositionis, & nominationis.

Pro prouisionalibus parochię Hispanorum, accipiet Iudex quatuor pesos, & Notarius duos.

Pro prouisionalibus Sacristæ, accipiet Iudex duos pesos, & Notarius vnum, ambo in toto tres.

Pro prouisione Fiscalis, Iudex accipiet quatuor pesos, & Notarius duos.

Pro licentia cantandi Missam, vbique post examen, Iudex accipiet duos pesos, & Notarius vnum.

Pro dimissorialibus extra Regnũ, Iudici dabuntur duo pesi, & Notario alij duo.

Pro dispensatione facta ex commissione Apostolica in causa irregularitatis, Prælatus nihil accipiet, & Concilium præscripsit, vt Notarius accipiat secundum folia, vt dictum est, & vnum pesum pro adhibendo signo.

Pro collatione Capellaniæ perpetuæ, Iudex nihil accipiet, sed Notarius tres pesos.

Pro licentia ad seruiẽdum eidem sine collatione, Notarius accipiet vnum pesum, & Iudex duos.

Pro prouisione ad vnum vicariatum, Iudex accipiet sex pesos, & Notarius alios tres.

Pro præsentatione, & prouisione Regia ad aliquam dignitatem, Iudex nihil accipiet; sed Notarius sex pesos.

Pro receptione portionarij, vel canonici, Notarius accipiet tres pesos, sed Iudex nihil.

Pro primo Monitorio excommunicationis, quod vocant de rebus, Iudex accipiet duos pesos, & Notarius tertium.

Pro secunda eiusdem declaratoria, Iudex accipiet duos pesos, & Notarius tertium.

Pro tertia, quæ anathematis dicitur, Iudex similiter accipiet duos pesos, Notarius vnum.

Pro legenda prima charta excõmunicationis, vt supra; Notarius accipiet quatuor tominos.

Pro lectione secundæ, sex tominos.

Pro lectione tertię, octo tominos.

Pro scribenda quacunque declaratione, quæ fiet respondendo, ad quamuis dictarum censurarum, quatuor tominos.

Pro testimonio quod Notarius dederit supradictis, ipse accipiet pro ratione foliorum, & Iudex vnum pro subscriptione.

Iubemus item vt hic ordo obseruetur in omnibus alijs chartis excõmunicationis, quæ dabuntur ex officio ad petitionem partis in causis ciuilibus decimarum, vel alterius debiti, & in causis criminalibus, violationis Ecclesiæ, & oblationum, personarum ecclesiasticarum, & in causis Clericorum primæ tonsuræ, & in charta participãtium, accipientur iura, vt pro anathemate, & Interdicto.

Pro licentia ad celebranda sacra,

&

& administranda sacramenta intrà vrbem, duos pesos, inter vtrumque æqualiter diuidendos, quæ si detur per totum Diœcesim, Iudex accipiet duos pesos, & Notarius pariter duos.

Pro licentia, vt Clericus agat suã causam coram Iudice sæculari, dabit medium pesum Notario, & alium medium Iudici, qui dat licentiam.

Pro licentia reconciliandi Ecclesiam, vel cœmiterium polluta per effusionem sanguinis, vel aliam causam indigentem reconciliatione, delinquens dabit Notario vnum pesum.

Pro mandato, seù actu Interdicti, Iudici vnum pesum, & Notario alterum.

Pro licentia absoluendi aliquem ab iniectione violenta manus in Clericum, in casibus in quibus Prælatus absoluere potest, & pro violatione Ecclesiæ, vel offensione ministrorum illius, vel eorum qui fuerint excõmunicati, ex eo quod non inhibeatur in causa Clericorum primæ tonsuræ, vel alijs causis criminalibus, quia offensi erunt excommunicati, Iudex accipiet vnum pesum, & Notarius alium; & pariter pro quacunque alia licentia absoluendi ab alia censura, quæ detur in scriptis.

Pro licentia comedendi carnes in Quadragesima, vel alijs diebus vetitis, dabitur medius pesus, hoc est, Iudici duo regales, & Notario alij duo.

VIII.

Iura eorum quæ expediuntur per Coronam.

PRo præsentatione, & examinatione chartæ Coronæ, datur vnus pesus Iudici, & medius Notario.

Pro copia tituli; qui manet in Registro, cum sit latina, si fuerit minor, quam vna pagina, poterit Notarius accipere vnum pesum, & Iudex qui illam authorizat, alium pesum. Et si fuerit maior, quam vna pagina, accipiet respectiuè ad excessum.

Pro testimonialibus, quas dederit ad comprobandum titulum, & pro habitu, & corona, & pro iuramento, & commissione, accipiet iuxtà taxam in causis criminalibus præscriptam: & pro scriptura accipiet tres tominos pro folio.

Pro chartis censurarum accipiet Notarius iuxtà taxam superiùs impositam, & pro qualibet notificatione accipiet medium pesum. Et pro notificationibus, in quibus designabit diem, mensem, annum, & horam, cum testibus, quæ fient coram Iudicibus sæcularibus, accipiet pro vnaquaque vnum pesum; & Notarius qui ibit notificatum eiusmodi chartas Iudici sæculari, sit ad minùs clericus in sacro ordine constitutus, si haberi poterit.

Item pro omnibus alijs actis, sententijs, & probationibus, soluitur iuxtà quod superiùs in criminalibus taxatum est.

Et ad hoc vt totum supradictũ, eiusque res, & pars quælibet completum sortiatur effectum, & impo-

sterum

sterum obseruetur, & adimpleatur, & obseruari, & adimpleri fiat, in dicto Archiepiscopatu, & Prouincijs, & Episcopatibus suffraganeis per omnes Iudices qui sunt, vel deinceps fuerint, & per reliquos ministros iustitiæ ecclesiasticæ; & vt nō possit quidquam addi contentis in illo, vel ex eis diminui, dictum sacrum Concilium mandauit, quod eius authographum sub fideli custodia in Archiuio ponatur. Et quod dictis Dominis Archiepiscopo, & Episcopis, & eorum cuilibet detur eius vnum exemplar authenticum, adhoc vt ipsum obseruari faciant, quilibet in suo Tribunali, & Episcopatu, & non permittant vti alia aliqua taxa, seù tarifa, vulgò *Aranzel* præter hanc, nec accipi maiora iura, quam quæ in ea præscripta sunt: & quod Iudex, & minister qui contra-fecerit, pro prima vice incurrat pœnam dupli, & pro secunda vice restituat iura iam percepta, & simul quadruplo tantum, & ampliùs ad Iudicium Prælati iuxtà quantitatem excessus. Cuius Prælati arbitrio remittitur, executio pœnarum, & earundem distributio: & præceperunt moneri Notarios, & ministros iustitiæ, quod hinc imposterum non relinquant in libertate partium, quid dandum sit pro instrumentis, & causis, quæ coram ipsis fient, vel pendebunt, sed quod clarè, & distinctè petant, quod ad ipsos pertinet, & habere debent iuxtà superiùs declarata. Et iura sic percepta notent, in instrumentis, & processibus, quæ coram ipsis acta fuerint, sub dictis pœnis. Et sic prouidit, decreuit, ac præcepit sacrum Concilium, & subscripsit.

T. Archiepiscopus Regum.
Fr. Anton. Episc. Imperialis.
Sebast. Episc. Cuscensis.
Alfons. Episc. Platensis.
Fr. Didacus Episc. S. Iacobi Chilensis.
Fr. Francisc. Episc. Tucumanen.
Fr. Alfons. Episc. Fluminis Argenti.

Ex mandato Sac. Concilij.

Doctor Valcazar Secretarius.
Licentiatus Menacho Secretar.

EDI-

EDICTVM SECVNDVM.

De fulminandarum Censurarum forma, & modo.

IN Ciuitate Regum, tertia die Augusti anno 1583. Sacrum Concilium Prouinciale in ea legitimè congregatum, in aula suæ Congregationis edixit, quod quandoquidem sacra Synodus Tridentina moneat, & mandet, vt in concedendis, & promulgandis censuris peculiaris adhibeatur cura propter periculum animarum, statuendo ne dentur pro rebus leuibus, & vt abstineatur ab illis, quando per aliam viam obtineri poterit effectus per partes desideratus: Propterea viso, & considerato, quod dictæ censuræ concederentur sine consideratione leuibus de causis, & pro parua rerum quantitate, mandabat, & mandauit, quod hinc imposterum in hoc Archiepiscopatu, & Episcopatibus illi suffraganeis vniformiter procedatur, concedendo censurarum chartas, quando excusari non poterunt, & pro ea pesorum quantitate, quæ Episcopo ad id sufficere videbitur, & quod in illis expediendis obseruetur, ordo, & tenor qui sequitur.

Concil. Triden. sess. 25. c. 3. de reformat.

Nos N. omnibus, & quibuslibet personis ad quas hæc nostra charta superiùs contenta pertinet, vel pertinere spectat, aut vllo modo pertinere poterit, ac præsertim incolis, & habitatoribus talis partis huius Diœcesis salutem, & gratiam. Noueritis quod coram nobis comparuerit N. incola talis partis, & per petitionem nobis dicendo, retulerit, quod nesciat quæ vel quales personæ cum paruo timore Dei, & in præiudicium propriarum conscientiarũ, à tot retrò diebus acceperunt, & sustulerunt ipsi ex tali loco &c. (*hic exprimatur totum.*) Super quæ petijt à nobis præsentem chartam censuræ generalis circa dictum negotium. Et visa per nos ipsius petitione, & iuramento à dicto N. recepto, quod cõtentum in ipsius petitione erat verum, & quod nesciat quomodo possit plenè, vel semiplenè probari, quæ vel quales personę essent de supradictis onerandæ, attento quod etiam iurauerit Iustitiam sæcularem nullã desuper sumpsisse informationem, habendo etiam consideratione quaqualitatis dicti N., & quantitatis quam sibi deesse dicit, & aliarum circumstantiarum, quas Decretum Concilij generalis Tridenti celebrati, quod de hoc loquitur, arbitrio nostro, & prudentiæ remittit. Nobis visum est, quod debeamus dare has nostras censuras. Quapropter monemus, & in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis maioris præcipimus, quod intra sex dies ab eius publicatione, quæ fiet vno die Dominico, vel alio festiuo quæ obseruabitur in Ecclesia N. sub Missa maiori, quos dictos dies vobis damus, & assignamus pro tribus terminis, & canonicis monitionibus, & termino peremptorio, qui supradicti, vel partis illius obnoxij estis, illud restituatis, vel qui scitis, vidistis, vel audistis, quod aliqua persona, vel personæ in supradicto toto, vel in parte eius obnoxiæ sint, id manifestetis coram Notario, vel Scriba, qui pro parte dicti N. nominatus fue-

fuerit. Cui dicto Scribæ, vel Notario præcipimus dare dicto N. declarationes, quæ coram ipso fient, in earum capite ponẽdo hanc nostram chartam. Et vos, qui contumaces fueritis, citamus, & vocamus ad vltimum diem dicti termini ad videndum dari contrà vos nostras chartas censurarum magis aggrauantes secundum iustitiam, pro quo toto assignamus vobis aulam nostræ Audientiæ. In cuius rei testimonium dari præcipimus, & damus præsentem nomine nostro subscriptam, & nostro sigillo munitam, & infrascripti Notarij manu signatam. Datum &c.

Nos N. &c. vobis Parochis, Clericis, Sacristanis, & personis ecclesiasticis, & religiosis nostri Episcopatus, & specialiter loci, seu partis N.. Noueritis, quod ad petitionem N. incolæ dicti loci nos iussimus dari, ac dedimus chartam generalem censurarum, præcedentibus solemnitatibus, quas sacrum Concilium Tridẽtinum requirit ad discernendum, & fulminandum dictas censuras contra personas, quæ cum paruo timore Dei, & suarum conscientiarum acceperunt, & abstulerunt ipsi hoc, & hoc. Et quoniam post prędictam nostram chartam generalem admonuimus, & præcepimus sub pœna excommunicationis maioris, quod intra sex dies ab eius publicatione eiusmodi personæ restituerent, & redderent dicto N. res supradictas, vel coram Notario, vel Scriba per dictum N. nominãdo eas manifestarent, vt latiùs in dicta nostra charta generali censurarum continetur; Propter quam & eius publicationem, ac testimonium eius lectionis apparet quod fuerit publicata in Parochia, & Ecclesia istius oppidi, & in termino in ipsa cõtento, & nulla persona comparuit ad manifestandum, nec ad restituendum supradicta. Quo considerato pro parte dicti N. à nobis petitum fuit, vt eiusmodi personas excommunicatas declararemus: præcipimus ergo in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excõmunicationis vobis Parochis, vel personis ecclesiasticis, vt illas pro excommunicatis habeatis, & teneatis, & publicetis in vestris Ecclesijs diebus Dominicis, & festiuè seruandis, quas nos pro talibus habemus, tenemus, ac declaramus, considerata ipsarum contumacia, & rebellione: Et scientes quænam sint, illas non absoluatis, nec pro absolutis habeatis, nec admittatis ad diuina officia, nisi satisfacta priùs parte, & nisi ipsæ mereantur beneficium absolutionis circa negotium iam dictum.

Sess. 25. cap. 3. de reform.

Et si casu (quod Deus Dominus noster nec velit, nec permittat) dicti excommunicati intrà alios sex dies post publicationem huius nostræ chartæ declaratoriæ, tanquam Sathanæ membra, magno animarũ suarum, & conscientiarum periculo permittant se iacere, & pergere in dicta sententia excommunicationis; quandoquidem crescente contumacia debet etiam crescere pęna regrauando contrà tales nostras chartas, & censuras dictæ petitionis, in forma supradicta, præcipimus in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis maioris dictis personis ecclesiasticis, quod habeatis, & teneatis dictos contumacces incurrisse in dictas censuras, & illos denuncie-

tis,& publicè denunciari faciatis pro excommunicatis, & anathematizetis, tenendo in manibus candelas accensas, & cruce pullis velata, dicendo Psalmum, *Deus laudem meam ne tacueris*, pulsando campanas, illas extinguatis in aqua dicẽdo, quod sic moriantur eorum animæ in inferis, & omnes qui ibi interfuerint, dicant, Amen; Maledicti sint huiusmodi excommunicati à Deo Domino nostro, & à Sancta Maria sua benedicta matre, & ab omnibus Sanctis Amen. Et maledicta sint panis, vinum, & carnes, quæ comederint, vel biberint, vestis quam induerint, & terra quam calcauerint, & consumpti, & destructi sint supra faciẽ terræ, sicut Dathan, & Abiron, filij eorum mendicent de porta in portã, & non inuenient qui benefaciat eis. Et non habeatis illos pro absolutis, nec cessetis à sic faciendo, vsq; dum mereantur beneficium absolutionis, & veniant ad obedientiam Sanctæ Matris Ecclesiæ, cum comonitione quæ ipsis fit. Et si (quod Deus auertat) ipsi obstinati fuerint, & perseuerauerint in dicta excommunicatione, & sententia anathematis, per spatium vnius anni, postquam in illam incurrerint, erunt suspecti hæresis, ad hoc, vt tanquam tales reos dicti criminis possit procedi contra illos, si quando probatum fuerit ipsos esse, qui incurrerunt dictam sententiam excommunicationis maioris, secundùm & quomodo determinatum est per Decretum Concilij generalis Tridenti celebrati. In cuius fidem dari præcipimus, & damus præsentem &c. Tridẽ. sess. cap. 3. de ref.

T. Archiepiscopus Regum.
Fr. Anton. Episc. Imperialis.
Sebastian. Episc. Cuscens.
Episcopus Platens.
Fr. Didacus Episc. S. Iacobi Chilens.
Fran. Episc. Tucuman.
Fr. Alfons. Episc. Fluminis Argenti.

De mandato Sac. Concilij.

Doctor Valcazar Secretarius.
Licentiatus Menacho Secret.

EDI-

EDICTVM TERTIVM.

De uniformi ritu intimandi, & pari modo procedendi in Visitationibus Ecclesiasticis in tota Prouincia Limensi, & Regno Peruuia.

Vide Act. 4. Concil. Prouinc. anni 1581. cap. 2.

IN Ciuitate Regum, septimo die mensis Augusti anni 1583. sacrum Concilium Prouinciale in ea legitimè congregatum existens in aula suæ solitæ Congregationis, dixit quòd ad euitandum aliquas inconuenientias, quæ resultare solent ex eo, quòd diuersa edicta in diuersis Episcopatibus legantur, præcipiebat, & præcepit, quod posthàc deinceps tam in hoc Archiepiscopatu, quam in reliquis omnibus Episcopatibus huius Prouinciæ, & Regni Peruuiæ Prælati, & ipsorum visitatores procedant vna eademque forma, & legant, ac publicent, vnum & idipsum edictum, & chartam generalem vitiorum, & peccatorum publicorum, quod absque augmento, vel diminutione debet esse tenoris sequentis.

Nos D. N. gratia Dei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Episcopus N. &c. Salutem & gratiam vobis incolis, & habitatoribus existentibus, & habitantibus in hac dicta Ciuitate. Iam noueritis, & nosse debetis, quòd sancti Patres à Spiritu Sancto illuminati in suis sacris Concilijs sanctè, & iustè ordinauerint, quòd omnes Prælati, & Pastores Ecclesiæ per se, seù legitimè impediti per suos ministros, vnusquisque debeat singulis annis facere generalem inquisitionem, seù solemnem visitationem, aut scrutinium de vita, & moribus omnium suorum subditorum, tam clericorum, quam laicorum, & de Statu Ecclesiarum, & Hospitalium, & reliquorum locorum, & rerum diuino cultui dedicatarum, quod ad Ecclesiasticam vtilitatem, & spiritualem salutem animarum institutũ est. Et quoniam profectus Ecclesiarum, & piarum rerum in eo consistit, quod illis de bonis ministris prouisum sit, salus item animarum in eo, quod existant in gratia, & charitate, & longè alieni, & remoti à vitijs, & peccatis, præsertim à publicis, & notorijs, quibus non solùm Deus, ac Dominus noster offenditur, sed etiam Respublica turbatur, & scandalizatur, cùm vnus alteri suo malo exemplo peccandi occasionem exhibet. Quapropter publica peccata sunt, & haberi debent pro magis grauibus, ac maioris periculi, & damni, maiorisque detrimenti illius Prælati, qui ea dissimulat, & non adhibet suam debitam diligentiam in eisdem corrigendis. Hinc tùm ad exonerandum nostram conscientiam, tum ad profectum, & spiritualem salutem animarum, & conscientiarum vestrarum, vos hortamur, monemus, & in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis maioris vobis, trina canonica monitione præmissa, præcipimus, quòd quicunque vestrum quidquam sciuerint infrascriptorũ, vel aliorum quorumlibet publicorũ vitiorum, vel peccatorum, quorum correctio, vel castigatio ad nos pertineat,

tineat, compareatis ad dicendum, denunciandum, & manifestandum coram nobis intra nouem dies, quos vobis assignamus pro tribus terminis, & vltimum pro peremptorio, iuxtà formã iuris admonendo, quòd transacto dicto termino cum omni rigore procedetur contrà contumaces.

Imprimis si sciueritis, quod Parochi, Beneficiarij, Sacellani, Sacristæ, & reliquæ personæ Ecclesiasticæ suis officijs benè fungantur, & cum honestate, decentia, & diligentia conuenienti: vel an sint negligẽtes, præsertim in administratione Sacramentorum, aut ipsorum culpa quisquam sine sacramentis decesserit.

Item si dicti Clerici negligentes sint in dicendo Missas suæ capellaniæ, seù anniuersaria, vel memorias, ab aliquo defuncto fundata.

Item an dicti Clerici omiserint aliqua sacra votiua, vel testamento ipsis commendata.

Item an aliquis Clericus acceperit ordines, vel beneficium, aut capellaniam per pecuniam promissam, seù pactam, vel alio illicito medio, etiam per tertiam personam.

Item an eiusmodi Clerici admiserint ad horas, vel officia diuina, vel sepulturam ecclesiasticam aliquam personam, quæ fuisset excommunicata, vel non obseruasset interdictũ ecclesiasticum.

Item an aliquis Clericus, dum esset excommunicatus, suspensus, vel irregularis, celebrauerit officium diuinum.

Itẽ si aliquis Clericus celebrauerit in aliqua Ecclesia, vel alio loco interdicto, sine obseruato ordine iuris, vel celebrauerit in Ecclesia violata.

Item an aliquis Clericus in sacris ordinibus constitutus incesserit sine habitu, vel veste decenti, vel non rasis barba & capillis, aut sine manifesta corona clericali, vel si diu, noctuuè armatus incesserit armis offensiuis, vel defensiuis, vel sæcularibus, aut inhonestis vestibus indutus, vel an id in more habeat, & an ambulauerit pulsando aliquod instrumentum musicum, vel cantando, vel exercuerit aliud quidquam clericali suo habitui non permissum.

Item si aliquis Clericus sit scandalosus, turbulentus, litigiosus, lusor, vel exerceri lusum suæ domi permittat, vel qui mercimonijs, & contractibus more sæcularium vtatur, aut negligat pacem, & concordiam, inter suos Parochianos procurare.

Item si quis Clericus sponsalibus, vel matrimonio iunxerit aliquas personas, non præmissis monitionibus à iure, & Decretis Sac. Concilij Tridentini requisitis, vel si se testem adhibuerit sponsalibus, vel matrimonijs clandestinis. Triden. sess. 24 cap. 1. de refor. Matr.

Item si quis eorum ante auroram diei, vel extra Ecclesiam, in qua sponsi Parochiales sunt, dederit benedictiones nuptiales, quas velationes vocant, absque licentia id faciendi.

Item si sciant, quod aliquis Clericus malè tractauerit Indos, compellendo ipsos ad aliquid ad quod non tenebantur, vel aliter quomodocunque, aut ipsis inuitis ad seruitia, & commoda sua vtendo, non dato ipsis præmio laboris, & præstiti seruitij.

Item si persona quæcunque vsurpaue-

pauerit, vel occultauerit bona, scripturas, cessiones, vel iura ad dictas Ecclesias, vel pia loca huius Episcopatus pertinentia; vel alienauerit rem vllam ad eandem spectantem.

Item si facti sint conuentus sæcularium, maximè ad comessandum in dictis Ecclesijs, aut alijs pijs locis, vel si in eis, aut earum cœmiterijs exercuerint choreas, ludos, vel res inhonestas, vel si aliqua vis illata sit, violando eorum libertatem ex eis auferendo aliquem refugam, vel bona, sub eorundem locorum custodiam deposita, vel si sacrilegium aliquod in eis commissum fuerit, vel violata fuerint, vel manus violentæ in Clericum, vel aliquam personam ecclesiasticam iniectæ sint.

Item si sciant, quòd aliquæ personæ non soluerint decimas, vel primitias quas debebant, vel alteri cuiquam consuluerint non soluere integras, vel quòd occultauerint, & non manifestauerint decimas quas debebant, vel tractauerint de componendo cum decimarijs, ad finem pendendi minùs, quam quod Ecclesia præcipit.

Item si nouerint quòd aliqua persona teneat pecunias, vel bona Clericorum in negociatione, societate, confidentia, vel alia via, vt ipsis dent lucrum, vel Clerici ipsis vendiderint pecora, vel alias res fictè, vel confidentialiter propter timorem pœnæ, vel prohibitionis, quæ super his extant.

Item si aliqua persona, vel personæ quæ sint Clerici, Fratres, vel Sanctimoniales, obstrictæ alicui Ordini, & Religioni incedant in habitu diuerso ab illo quem gestare debēt, occultando ordinem, & statum, quē professi sunt.

Item si qua persona facit fieri Missas in sua domo, præter ordinem quem seruari iussit Sac. Concilium Tridentinum. Triden. sess. 22. de celebrand. Miss.

Præcipimus insuper vt omnes Clerici in prima tonsura, & in minoribus ordinibus constituti, præsentent coram nobis intra dictum terminum suos titulos, seù litteras testimoniales ad hoc, vt videantur, & examinentur, & obseruetur Decretum S. Concilij Tridentini, vt possint gaudere priuilegio fori. Trid. sess. 23. de reform. cap. 4.

Item si aliquæ personæ matrimonio coniunctæ, & velatæ non ducant vitam maritalem, & sint separati absque auctoritate Ecclesiæ, vel si secundas nuptias inierint, viuente priori vxore, vel è contrà.

Item si aliqua persona sit publicè concubinaria.

Item si aliqua dixerit alteri, nè toties confiteatur, vel eam reprehenderit, quòd id tam crebrò faciat.

Item si aliqua persona habuerit copulam carnalem cum fœmina infideli, & illam ad hunc finem Baptizari curauerit, vel si eiusmodi copulam carnalem habuerit cum aliqua consanguinea in gradu prohibito.

Item si sciant, quòd aliqua persona quidpiam acceperit ex nauibus naufragis, quod sub excommunicatione Apostolica prohibetur. In Bulla Cœnæ.

Item quòd quicunque habeant reliquias, easdem coram nobis manifestent, vt videantur, & examinentur.

Item si quis habeat mappas, cultros, tapetes, vel alia suppellectilia domestica cum Imaginibus Domini nostri, vel Dominæ nostræ, seù Sāctorum.

Item si persona, seù personæ pro testa-

testamentarijs nominatę neglexerint complere, vel exequi testamenta, eo modo quo exequenda sunt, præsertim quoad legata, & opera pia in illis contenta.

Item si aliqua persona dixerit, quòd habeat reuelationem à Deo, vel spiritu suo, de illis quæ facit, vel dicit, vel facere debeat.

Item si sciant, quòd aliquæ personæ discrepent, vel non se conforment communi vitę Christianę aliorum eiusdem status.

Item si aliqua persona sub specie orationis, vel contemplationis rapitur, vel transportatur, ità vt monstret, vel appareat esse extrà se.

Item si vlla persona non assumpto statu religionis ab Ecclesia approbatæ præstiterit obedientiam aliquibus personis particularibus, etiãsi sint religiosæ.

Item si aliqua persona, vel personæ sint sortilegæ, veneficæ, striges, vel quæ vtantur quibusuis alijs superstitionibus, vel sint coniuratores nubium, vel tempestatum, vel si per aquam, labrum, ictum cubiti, vel alium modum veneficum manifestent cogitationes, vel voluntates aliorum, vel quæ faciunt ligaturas per Psalmos, verba, vel signa, seù nomina non approbata.

Itẽ si quæ personæ vtantur amuletis, vulgò *nominas*, in eis recondendo scripturas verborum, vel nominum incognitorum, vel quæ per verba curent infantes à fascinatione, vel alijs quibusuis infirmitatibus, maximè à rabie, vel quæ splenem, vel serpentulum scindunt, vel faciãt, alias superstitiones, aut credunt augurijs, diuinationibus; aut libris sortium.

Item si quis blasphemauerit Deũ Dominum nostrum, vel ipsius Sanctos, dicendo [a] *pesse* vel *por vida*, vel qui sit periurus, aut iuramentis assuetus, aut solet violare festa, ab Ecclesia seruari præcepta, vel qui in eis Missas negligere notatus sit.

Item si quis non sit confessus, vel omiserit alia Sacramenta quandò ea suscipere tenebatur, vel hanc negligentiam in aliquot annos protraxerit, vel in excommunicatione sorduerit per longum tempus.

Item qui horum criminum infamati sint, vel domi suæ teneãnt personas eorundem suspectas, vel vtantur intermedijs, lenonibus, vel receptatoribus.

Item si sciãt aliquam personam, vel personas esse vsurarias, fœneratores, vel quæ sponsione pluris vendant, quàm res ipsa iusto pretio valeat, vel quæ dant pecora, vel alias res, vt ipsis post tantum tempus reddantur tales, & tam bonæ, eiusdem ætatis, vel quæ anticipatò emunt panem, vinum, oleum, laminas auri, vel argenti, aut alias res, illas accipiendo chariori pretio, quam eas valere speratur, & easdem emptoribus venũdant maiori precio, antequam ipsis tradantur, propterea quod spõsione vendant, vel ob dilatum tempus solutionis, vel quæ faciant alios contractus illicitos vsuræ palliatæ, vel sic emant minori pretio.

Item si aliqui in Quadragesima, vel diebus ab Ecclesia vetitis comedunt carnes sine necessitate, & licẽtia Medici corporalis, & spiritualis ad id faciendum.

Item si aliqui matrimonio copulati non agunt vitam maritalem: Vel si post contracta sponsalia priusquam

quam velentur; simul cohabitant, & se mutuò tractant, & communicant, ac si essent iam velati.

Item si aliqui permaneant in malo statu, vel in peccato mortali ad offensionem Domini nostri, & scandalum proximorum.

Item si sciant, quod aliqua fœmina vsa sit superstitiosis potionibus ad abortum procurandum, vel consuluerit alijs, vt ad eum effectum id faciant.

Item si sciant, quod aliqua persona præstiterit falsum iuramentum in iudicio ad damnum proximi, & propriæ conscientiæ, vel alios ad id faciendum induxerit.

Item si sciant, quod aliqua persona interturbet, vel impedire prætendat, quod Indi, Nigri, & Mulati, suo seruicio mancipati contrahant matrimonium, aut si coniuncti sint, ne ducant vitam maritalem.

Item si sciant quod aliqua persona sit iuncta matrimonio in Hispania, vel in alijs partibus distantibus ab hoc Regno, & in eo per multum tempus resideat, non procurando ducere vitam maritalem iuxta suam obligationem.

Et quæ noueritis, vel ab alijs audieritis dici de huiusmodi defectibus, & peccatis publicis supra declaratis, vel alijs quorum correctio, & castigatio ad nos pertinet, denuncietis, & manifestetis coram nobis intra dictum terminum. Et qui contrà hoc inobedientes fueritis, & non manifestaueritis, ex nunc pro tunc, & ex tunc pro nunc, ad instantiam Promotoris Fiscalis, vos denunciamus, & declaramus publicè excommunicatos. Et præcipimus Clericis, & personis ecclesiasticis, quod pro talibus vos habeant, ac teneant, & non admittant ad horas, vel diuina officia, non visa nostra charta absolutionis in hac materia. Dat. &c.

T. Archiepiscopus Regum.
Fr. Anton. Episc. Imperialis.
Sebast. Episc. Cusquensis.
Episc. Platensis.
Fr. Didacus Episc. S. Iacobi Chilensis.
Fr. Episc. Tucumanen.
Fr. Alfons. Episc. Fluminis Argenti.

Ex mandato Sac. Concilij.

Doctor Valcazar Secretarius.
Licentiatus Menacho Secretar.

Notæ

Notæ in Edicta generalia.

EDict. 1. tit. 1. [a] *Pesos*. Quamquam per omnia hæc monumenta non rara fir mentio nummorũ Peruanorum, qui & Hispanici; Quia tamen in primo hoc Edicto frequentior est, omnes hoc vno loco explicandos duxi, eorumque communem valorem comparandum cum nummis Romanis, & Anglicanis, qui frequentiùs, præsertim in communi *Reali*, cæterorum mensura, conueniunt. Malui enim vulgaria eorum nomina retinere, sola desinentia in latinam versa, vt ab ijs melius intelligar, quibus monumenta ipsa maximè vsui esse debent, & per hanc notam cæteris satisfacere; quam pondo, vel aurei, aut similibus alijs nominibus inter latinos magis vsitatis, sed etiam æquiuocis, sensum obscurare potius, quam exprimere. In his autem actis Limensibus nominantur sequentes, de quorum antiquo, & pro varietate temporum, vario pretio videndus Petrus Ciaconius lib. de Nummis. Nos commune pretium hodiernum ex ipso apponemus.

Blanca. Est numulus æreus, & media pars marauedini, adeòq; nummorũ Hispanicorum minimus.

Marauedi. Non esse monetam, sed monetarum summam, ex lege Castellæ docet Ciaconius, eamque deducit ad quadrantem Romanum æneum, illum credo, quem vulgò quatrinum vocant. Sed ex diuisione Realis Castellani, & Iulij Romani çqualium nummorum in quadrinos, & marauedinos constat has non conuenire.

Quarto. Continet octo blancas, adeòque quatuor marauedinos.

Real. Ex hoc nummo argenteo qui notissimus, & eiusdem apud Hispanos, Anglos, & Romanos valoris est; (est enim quem isti Iulium, vel Paulum vocant) reliqui omnes facillimè discerni, & æstimari poterunt: in minores enim diuiditur, & maiores ex eius multiplicatione conficiuntur.

Diuisus ergo, Romanos quatrinos 50. Marauedinos Castellanos 34. Fardingos Anglicos 24. comprehendit, vndè facilè apparet, quantum inter se differant isti nummuli, vt & Hispanorum *Quarti* ab Anglorum *Denarijs* qui continent 4. Fardingos, & Romanorũ baiocchis, qui continent quinque quadrinos.

Tominus. Est nummus Hispanicus continens duos reales, ac dimidium.

Peso, communis alius est octo realium, alius nouem.

Peso ensayado, valet reales tredecim cum dimidio.

Aureo, nomen huc ex Concilio Tridentino transcriptum, vndè existimo idem esse quem Romæ vocant *Scudo d'oro*, & valet reales, seù Iulios 15.

Edict. 1. tit. 5. [b] *De quarto plazo*. Est quarta sententia interlocutoria, vel quarta prorogatio termini iudicialis.

Ibid. [c] *Sobrecarta*. sunt instrumenta, quæ agunt de alijs instrumentis, vt confirmatoria, executorialia, monitoria, & similia.

Edict. 3. [a] *Pese*, vel *por vida*. Pesar hispanicè significat displicere, adeoque furiosi homines, cum offenduntur blasphemant dicentes: *Pese a Dios*, quasi dicerent: etiamsi Deo displicear, vel, inuito Deo me vindicabo, aut quid simile.

Por vida, quasi dicerent *viuat Dominus*, quod iuramenti genus est. Sed insanorum hominum furia blasphemiam facit, dum dicere volunt: ram certò, & infallibiliter se vindictã sumpturos, vel aliud facturos, quam quod Deus viuat, suis ipsorum temerarijs promissis diuiuæ vitæ necessitatem tribuentes, quod omninò blasphemum est. Malæ namque creaturæ tribuunt quod infinitæ bonitati Dei proprium est.

V E-

VENERABILIS SERVI DEI

D. TORIBII ALF. MOGROVEJI

ARCHIEPISC. LIMANI

Catechiſmus Minor, & Maior, in Synodo Prouinciali Limenſi, Anno Domini M. D. LXXXIII. approbatus.

ECce quàm ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros. *Et tamen in Prouincijs, ſeu Græcis, ſeu Latinis, in quibus iſtæ artes maximè viguerunt, vel hodie vigent, nunquam non inueniuntur, quorum vel ætati, vel innatæ ruditati mater natura deneget ingenium, ſeu ad mores, ſeu ad altiora Doctrinæ myſteria capeſſenda. Non mirum eſt igitur, ſi in Indijs, vbi nullæ ferè liberales artes exercebantur, inuenirentur tales altiſſimorum Chriſtianæ Fidei myſteriorum incapaces; quos nihilominùs pro ipſorum capacitatis menſura aliqua ſaltem ad animarum ſalutem neceſſaria credere, & quadantenùs percipere oportebat. Ergo Toribius noſter Archiepiſcopus prudenter aduertens in ſua Paræcia alios pueros eſſe, quorum memoria potiùs quam iudicio vtendum ſit; alios autem prouectiores, quibus vtrumq; deſit, vel quotidianæ occupationes vitæ tollerandæ neceſſariæ, pro ampliori doctrina capeſſenda tempus denegabant; Alios verò quibus & iudicium & memoria & otium eſſet, tanquam prouidus Paterfamilias poſtremis iſtis ampliorem, & magis arcanam doctrinam parauit, & hanc Maiorem Catechiſmum appellauit. Vt autem & paruulis panem frangeret, prima illa rudimenta Chriſtianæ doctrinæ pueris tradidit, quæ ſaltem intereà memoriæ commendarent, & rudibus illis prouectioribus & ruſtico labore detentis breuem horum explicationem, quam etiam dum viam carpunt, & inter laborandum recitare, & ſenſum inter ſe conferre poſſent. Et vtramque hanc partem ſimul Minorem Catechiſmum, cum Maiori illa comparatam, dici voluit.*

Sacra Synodus omnibus fidelibus huius ſuæ Prouinciæ ſalutem in Domino ſempiternam.

CHriſtianæ religionis myſteria tam alta ſunt, & adeò breuis, & infirma humanæ mentis intentio, vt quemadmodum homines ſine interiori fidei lumine, quam Deus deſuper infundit, illa credere non poſſunt, nec aſſequi, quod expedit vt ſaluentur: ſic etiam ſtudio, & induſtria opus habeant, vt percipiant, & ſequantur ea, quæ exteriori ſermone ipſis prædicantur, & facienda proponuntur. Quapropter Spiritus ſanctus, cuius proprium eſt illuſtrare animas, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ prouidit non tantum Apoſtolos, & Euangeliſtas, ſed etiam Doctores, & Paſtores, quorum officium eſt ità dirigere veritates, quas Deus nobis per Prophetas ſuos reuelauit, vt qui ad gratiam chriſtianæ legis vocati ſunt,

illas percipiant, firmiterque teneres persuadeantur. Et quanquam in omni loco Prælati, tanquam qui Christi gregis pastores sunt, huic curæ, vt sui muneris præcipuæ adstringantur, vt legem Dei declarent; multò tamen amplior, ac magis peculiaris in his regionibus eorum obligatio est, in quibus Deo placuit Indorum tenera virgulta in Ecclesiæ suæ agro plantare. Qui tùm quoniam omninò nouellæ in fide plantationes sunt, tùm quia tardioris ingenij, & in rebus spiritualibus minus exercitati, indigent proindè summoperè, vt ij à quibus instruuntur, bono modo, & singulari industria qua fieri possit, ipsos iuuent, ità vt dexteritas, & solertia magistri tarditatem, ruditatemque superet auditorum, quatenùs condignas efformet species tam arcanarum rerum, quàm sunt eæ quas nostra sancta fides illis proponit; cum vt sanctus Clemens Papa ex ore Principis Apostolorum nos docet, de minori re hic non agatur, quam de ipsorum æterna salute; vnde subdit: *Oportet eum qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, vt pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientium capacitate dirigere, debet ergo ipse præcipuè apprimè esse eruditus, & doctus.* Sed quoniam eiusmodi sufficientia magna ex parte in sacerdotum multis desideratur, qui in Indis instruendis occupantur, & quoniam, tametsi omnes ea præditi forent, fieri tamen non posset, vt eodem & vniformi modo doctrina ab omnibus traderetur, quæ magni momenti res semper visa est. Ideoq; à sancti zeli grauibus personis percupitum est, vt suppeteret Catechismus, seù summa doctrinæ Christianæ, quæ tum eis deseruiret, qui Indos instruunt, vt faciliùs sciant, quid eos docere conueniat, nè (vt sæpè contigit) se in minoris momenti rebus detineant, tum etiam vt Indi ipsi vniformitatem in omnibus inueniendo, non habeant occasionem suspicandi diuersam esse legem, & euangelium quod plures prædicarent, quemadmodum pro paruo suo captu plures eorum imaginati sunt, & inter se discurrebant. Hæc res tanti est, vt clarum sit eam vnam inter maiores, & magis compertas causas fuisse, ob quam tantò temporis decursu tam parùm in fide profecissent, quòd nõ seruatus fuerit inter docendum ordo, nec ea conformitas, quam ipsorum naturalis conditio requirebat: Et propterea in Concilio Prouinciali præterito, quod in hac Ciuitate Regum celebratum fuit, actum est de formando hoc Catechismo tanquam re summi momenti, sed propter alia grauia negotia desideratum effectum non obtinuit. Et modo per multarum diuturnæ experientiæ personarum, ac diuersarũ Ecclesiarum libellos instantissimè supplicatum est, vt præsens hæc sacra Synodus Prouincialis huic incumberet negotio; quod non minorem requirit authoritatẽ, vt omnibus vniuersim absq; contradictione acceptum sit. Propter has rationes, & quoniam res est conformis Decreto sacri Concilij Tridentini de Doctrina; Hæc Synodus Prouincialis maturo cõsensu designauit aliquas personas doctas, Religiosas, & expertas, qui componant Catechismum generalem pro omnibus his Pro-

Concil. Trident. sess. 24. c. 4. de reformat.

Prouincijs, ipsos onerando, quòd quoad substantiam & ordinē, quantum possent, sequerentur Catechismum sanctæ memor. Pij V. quoad modum autem & stylum studerent se accommodare ad maiorem profectum Indorum, sicut per eundem Catechismum Summi Pōtificis animaduersum est. Et vt hæc doctrina Christi facilis ipsis sit, & familiaris, quemadmodum Deus in lege sua præcepit, visum est expedire, vt per interrogationes & responsa scriberetur, vt eo meliùs percipi, & memoriæ faciliùs mandari possit. Atq; pueri maioresque, quod sic perceperunt, in Ecclesia deinde congregati, & dum ad suas operas aliasq; occupationes perrexerint, inter se recitent, quemadmodum in quibusdam partibus multi boni Indiani magno suo profectu faciunt. Et quoniam non omnes æque habiles sunt, vel æque tenacis memoriæ, statuitur, vt pro rudioribus fiat vnus Catechismus minor, & alter maior, pro magis capacibus; ita tamen, vt nec breuitatis causa desit sufficientia doctrinæ; nec vt magis extensus clarior sit, sua prolixitate fiat onerosus. Cùmque ad hunc finem ex multis tùm impressis, tùm scriptis manu Catechismis collecta sunt, quæ magis expedire videbātur, & post multam conferentiam & examinationē ab hoc sacro Concilio probata sunt, iussumq; vt publicentur, & in tota hac Prouincia in vsum inducerentur, vt ex decreto nostro apparet; Iam restat vt quod per nos tam salubriter prouisum est, cum zelo non minori ad executionem debitā perducatur. Quandoquidē in hoc opere Domini, tam qui seminat, quam qui metit à sua diuina & liberali manu gaudium & præmium omnes reportabunt.

Deuter. 6.

Act. 1. c. 3. Concil. 3.

Doctrina Christiana.

PEr signum sanctæ Crucis de inimicis nostris libera nos Domine Deus noster.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

PAter noster qui es in Cælis, sanctificetur nomen tuū, adueniat regnum tuū, fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, Amen.

AVe Maria gratia plena, Dominus tecū, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus, Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ, Amen.

CRedo in Deum Patrem omnipotentē creatorē Cæli & Terræ, & in Iesum Christū filiū eius vnicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus: descendit ad Inferos, tertia die resurrexit à mortuis, ascendit ad Cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam, Amen.

M 2 Sal-

Salue Regina mater misericordiæ, vita dulcedo,& ſpes noſtra ſalue, ad te clamamus exules filij Euæ, ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lacrymarũ valle: Eia ergò Aduocata noſtra,illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende, ò clemens, ò pia,ò dulcis virgo Maria.

℣. Ora pro nobis S. Dei genitrix.

℞. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Amen.

Articuli Fidei ſunt quatuordecim.

Septem pertinent ad diuinitatem, & alij ſeptem ad ſanctam humanitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, veri Dei & hominis.

Qui ad Diuinitatem pertinent, ſunt iſti.

Primus. Credere in vnum ſolum Deum omnipotentem.

2. Credere quòd Pater ſit.

3. Credere quòd Filius ſit.

4. Credere quòd Spiritus Sanctus ſit.

5. Credere quòd ſit Creator.

6. Credere quòd ſit Saluator.

7. Credere quòd ſit Glorificator.

Qui pertinent ad ſanctam humanitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſunt iſti.

Primus. Credere quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in quantum homo, conceptus ſit per operationem Spiritus ſancti.

2. Credere quòd natus ſit ex ventre virginali S. Mariæ Virginis, quæ virgo fuit ante partum, in partu, & poſt partum.

3. Credere quòd mortem & paſſionem ſuſceperit ad ſaluandum nos peccatores.

4. Credere quòd deſcendit ad Inferos, & indè abſtulit animas Sanctorum Patrum, qui exſpectabant ipſius ſanctum aduentum.

5. Credere quòd tertia die reſurrexit à mortuis.

6. Credere quòd aſcendit ad Cælum, ſedetq; ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

7. Credere quòd venturus eſt iudicare viuos & mortuos; id eſt; bonos ad dandum ipſis gloriã, quia cuſtodierunt ipſius ſancta mandata, & malos ad dandum ipſis pœnam æternam, quia illa non cuſtodierũt.

Mandata legis diuinæ ſunt decem:

Quorum tria prima pertinent ad honorem Dei, & reliqua ſeptem ad honorem proximi.

Primum. Amare Deum ſuper omnia.

2. Non iurabis per nomen ſanctum eius in vanum.

3. Dies feſtos ſanctificabis.

4. Honorabis Patrem tuum,& Matrem tuam.

5. Non occides.

6. Non mœchaberis.

7. Non furtum facies.

8. Non loqueris falſum teſtimonium.

9. Non concupiſces vxorem proximi tui.

10. Non deſiderabis bona aliena.

Ista decem præcepta includuntur in duobus.

Diliges Deum super omnia. & Proximum tuum sicut teipsum.

Præcepta sanctæ Matris Ecclesiæ sunt quinque.

Primum. Audire Missam integram diebus Dominicis, & in festis obseruandis.

2. Confiteri semel in Quadragesima, vel ante, & in periculo mortis, & cum communicandum erit.

3. Cōmunicare necessariò circa Pascha.

4. Ieiunia ab Ecclesia commēdata seruare.

5. Soluere Decimas, & primitias.

Sacramenta sanctæ Matris Ecclesiæ sunt septem.

Primum. Baptisma.
2. Confirmatio.
3. Pœnitentia.
4. Eucharistia.
5. Extrema vnctio.
6. Sacer Ordo.
7. Matrimonium.

Opera misericordiæ sunt quatuordecim.

Septem corporalia, & septem spiritualia.

Corporalia sunt ista.

Primum. Pascere esurientem.
2. Potare sitientem.
3. Operire nudum.
4. Colligere peregrinos.
5. Visitare Infirmos.
6. Redimere captiuos.
7. Sepelire mortuos.

Spiritualia sunt ista.

Primum. Docere ignorantes.
2. Consilio iuuare indigentē.
3. Corrigere peccantem.
4. Ferre patienter iniuriam.
5. Dimittere offensam.
6. Consolari afflictum.
7. Orare pro viuis & defunctis.

Virtutes Theologicæ sunt tres.

Fides; Spes, Charitas.

Virtutes Cardinales sunt quatuor.

Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia.

Peccata capitalia sunt septem.

Primum. Superbia.
2. Auaritia. 3. Luxuria.
4. Gula. 5. Ira.
6. Inuidia. 7. Acidia.

Inimici animæ sunt tres.

1. Mundus. 2. Dæmon. 3. Et Caro.

Quatuor sunt nouissima hominis, quæ Christianus semper debet reminisci.

1. Mors. 2. Iudicium.
3. Infernus. 4. Gloria.

Con-

Confessio Generalis.

CONfiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ semper virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Ioanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi Pater, quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginē, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum & Paulū, omnes Sanctos, & te Pater orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

ID QVOD DOCERI DEBENT

Qui in periculoso morbo baptizantur. Itemq; senes & rudes, qui non sunt capaces Catechismi amplioris, iuxta Concilium Limense in constit. 33. & 34. sess. 2. vt sequitur.

De Deo.

QVòd sit vnus solus Deus factor omnium rerū, Qui post hanc vitam dat gloriam æternam bonis, qui illi seruiunt, & pœnam æternam malis, qui ipsum offendunt.

De Sanctissima Trinitate.

QVòd idem Deus sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus, qui sunt tres personæ, & habent vnam eandemq; essentiam; & sic non sunt tres Dij, sed vnus solus Deus.

De Iesu Christo.

QVòd filius Dei veri factus sit homo propter nos, & hic est Iesus Christus, qui morte & sanguine suo nos redemit à peccatis nostris: Qui resurrexit, & in æternum viuit.

De sancta Ecclesia.

QVòd homo, vt saluus fiat, debeat fieri Christianus, credendo in Iesum Christum, dolendo de suis peccatis, & suscipiendo sacrum Baptismа. Vel si iam baptizatus postea peccauerit, confitendo Sacerdoti suas culpas, & sic recipiendo sacramenta, & custodiendo legē Dei saluus erit.

CATECHISMVS

Breuis pro rudibus & occupatis.

Interrogat. Heus tu dic. Estne Deus?

Respons. Ita Pater, Est Deus.

Int. Quot sunt Dij?

℞. Vnus solus, & non plures.

Int. Vbi est ille Deus?

℞. In cœlo & in terra, & in omni loco.

Int. Quis est Deus?

℞. Est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui sunt tres personæ, & vnus solus Deus.

Int. Quomodo sunt tres personæ, & non nisi vnus solus Deus?

℞. Quoniam ex illis tribus personis, Pater non est Filius, neque Spiritus sanctus: Nec Filius est Pater, aut Spiritus sanctus: Neque Spiritus sanctus est Pater aut Filius: sed omnes tres personæ habent vnam eandemq; essentiam. Et sic non sunt, nisi vnus solus Deus.

Int. Ergo, Sol, Luna, Stellæ, Lucifer, fulgura, & montes non sunt Dij?

℞. Ni-

℞. Nihil horum est Deus, sed sunt factura Dei, qui fecit Cœlum, & terram, & quidquid in eis est, ad bonum hominis.

Int. Quid est bonum hominis?

℞. Est nosse Deum, & acquirere ipsius gratiam, & amicitiam, & ipso post hanc vitam in Cœlo frui.

Int. Est ergo alia vita hominum post hanc vitam?

℞. Ita est, quoniam animæ hominum non moriuntur cum corporibus, vt animæ Bestiarum, sed sunt immortales, & nunquam desinunt.

Int. Quomodo acquirit homo gratiam Dei in hac vita, & posteà vitam æternam in Cęlo?

℞. Credendo in Iesum Christum, & Custodiendo eius legem.

Int. Quid est Iesus Christus?

℞. Est Deus, & homo verus, qui cum filius Dei esset, vt est, factus est homo in ventre Virginis Mariæ, & natus est, illa manente Virgine, & mortuus est in Cruce ad liberandū homines à peccato.

Int. Sèd quomodo mortuus est, si erat Deus?

℞. Mortuus est in quantum homo est, statim tertia die resurrexit, & posteà Cœlos ascendit, & semper sine fine viuit & regnat.

Int. Dic mihi modò cùm Iesus Christus pro omnibus mortuus est, nunquid omnes homines saluantur?

℞. Illi qui non credunt in Iesum Christum, & quamuis credant, si non habent opera, vel nòn custodiunt ipsius legem, non saluantur, sed condemnabuntur ad æternas pęnas inferni.

Int. Sed qui credunt in illum, & custodiunt ipsius legem saluabunturne?

℞. Ita saluabuntur, & in corpore & anima fruentur æternis bonis in Cœlo, & propter hoc Iesus Christus veniet in fine mundi, & exiget rationem ab omnibus hominibus. Propter quod tunc omnes mortui resurgent.

Int. Dic ergo nunc mihi habentne mali, qui peccauerunt, aliquod remedium, vt non condemnentur?

℞. Si non sunt baptizati, vnicum remedium est, vt fiant Christiani, & filij Dei, & Sanctæ Ecclesię per Baptismum.

Int. Quid intelligis per Sanctam Ecclesiam?

℞. Intelligo Congregationem omnium fidelium Christianorum, cuius caput est Iesus Christus, & ipsius in terra Vicarius Sanctus Papa Romanus.

Int. Et si postquam baptizati deindè reuersi sunt ad peccata, quid eos oportet facere, ne condemnentur?

℞. Debent Confiteri Sacerdoti suas culpas, & de illis dolere.

Int. Et si hoc fecerint, nunquid saluabuntur?

℞. Saluabuntur, si permanserint in custodia mandatorum Dei, & Sanctæ Ecclesiæ, quæ sunt amare Deum super omnia, & proximum suum sicut seipsum.

EX-

EXHORTATIO BREVIS
In qua Continetur summa eorum quæ scire conuenit eũ, qui vult fieri Christianus.

ATtentè me audi fili mi breuiter tibi dicturum quid te, vt salueris, expediat scire. Atque imprimis scias esse vnum Deum, qui est Dominus vniuersorum, factor Cœli & terræ, & rerum omnium. Nec plures sunt, quam vnus solus Deus: Quoniam Sol, & Luna, & Stellæ, & flumina, & montes, & reliqua omnia sunt factura Dei, quæ omnia ad hominum vtilitatem creauit. Hic Deus magnus qui in Cœlo, & in Terra, & in omni loco est, est valde bonus & valde iustus, & bonis hominibus, qui illi seruiunt, post hanc vitam dat gloriam sine fine duraturam in Cœlo, & malos, qui illum offendunt, castigat, dando illis tormenta sine fine in inferno. Quoniam post hanc vitam est alia vita, quæ semper durabit, & hominum animę nō desinunt vt bestiarū quandò moriuntur. Vlteriùs fili mi scire te oportet, quod ille Deus magnus, quem Christiani adoramus, est Pater, & filius, & Spiritus Sanctus, & quamuis sint tres personæ distinctæ, non est nisi vnus solus Deus, quia omnes istæ tres personæ, quæ sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, habent vnam eandemque essentiam, Et hic est Deus verus, & non est alius Deus. Nam illi, quos aliæ gentes præter nos Christianos adorant, sunt falsi & vani.

Nunc verò percipere debes, quòd filius Dei, qui vocatur Iesus Christus, factus est homo, natus de Maria Virgine, & propria sua voluntate passus est mortem Crucis, vt saluaret homines, & posteà resurrexit nunquam moriturus, & ascendit in Cœlum gloriosus. Et in fine mundi redibit idem ipse ad iudicandum homines, qui tunc omnes resurgent, & bonis dabit præmium gloriæ, & malis pœnam inferni. Et si cognoscere cupis, cur homo factus est, & Iesus Christus Dominus noster, in quantū homo, passus & mortuus sit, cū fuerit verus Deus, scias quòd omnes homines eramus condemnati ad mortem & pœnam æternam propter peccata nostra, & propter peccatum primorum parentum nostrorum, qui fuerunt inobedientes Deo. Et ideò filius Dei Iesus Christus pro sua bonitate venit de cœlo in Terram ad liberandum nos à peccato, & saluandum nos. Et si ipse non venisset, omnes perijssemus in æternum.

Hinc intellige fili, quòd vt homines salui sint, debeant credere in Iesum Christum, & legem eius amplecti, faciendo se Christianos per sanctum Baptisma, per quod remittentur tibi omnia peccata tua, si te eorum ex corde pœnituerit, & statueris illa non ampliùs committere, sed viuere prout iubet lex Christi. Et si fueris Christianus Baptizatus, & redieris ad peccandum, remedium est, conuertere te ad Deum, & peccata tua Confiteri Sacerdoti, & remittentur tibi, & si custodieris legem Dei, saluus eris in perpetuum. Est autem lex Dei valde sancta & valde iusta, & totum quod docet est, vt honores & ames Deum super omnia, & idipsum facias tuo proximo, quod velles vt alij facerent tibi.

Hæc & alia multa mirabilia docuit

cuit Deus congregationem Christianorum, quæ vocatur sancta Ecclesia, cuius filium te facis per Sanctum Baptisma, & sic debes esse determinatus, constans, & firmus ad credendum, & obedienter faciendū omne id, quod Sācta Ecclesia ex parte Dei te docuerit & iusserit. Et propterea, fili mi conserua in anima tua hæc verba Dei quæ te docui, & concipiendo dolorem de omnibns tuis peccatis voca Deum cum tuo ore dicendo Domine mi Iesu Christe, tu eris Deus meus verus, & non est alius Deus præter te: cùm me redemeris sanguine tuo, parce meis peccatis, & salua animam meam, quia omnem spem meam pono in te, & per bonitatem tuam da mihi gratiā, vt custodiam præcepta tua, & consequar vitam æternam. Amen.

CATECHISMVS MAIOR

Pro magis Capacibus Doctrinæ, & pueris Scholaribus.

PARS PRIMA.

INTRODVCTIO.

Int. CVpio scire frater quomodo memoria retinetis ea, quæ vos docui, doctrinæ Christianæ; & vt ate incipiam, dic mihi imprimis quid est homo?

℞. Homo, Pater, est creatura cōposita ex corpore, quod moritur, & ex anima quæ nunquam morietur; quia Deus illam creauit ad imaginem & similitudinem suam.

Int. Ad quid Creatus est homo?

℞. Dominus & factor omnium rerum creauit hominem, vt ipsum videat, eoque fruatur in Cœlo, & reliqua omnia fecit, vt illis iuuetur homo ad assequendam illam vitam beatam.

Int. Num omnes homines post hanc vitam assequuntur illam beatitudinem?

℞. Non Pater, sed illi soli qui boni sunt, & placent Deo.

Int. Sed mali, qui non cognoscunt Deum, nec illi seruiunt, quo vadunt, quando moriuntur?

℞. Post hanc vitam reseruata sunt tormenta & pœnæ sine fine, pro ijs qui non seruiunt Deo.

Int. Quid modo nos oportet facere, vt placeamus Deo & salui simus?

℞. Oportet credere in Iesum Christum filium Dei, & Dominum nostrum, confitendo ipsius Sanctum nomen; & legem eius obseruare, sperando in ipsum: & hoc facit quicumque est bonus Christianus?

Int. Quis credit in Iesum Christum?

℞. Ille qui toto corde suo firmiter tenet mysteria, quæ ille per diuinum verbum suum nos docuit, &

continentur in symbolo seu *Credo*.

Int. Quis Sanctum Nomen eius confitetur?

℟. Ille qui suscipit Baptismum, & alia Sacramenta.

Int. Quis custodit ipsius legem sperando in ipsum?

℟. Ille qui ipsum amat obseruando id quod in suis decem præceptis nobis declarauit, & ipsum inuocando, in ipsius nomine petit, quod nos docet oratio, *Pater noster*: & hoc est quod docet doctrina Christiana.

Int. Est ne aliud in Doctrina Christiana, quod scire oportet?

℟. Ita, sunt multa, & excellentissima, quæ continentur in Sacra Scriptura, & quæ docet Ecclesia Sancta. Sed omnia reducuntur ad ista quatuor: Videlicet, Symbolum fidei, Sacramenta Ecclesiæ, præcepta legis, & oratio Dominica: & propter hoc quilibet Christianus ea scire peculiariter debet.

PARS SECVNDA.

DE SYMBOLO.

Int. QVantum ad primam harum quatuor rerum, dicite mihi quid continetur in symbolo, seù in *Credo*?

℟. Symbolum seu *Credo*, quod est summa nostræ fidei, in duodecim verbis, seu sententijs nos docet quis est Deus, & quid cum hominibus facit, Quod sit vnus solus Deus, & tres personæ, & quod opera eius sunt creare, redimere, & Sanctificare homines, & hoc ipsum docent quatuordecim articuli fidei, quæ habentur in Chartula.

Int. Quæ est prima harum sententiarum, seu Verborum Symboli?

℟. *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem Cæli, & terræ.*

Int. Quid est Deus?

℟. Quod supra totum sine æquali est, tam magnæ essentiæ, & bonitatis, & sapientiæ, & potentiæ, quod nec sit, nec cogitari possit res maior aut melior, nec quę illi ęquari possit.

Int. Quot sunt Dij?

℟. Non plures quàm vnus solus, qui semper fuit, & semper erit, sine principio, & sine fine, & est in Cœlo, & in terra, & in omni loco, & scit totum quantum est, & quantum esse possit, & sola sua voluntate facere potest quidquid vult: & hoc totum confitemur dicendo: *Credo in vnum solum Deum omnipotentem.*

Int. Quid intelligis dicendo quòd sit Pater? an forsitan Deus filium habeat.

℟. Ita habet, & est paritèr Deus verus: & ita credimus & confitemur omnes Christiani, quòd ille Deus omnipotens est, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, qui sunt tres personæ distinctæ, & vnus Deus verus solus.

Int. Quomodo sunt tres & vnus solus?

℟. Quia nulla harum personarum est alia, & ipsarum vnaquæque

est

est Deus, & omnes tres sunt idem Deus, quia habent eandem ipsam essentiam, potentiam, & diuinitatem, absque eo, quòd in illis sit maior aut minor alterо, & non est alius Deus præter hunc quem nos Christiani adoramus, & confitemur: & ipse sic verbo suo docuit.

Int. Ergo Sol, Luna, Stellæ, tonitru, & cacumina montium, & flumina, & fontes, & fertilis terra & aliæ res, quas veteres Indi adorabāt, non sunt Deus?

℞. Nihil horum est Deus, & quicunque aliquid eorum adorat, iram Dei prouocat, & honore suo illum priuat, maximūq; peccatum, & offensam in illum committens.

Int. Quid ergo est sol, & luna, & alia superius dicta?

℞. Sunt opera Dei, quæ ille fecit adhoc, vt seruirent quomodo ipse iuberet; & hoc nos Confitemur, quando dicimus, quòd noster Deus *Creator Cæli & terræ est.*

Int. Quomodo fecit Deus omnes res?

℞. In principio, cùm nihil esset, præter solum Deum, ipse solo suo verbo fecit ex nihilo Cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, visibilia & inuisibilia.

Int. Quid est in Cœlis?

℞. Sunt innumerabiles Spiritus à Deo creati, pulcherrimi & strenui, quos vocamus Angelos.

Int. Quid faciunt Angeli?

℞. Angeli boni laudant Deum, & iuuant homines vt salui fiant, & vnusquisque homo habet vnum Angelum bonum qui ipsum custodiat.

Int. Suntne etiam igitur aliqui Angeli mali?

℞. In principio aliqui ex illis Spiritibus, quos Deus creauit, facti sunt Deo rebelles, & propter magnam ipsorum superbiam è Cœlo eiecti sunt, cum suo Principe Sathanâ condemnati ad pœnam æternam, & illi sunt quos appellamus dæmones & diabolos.

Int. Quid ergo nunc faciunt illi mali quos vocamus dæmones.

℞. Vt sunt inimici Dei, student offendere homines, & eis male facere, ne seruiant Deo, aut saluentur.

Int. Quid mali hominibus fecerunt dæmones.

℞. Ab initio fecit Deus primos homines masculum & fœminam, qui vocantur Adam & Eua, & multis bonis corporis & animæ donauit ipsos, deditque ipsis omnium rerum dominium pro se & sua stirpe, & fraude dæmonis perdiderunt hæc bona, & lapsi sunt in multa mala & miserias corporis & animæ, & propter hoc omnes deinde homines nascimur in peccato, quod vocatur Originale.

Int. Quare Deus fuit tam offensus nostris primis parentibus?

℞. Quia violauerunt ipsius mandatum obediendo dæmoni inimico, & deceptori, & sic illi & nos qui ex illis nascimur, pro pecato originali & pro alijs peccatis quæ committimus, manemus infensi Deo, pleni malis, & captiui diaboli, & digni pœna æterna.

Int. Sed estne medium aliquod, quo possumus redire in gratiam & amicitiam Dei, & liberari a morte æterna.

℞. Est quidem, & illud vnicum Iesus Christus filius Dei verus Deus

& homo, qui eſt noſter ſaluator; & hoc Confitemur in ſecunda ſententia ſymboli cum dicimus, quòd *Credimus in Ieſum Chriſtum filium Dei vnicum, & Dominum noſtrum.*

Int. Quo modo ſaluauit nos Ieſus Chriſtus?

℞. Deſcendendo de Cœlo in terram, vt nos verbo & exemplo doceret viam Dei, & pateretur ipſe pro noſtris peccatis, quo nos a diabolo & inferno liberaret, & nos faceret filios adoptiuos Dei. Et ſic ipſe Ieſus Chriſtus eſt magiſter noſter, & Redemptor noſter, & totum bonum noſtrum, & ſpes noſtra: & propter hoc nos, qui credimus in ipſum, vocamur Chriſtiani.

Int. Quomodo venit filius Dei de cælo in terram?

℞. Hoc nos docet tertium dictum Symboli: *Conceptus eſt de Spiritu Sancto; natus ex Maria Virgine.*

Int. Quid eſt Concipi de Spiritu Sancto?

℞. Hoc eſt quod filius Dei non opera viri, ſed virtute Spiritus Sancti ſumpſerit carnem humanam, in ventre Virginis Mariæ, & manendo ſemper Deus, vt erat & eſt, factus eſt verus homo ſicut nos omninò, excepto peccato, quod nunquam habuit nec habere potuit.

Int. Quomodo natus eſt ex Virgine Maria?

℞. Sic iſta Virgo Sancta Maria eſt Mater Dei & domina noſtra, quòd fuerit virgo incorrupta ante partum, in partu, & poſt partum.

Int. Quomodo Ieſus Chriſtus nos liberauit à peccato, & poteſtate dæmonis?

℞. Poſtquam triginta tribus annis inter homines vixit ipſos docendo, & multa bona in ipſos operando, & multa miracula patrando, propria ſua voluntate permiſit ſe tradi ad ſuſtinendum dolores, opprobria, & crudelem mortem in cruce. Et hoc nos docet quarta ſententia Symboli, qua dicitur. *Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & ſepultus.*

Int. Sed cum eſſet Deus, qua ratione potuit mori, pati, & ſepeliri?

℞. Non eſt paſſus, mortuus, aut ſepultus in quantum Deus, ſed in quantum homo, quoniam in morte anima ſeparata fuit à corpore, ſed diuinitas ſemper manſit coniuncta tàm animæ quàm corpori.

Int. Quare voluit mori in Cruce?

℞. Vt ſolueret peccatum arboris vetitæ in ligno Crucis, & vt in alto eſſet, quò omnes aſpiceremus, & ſalui ſimus. Et propter hoc ſignum Sanctæ Crucis eſt ſignum Chriſtiani quo vtimur ad benè faciendum, & defendendum nos ab inimicis noſtris.

Int. Manſitne Ieſus Chriſtus poſt mortem ſicuti reliqui homines, qui deſtruuntur in ſepulchro?

℞. Nullo modo, ſed ipſius anima ſanctiſſima, magna potentia & maieſtate deſcendit ad Inferos ad liberandas animas Sanctorum Patrũ, qui ibi exſpectabant ipſius ſanctum aduentum, & tertia die reſurrexit à mortuis. Et hoc nos docet quinta ſententia ſymboli cùm dicitur, *Deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit à mortuis?*

Int. Quomodo Ieſus Chriſtus reſurrexit à mortuis?

℞. Vt erat Deus, ſic propria ſua

sua potestate coniunxit animam corpori suo. Et ita surrexit valde gloriosus, nunquam deinceps moriturus, nec passurus, dando principium vitæ æternæ illis quos redemit sanguine suo.

Int. Quid fecit postquam resurrexit?

℞. Per dies quadraginta apparebat suis discipulis, iubens eis, vt irent ad prædicandum Verbum eius per totum mundum, ad hoc, vt omnes qui id reciperent, saluarentur: ac tandem ascendit ad Cœlos, & sedet ad dexteram Dei Patris totum potens. Et hoc nos docet sexta sententia symboli dicens: *Ascendit ad Cœlos sedetq; ad dextram Dei Patris.*

Int. Estne ergo Deus Pater homo, qui habeat dextram & sinistram?

℞. Deus non est corpus, sed Spiritus, sed per dexteram Dei Patris intelligimus maxima bona, & maximum honorem quem Deus habet, & possidet Dominus noster Iesus Christus super omnes Angelos, & omnes res creatas; & sic absoluit opus nostræ redemptionis, cuius rationem à nobis exiget, si propter nostra peccata non capiemus inde fructum.

Int. Quando petet a nobis hanc rationem?

℞. In vltimo die, quando veniet cum magna maiestate, & stupore mundi ad iudicandum homines viuos & mortuos, quotquot fuerunt, sunt, vel erunt, hoc est, bonos ad dandum ipsis gloriam, quia custodierunt eius sancta mandata, & malos ad dandum ipsis pœnam æternam, quia eadem mandata non custodierunt. Et hoc est quod dicit septima sententia: *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.*

℞. Qua ratione erimus boni & Sancti, ad obtinendam gloriam, quam daturus est Iesus Christus?

℞. Hoc est opus & donum Spiritus Sancti qui est Deus, & sanctificat fideles in Ecclesia Catholica, dando in ea Charitatem iustis, & remissionem peccatoribus. Et hoc confitemur tribus sequentibus verbis, octauo, nono, & decimò, dicendo: *Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remissionem peccatorum.*

Int. Quid intelligis per *Sanctam Ecclesiam Catholicam*?

℞. Intelligo Congregationem omnium fidelium Christianorum, qui habent veram fidem, & doctrinam: cuius caput est Iesus Christus, & ipsius Vicarius in terra est Summus Pontifex Romanus?

Int. Quid est *Communio Sanctorum*?

℞. Est vnio in vna eademquæ fide, & in iisdem omnino Sacramentis, & præsertim in omnium Sacramentorum maximo, quod vocatur communio, in quo fideles suscipiunt Dominum nostrum Iesum Christum, & ipsius virtute participant Orationes & bona opera totius Sanctæ Ecclesiæ, tanquam partes vnius eiusdemque corporis.

Int. Et per *peccatorum Remissionem* quid intelligis?

℞. Per hoc verbum confitemur non esse peccata, vel tàm multa, vel tàm grauia, quæ non remittantur in Sancta Ecclesia per Virtutem Sacramentorum, & potestatem quam Christus illi contulit. Et etiam quòd nulli

nulli remittantur sua peccata extrà Ecclesiam, vel qui non sit Christianus. Et hæc tam grandia bona habemus in hac vita.

Int. At in alia vita futura quid erit?

℟. Hoc nos docent vndecimum & duodecimum Verbum symboli cùm dicitur; *Credo Carnis resurrectionem, & vitam æternam.*

Int. Quid intelligis per carnis resurrectionem?

℟. Intelligo, quòd in postremo die omnium hominum animæ reuertentur ad sua propria corpora per immensam virtutem Dei, & comparebunt in iudicio Dei, nunquam ampliùs morituri.

Int. Num tàm boni quàm etiam mali omnes resurgent?

℟. Ita equidem omnes, sed longè diuerso modo, quia mali resurgent ad patiendum in corpore & anima in igne æterno, in societate dæmonum. Sed boni in corporibus gloriosis ad quiescendum cum summa sua voluptate in societate Angelorum.

Int. Et animæ quam vitam habebunt?

Vnitæ suis corporibus viuent vitam æternam regnando cum Deo, & fruendo illis infinitis bonis, quæ nunquam desinunt. Amen.

PARS TERTIA.

DE SACRAMENTIS.

Int. Quid est Sacramentum?

℟. Est signum, seu Ceremonia externa qua Christiani honorant Deum, & qua mediante participant ipsius gratiam in virtute passionis Iesù Christi.

Int. Quis instituit ista Sacramenta?

℟. Ipse Iesus Christus Deus, & Dominus noster, pro remedio & salute nostra.

Int. Quot sunt Sacramenta?

℟. Sunt solummodo septem, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, seù communio, Pœnitentia, extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium.

Int. Quid est Baptismus?

℟. Est Sacramentum in quo lauatur Corpus aqua naturali, dicente ministro: Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Int. Ad quid institutus est Baptismus.

℟. Ad hoc vt homo fiat Christianus & filius Dei, obtinendo integram remissionem omnium suorum peccatorum.

Int. Num omnes qui Baptizantur obtinent hoc?

℟. Paruuli qui Baptizantur, statim sunt Filij Dei, sed ex adultis ille qui habet fidem & veram pœnitentiam omnium suorum peccatorum fiet filius Dei per ipsius gratiā in Baptismo conferendam: Quoniam sine fide, & sine pœnitentia peccatorum, quantumuis per Baptismum aliquis fiat Christianus, nō acquirit gratiam, vt sit filius Dei.

De dispositione adultorum. Vide Concil. Trid. sess. 6. cap. 5. & 6. de Iustif.

Int.

Int. Poteſt ne aliquis ſine Baptiſmo ſaluari?

℞. Nemo ſaluari poteſt ſine ſuſceptione ſancti Baptiſmi, re & opere, quando poteſt; vel ad minùs deſiderio, quando non poſſet opere; vt ille qui pro Catholica fide ſuſcipit mortem, dicitur Baptizari in ſuo ſanguine.

Int. Quid eſt confirmatio?

℞. Eſt ſacramentum in quo Epiſcopus vngit frontem Chriſmate conſecrato, proferens verba, quæ ſunt forma illius ſacramenti.

Int. Cuinam confertur hoc ſacramentum, & ad quid?

℞. Confertur omnibus Chriſtianis baptizatis, vt habeant fortitudinem in fide, & lege Dei contra ſuos inimicos.

Int. Quid eſt ſacramentum Euchariſtiæ, ſeu Communionis?

℞. Eſt illud ſublime ſacramentum altaris, quod eſt hoſtia conſecrata, & quod in calice conſecratum eſt.

Int. Quid eſt ibi poſt conſecrationem?

℞. Eſt verum corpus & ſanguis Ieſu Chriſti Domini noſtri, & ſic adoramus ipſum Deum, qui ibi eſt idem ipſe qui in cælo, ſed modo miraculoſo.

Int. Ad quid Dominus noſter Ieſus Chriſtus tam ſublime ſacramentum inſtituit?

℞. Principaliter propter duo: Primum, pro ſingulari ſacrificio, quod offeramus Patri æterno pro noſtris peccatis, & neceſſitatibus: Et hoc faciunt Sacerdotes in Miſſa quoties celebrant. Secundum ad ſuſtentationem noſtrarum animarum, quæ nobis det vitam gratiæ, quod facit quando fideles ipſum dignè ſuſcipiunt.

Int. Quomodo dignè ſuſcipitur?

℞. Conſeruando animam purã à peccato mortali, & accedẽdo quãdo ſancta Eccleſia id nobis concedit: quod minimùm debet eſſe ſemel in anno ad Paſcha reſurrectionis, & in articulo mortis.

Int. Quid eſt ſacramentum Pœnitentiæ?

℞. Eſt ſacramentũ in quo Chriſtianus confitetur omnia ſua peccata mortalia, quæ recordatur ſe commiſiſſe poſt Baptiſmum, cum dolore pro cõmiſſis, & propoſito emendationis, & faciendo debitam ſatiſfactionem pro ſuis peccatis.

Int. Cuinam debet Chriſtianus confiteri ſua peccata?

℞. Debet Sacerdoti, qui eſt loco Dei, & habet poteſtatem illum abſoluendi.

Int. Poteritne reticere vllũ peccatum?

℞. Quantumuis maximum vel maximè ſecretum ſit peccatum, debet dici; quandoquidem confeſſarius, etiamſi occidendus ſit, non poteſt manifeſtare vllum, & ſic pœnitens qui ſcienter reticet aliquod peccatum mortale, peccat de nouo, & confeſſio ſic facta nihil valet.

Int. Quid vocas peccatum mortale?

℞. Id quod aufert vitam animæ, quæ eſt gratia Dei, ex eo quòd ſit contrarium amori Dei vel proximi.

Int. Suntne ergo alia peccata quæ non ſunt mortalia?

℞. Ita ſunt multa quæ ſunt venialia, in quæ omnes frequenter cadimus: Et quamuis per illa nõ perdimus gratiam Dei, ad hoc tamen

diſpo-

disponũt,& de omnibus debet Christianus petere veniam à Domino, sed necessarium est confiteri mortalia Sacerdoti.

Int. Sed teneturne quis confiteri statim cum peccauerit mortaliter?

℞. Tenetur statim pœnitere cũ viuo dolore, si vult reuerti in gratiam Dei, cum proposito confitendi quando id iubet sancta Mater Ecclesia, hoc est, semel ad minus per singulos annos: vel quando accedendum est ad communionem, & in quocunque periculo mortis.

Int. Quid est sacramentum Extremæ vnctionis?

℞. Est sacramentum in quo Sacerdos vngit infirmos in mortis periculo constitutos,cum oleo benedicto, proferendo verba quibus vti solet Ecclesia.

Int. Ad quid datur extrema vnctio?

℞. Ad purgandam animam à peccatis, & dandum ipsi vigorem in vltimo transitu contra tentationes inimici: Ac etiam ad dandam sanitatem corporis, si ita expediat.

Int. Quid est sacramentum Ordinis?

℞. Est sacramentum quo Episcopus consecrat, & facit ministros Ecclesiæ. Et in eo dat ipsis gratiam per quam bene exerceant suum officium; & habet diuersos gradus.

Int. Quid est sacramentum Matrimonij?

℞. Est pactio firma & perpetua inter virum & mulierem Christianos, ad procreandum, & educandũ filios in obsequio Dei, custodiendo fidelitatem inter se mutuo.

Int. Nunquid hoc habent etiam gentiles infideles?

℞. Verum est, quòd sit contractus matrimonialis inter infideles, sed non est sacramentum, vt inter Christianos, quod per virtutem Iesu Christi dat ipsis gratiam vt bene viuant, & in suo statu saluentur.

Int. Potestne quicumque vir quãcunque ducere mulierem in vxorẽ?

℞. Sunt aliqui gradus consanguinitatis, & aliæ conditiones personarum, de quibus disposuit sancta Ecclesia, vt cum illis matrimoniũ contrahere non liceat, nec valeat sacramentum. Et propterea qui vult contrahere matrimoniũ, debet priùs scire à Patre, qui est ipsius Pastor, si potest id facere, & cum qua, & quomodo, ad hoc vt non peccet, nec sit adulter, & non maritus.

Int. Ista septem sacramenta quæ enumerasti suntne omnia necessaria?

℞. Duo illa, Matrimoniũ & Ordo sunt libera, sed reliqua sunt suis temporibus necessaria, & præsertim sanctum Baptisma ad obtinendam remissionẽ peccati originalis & aliorum eousque commissorum, & sacramentum pœnitentiæ pro obtinẽda venia peccatorũ mortalium post Baptisma commissorum.

Int. Quoties suscipienda sunt hęc sacramenta?

℞. Tria illa Baptismus, Confirmatio, & Ordo semel tantum; & si pluries scienter suscipiantur, est magnum crimen.

Int. Alia verò quoties suscipienda sunt?

℞. Bene fit, si pœnitentia sæpius suscipiatur, confitendo sua peccata. Sacra communio, quando prudens confessarius consuluerit, & non sæpius; extrema vnctio, quoties per infirmitatem instat periculũ mortis.

Int.

Int. Nunquid matrimonium omitti poteſt pro alio ſtatu vitæ ?

℞. Poteſt bene omitti pro ſtatu continentiæ,qui eſt magis perfectus. Sed liber vel libera qui non caſtè viuunt, melius facient nubere, quam vri cum peccato: & ſemel matrimonio coniunctus non poteſt alio ſe coniungere, niſi poſt mortem prioris mariti, vel vxoris.

PARS QVARTA.

DE PRAECEPTIS.

Int. QVot ſunt præcepta legis diuinæ?

℞. Sunt decem,quorum tria prima pertinent ad honorem Dei, & reliqua ſeptem ad vtilitatem proximi.

Int. Quænam ſunt?

℞. 1. Honorare Deum ſuper omnia.

2. Non iurare per ſanctum nomen ipſius in vanum.

3. Sanctificare dies feſtos.

4. Honorare Patrem & Matrē.

5. Non Occidere.

6. Non Mæchari.

7. Non Furari.

8. Non dicere falsũ teſtimoniũ.

9. Non concupiſcere vxorem proximi.

10. Non concupiſcere rem proximi.

Int. Quis honorat Deum ſuper omnia?

℞. Ille qui habet fidem, ſpem, & charitatem erga Deum, credendo in ipſum, ſperando in ipſum, & amando ipſum plus quam vllam aliam rem totius mundi.

Int. Quis infringit præceptũ honorandi Deum?

℞. Ille qui adorat quamcumque creaturã, vel habet Idola, vel *Guacas*, vel credit falſis ſectis & hæreſibus, vel ſomnijs,vel diuinationibus, quæ ſunt vanitates & fraudes Dæmonis.

Int. Iuxta hoc ergo omnes ceremoniæ,quas docent veteres Indiani, & venefici contra legem Chriſtianorum, ſunt vanitas, & fraus Dæmonis.

℞. Sic eſt, Pater, abſq; dubio vllo, & qui illis vtuntur, condemnabuntur cum Dæmone.

Int. Quare ergo Chriſtiani adorant imagines ligneas, & metalicas, ſi malum eſt adorare Idola?

℞. Chriſtiani non adorant imagines ligneas, vel metalicas propter ſeipſas, vt faciunt Idololatræ, nec putãt,quòd in illis ipſis ſit virtus vel diuinitas, ſed reſpiciunt illud quod imagines repræſentant. Adorant Ieſum Chriſtum in Cruce, & in ipſius imagine. Et reuerentur Dominam noſtram Virginem Mariam,& alios Sanctos, qui ſunt in Cælo, petendo ipſorum fauorem: & ipſas imagines reuerentur nõ propter id quod ſunt, ſed propter id quod ſignificant.

Int. Quis violat ſecundum præceptum,quod eſt, *Non iurare per nomen Dei in vanum.*

℞. Ille qui blaſphemat nomen Dei, vel ipſius Sanctorum, & ille, qui iurat per creatorē, vel per creaturam

turam cum mendacio, & sine necessitate, & qui non obseruat, quod iurat, vel promittit Deo facere, si sit res bona.

Int. Quis tertium præceptum transgreditur, quod est, *Sanctificare festa*?

℞. Is qui Dominicis & festis diebus ex præcepto colendis Missã non audit, & qui in eis facit opera seruilia, & sine iusta necessitate laborat.

Int. Quis quartum præuaricatur, quod est, *Honorare patrem & matrẽ*?

℞. Is qui erga parentes suos & maiores tam corporales, quam spirituales irreuerentèr, & immorigeratè se gerit, siue id opere, siue verbo faciat: & qui illis reuerenter nõ obedit, vel eis necessitatem patientibus non opitulatur.

Int. Quis infringit quintũ, quod est, *Non occidere*.

℞. Non is tantum qui proximũ suum trucidat, sed etiam qui vulnerat, aut verbo vel opere male tractat, vel odio, etiam in corde, prosequitur, & malum illi cupit.

Int. Sed licetne alicui sibi ipsi nocere?

℞. Non licet vlli seipsum occidere, vel procurare aut permittere, vt ab alio occidatur. Nec aliud notabile damnum sibi inferre.

Int. Iuxta hoc ergo, qui per ebrietatem se priuant vsu rationis, grauiter peccant?

℞. Ita est, peccant, quoniam ex hominibus se bestias faciunt, & magnorum malorum periculo se exponunt.

Int. Quis violat sextum præceptum, quod est, *Non mœchaberis*.

℞. Is qui turpitudinem cũ aliena vxore committit, vel etiam soluta, & multo magis qui cum masculo vel bestia. Is etiam qui voluptatem capit ex verbis, vel tactibus inhonestis, siue cum seipso, siue cum alijs. Et eiusmodi scelera Deus æterno igne castigat in altera vita, & sæpe etiam in præsenti magnis malis corporis & animæ.

Int. Quis infringit septimũ, quod est, *Non furari*?

℞. Is qui rem proximi contra ipsius voluntatem accipit, vel ipsum in emptione, vel venditione decipit, & qui vel per se, vel per alios damnum rebus infert.

Int. Quid facere debet, qui rem alienam furatus est?

℞. Qui potens nõ restituit ablatum, & non reparat damnum, non potest absolui, sed remanet reus æternæ pœnæ.

Int. Quis violat octauum præceptum, quod est, *Non dicere falsum testimonium*?

℞. Is qui alium falsò diffamat, vel occultum eius defectum detegit absque necessitate: & qui pariter sine causa alium de malo iudicat.

Int. Quis violat nonum & decimum, quæ sunt, *Non concupiscere vxorem, aut aliam quamcunque rem proximi*.

℞. Is qui animo consentit in desiderium habendi sibi vxorem alienam, quæ est quæuis alia, cum qua ipse non est legitimo matrimonio coniunctus, vel aliena bona, ita quod ea raperet si posset: Quia talis iam grauiter peccat, & inferno dignus est.

Int. Quando Deus nobis prohibet malum opus, nunquid etiã prohibet desiderium sic operandi?

Ita

℞. Ita Pater; & sic est in omnibus præceptis.

Int. Cur ergo in his duobus vltimis peculiariter nobis prohibet malum desiderium fœminæ alterius, & rei alienæ?

℞. Quoniam delectatio carnis, & lucrum sunt duæ res, quæ magis obcæcant mentem; & vt cognoscamus quod lex diuina non tantum opere, sed etiam animo compleri debeat.

Int. Suntne alia præcepta obseruanda præter ista decem.

℞. Sunt alia varia præcepta pro varietate statuum, & negotiorum: & sancta Ecclesia nobis imposuit alia præcepta, quæ oportet seruare.

Int. Quæ sunt ista præcepta Ecclesiæ?

℞. 1. Audire Missam in diebus Dominicis, & festis obseruandis.

2. Ieiunare certis temporibus.

3. Confiteri semel in anno.

4. Communicare ad Pascha resurrectionis.

5. Soluere decimas & Primitias.

Int. Debetne Christianus aliquid aliud facere præter ista?

℞. Debet etiam facere opera misericordiæ corporalia, & spiritualia erga suum proximum.

Int. Quænam sunt opera misericordiæ corporalia?

℞. Sunt ista septem.

1. Pascere esurientem.

2. Potare sitientem.

3. Colligere Hospitem.

4. Vestire nudum.

5. Visitare Infirmum, & incarceratum.

6. Redimere captiuum.

7. Sepelire mortuum.

Int. Et opera spiritualia quæ sunt?

℞. Sunt alia septẽ, quæ sequũtur.

1. Docere ignorantem.

2. Corrigere peccantem.

3. Consulere indigenti.

4. Consolari afflictum.

5. Sufferre patienter iniurias.

6. Dimittere offensam.

7. Orare Deum pro viuis & defunctis, & pro ijs qui nos persequuntur.

Int. Quare oramus pro defunctis?

℞. Quia purgatorium est in altera vita, vbi patiũtur illi, qui discesserunt ex hac vita in gratia Dei, sed adhuc illis restat quod purgẽtur pro suis peccatis. Et propter hoc sancta Ecclesia facit memoriam fideliũ Defunctorum, & est opus meritorium, & magnæ misericordiæ orare Deũ, & benefacere pro ipsis ad hoc vt absoluantur, & assumantur ad gloriã.

Int. Quomodo complebit Christianus omnia mandata Dei & Ecclesiæ, & opera misericordiæ?

℞. Amando Deum super omnia, & proximum suum sicut seipsũ. Quoniam in his duobus verbis continetur tota lex Dei, & quidquid scriptum est.

Int. Quid est amare Deum super omnia?

℞. Est non committere peccatũ mortale pro vlla re mundi.

Int. Quid est amare proximum sicut seipsum.

℞. Est quòd homo non optet proximo id quod non optaret sibi: & quòd faciat pro proximo, quidquid vellet, vt alij facerent pro ipso. Et hæc est tota lex Dei, sancta & iusta.

PARS QVINTA.

DE ORATIONE DOMINICA.

Int. POtest Christianus saluari, & obseruare legem Dei sine auxilio & gratia?

℞. Sine gratia Dei non potest homo facere bonũ, nec fugere malum sicut oportet.

Int. Quomodo acquiritur gratia & fauor Dei?

℞. Deus illam dat pro sua libera voluntate, & homo illam accipit disponendo animam suam, & faciendo orationem.

Int. Quid est oratio?

℞. Est petere à Deo quod ipsius honori, & bono nostro conuenit.

Int. Quomodo debet Christianus orare?

℞. Spiritu & lingua, cum interiori, & exteriori reuerentia, & magna fiducia obtinẽdi quod petit per merita & sanguinem Christi Domini nostri. Et hoc nos docent prima verba orationis Dominicæ, per quæ recognoscimus Deum esse Patrem & Dominum nostrum, qui est in excelsis dicendo, *Pater noster qui es in Cælis.*

Int. Quid petimus à Deo in oratione Dominica?

℞. Septem res in quibus includũtur omnia quæcunq; potest Christianus desiderare, tam pulchro ordine, vt appareat, quòd Iesus Christus illam ore suo docuerit Sanctos Apostolos suos.

Int. Quæ sunt illæ septem res?

℞. Prima pertinet ad honorem Dei cùm dicitur, *Sanctificetur nomen tuum.*

Int. Et secunda quænam?

℞. Est ad assequendum nostrũ finem, & bonum gloriæ cum dicimus: *Adueniat regnum tuum.*

Int. Quid tertia?

℞. Ad assequendum bonũ gratiæ, dicendo, *Fiat voluntas sua sicut in Cælo, & in terra.*

Int. Et quarta?

℞. Ad assequenda bona necessaria huius vitæ cum dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Int. Et quinta?

℞. Vt liberemur à malo culpæ iam commissæ, dicendo: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Int. Et sexta?

℞. Vt liberemur à malo culpæ futuræ dicendo, *Ne nos inducas in tentationem.*

Int. Septima demùm & vltima?

℞. Vt liberemur à pœna & malo, quod redundat ex culpa dicendo; *Sed libera nos à malo. Amen.*

Int. Non ergo debemus dicere alias orationes præter hanc, *Pater noster.*

℞. Ita, vt tamen petamus aliquid ex eis quæ continentur in *Pater noster.* Et propterea dicimus, *Aue Maria*: & *Salue Regina*, & alias orationes: quas docet Ecclesia.

Int. Quando debemus orare Deũ Dominum nostrum: & Virginem Mariam, & Sanctos?

℞. Quanto frequentiùs, tanto meliùs. Sed expedit habere aliquod tempus designatum ad orandum, & præ-

præterea, cùm vrget aliqua necessitas animæ vel corporis, expedit orare ex toto corde.

Int. Vbi debent orare Christiani?

℟. Deus vbique præsens est, & Christianus ipsum in omni loco orare potest, & præsertim in Ecclesia, quæ est domus orationis, accipiendo aquam benedictam, & faciendo signum crucis, flexis genibus, & iunctis manibus cum omni deuotione. Et propter hoc Ecclesia sancta habet ornamenta, & ceremonias sanctas, vt prouocet homines ad honorandum nostrum magnum Deum, & fidendũ in ipsum, & ipsi seruiendum anima, & corpore semper in æternum. Amen. Iesus.

DECRETVM

Approbationis huius Catechismi.

IN Ciuitate Regum, tertia die mensis Iulij, anno 1583. viso hoc Catechismo, & toto quod in eo continetur per sacrum Cõcilium Prouinciale, quod pro præsenti celebratur in hac dicta Ciuitate, in eo legitimè congregatis Reuerendissimis Dominis Archiepiscopo D. Toribio Alfonso Mogrouejo, & Episcopo Ciuitatis Imperialis Chilens. D. Fr. Antonio à S. Michaële, & Episcopo Cuscense, Doctore Domino Sebastiano de Lartaun, & Episcopo S. Iacobi Chilens. Domino Fratre Didaco de Medelin, & Episcopo Tucumanen. Domino Fratre Francisco de Victoria, & Episcopo Charcarum Domino Alfonso Granero: dixerunt, quòd eum approbauerunt, & approbant, & mandauerunt, quòd in docendo in vsu sit, & non alius: & si alius vel alij edantur, vel describantur, vt sint in hoc tenore, et concordes huic Originali, et subscripti ab vno ex Secretarijs huius sancti Concilij, vel alio authoritate Reuerendissimi cuiusque Diœcesis, cum fide Notarij vel Scribæ: Et non alio modo in vsu sint antequam imprimantur. Et sic prouiderunt, et mandarunt, et suis nominibus firmarunt.

T. Archiep. Regum.
Fr. Anton. Episc. Imperialis.
Sebast. Episc. Cusquen.
Fr. Didacus Episc. S. Iacobi Chilens.
Fr. Franciscus Episc. Tucumanen.
Alphons. Episc. Charcarum.

De Mandato sacri Concilij.

Doctor Valcazar.
Licent. Menacho.

Videnda præterea de hoc Catechismo eiusq; versione & vsu, capita tertium, 4. 5. & 6. Actionis 2. eiusdem Concilij Prouincialis Anni 1583.

Nota in Catechiſmum.

PArt.4. Catechiſmi maioris & paſſim per omnia. *Guacas.* Sunt mortuorum manes: Habebant enim Peruani Gentiles, habebant Mexicani, habent adhuc Chinenſes & alij Pagani Deos Manes, hoc eſt animas Maiorum ſuorum, à corporibus ſeparatas, quas vbi corpora iacent, aut apud aliquos erecta ſunt, vel in altis ſepulchris & aris collocata, adorant, florum & aromatum ſacrificijs honorant, allato etiam cibo & potu, ibiq; relicto ſe eas reficere & refocillare, diabolo docente, imaginantur, & in ſuis neceſsitatibus inuocabant, vel ſi malæ eſſent ne nocerēt, & ſi bonæ, vt prodeſſent: quod in ſtultiſsimo Nino Idololatriæ initium fuit. Et hoc eſt, quod ſæpè in his Toribij Mogroueji monumentis meritò inhibetur. Illis etiam Romani Gentiles dedicabant vrnas, quibus corpori cineres includebant cum titulo D I S M. id eſt, Dijs Manibus. Vnde Apulæus de Dæmonio Socratis: *Manes* (inquit) *animæ dicuntur melioris meriti: quæ in corpore noſtro Genij dicuntur, corpori renuntiantes.* Et Cicero 2. de legibus, *Deorum Manium iura ſancta ſunto.*

Videntur lumen aliquod ſed confuſum & obſcurum habuiſſe, noſtrorū Angelorum Cuſtodum: Duos enim Manes corporibus ab ipſa conceptione aſsignatas fuiſſe, qui, ne mortua quidem corpora deſerantur, conſumptis etiam corporibus ſepulchra inhabitaſſe, credebat cœca Gentilitas. Sed vt Deum ipſum cognouerunt, ſed non ſicut Deum glorificauerunt. ad Rom. 1. Ita Angelos hos, qui Dij non ſunt, vt Deos colebant. Cùm vnus ipſorum malus Dæmon ſit à Principe Dæmoniorū deſtinatus vt homines, quibus cælum ac Dei gratiam inuident, in Dei offenſam trahat, ac in Infernum ſecum ipſis Dei deſertoribus intrudat: Alter autem Sanctus Angelus, bona creatura & miniſter vnius ac ſolius veri & boni Dei, cuius mandato id ipſi incumbit, vt hominem, cui Cuſtos datus eſt, ab inſtanti conceptionis ab omni corporis & animæ malo protegat, à mali Dæmonis tentamentis defendat, omne bonum doceat & ſuadeat, in omni actione dirigat ad beneplacitū Dei creatoris, & ſalutem animæ ſuæ, in mortis agone à Sathanæ fraudibus, & in extremo iudicio à fictis & falſis eius impoſitionibus defendat, & ad bonorum Angelorum conſortiū in cælum, & vitam perducat æternam. Hic ergo, non malus ille genius, nec defunctorū Gentilium animæ, qui pro ſuis peccatis in Inferno cruciantur, aut inanes ipſorum laruæ, colendus & inſtātèr orandus eſt.

PRI-

PRIVILEGIA INDIS PER PONTIFICES Romanos concessa.

Et ex Decreto sacri Concilij Prouincialis huc inserenda.

Priuilegia Indorum, quæ hic sequuntur, ego in Actis reperi cum Decreto sacri Concilij, quo iubentur ad Catechismi calcem collocari; quapropter, ne huic parti deesse videremur, eadem, quanquam partim nunc extra vsum, quia non perpetua, sed ex ea parte temporanea fuerunt, omnia producere, adiuncto decreto ipso, visum est.

De obseruatione Festorum.

Paulus III.

QVòd Indi non sint obligati ad alia festa colenda, quam ad ea, quæ numerantur superiùs. Act. 4. Concilij Prouincialis præcedentis, cap. 9. *ex Concilio Limano 2. sess. 3. cap. 90.*

De Ieiunijs.

Paulus III.

NEque ad ieiunandum, præterquam in diebus Veneris Quadragesimæ, Sabbatho sancto, & vigilia Natiuitatis Domini. *ex Concil. Liman. 2. cap. 91.*

Permittit etiam ipsis in Quadragesima & alijs diebus ieiunij comedere omnis generis cibos concessos illis qui habent Bullam Cruciatæ. *Concil. Lim. 2. sess. 3. cap. 9.*

De Gradibus Consanguinitatis.

Paulus III.

COncedit huius noui Orbis Indis, vt intra tertium & quartum consanguinitatis gradum possint contrahere matrimonia. *Concil. Lim. 2. sess. 3. cap. 69. & ex Manuali Mexicano fol. 34.*

Dispensatio in ijsdem.

Gregorius XIII.

COncedit cum Indis dispensari posse ad ineundas nuptias intra quoscunque gradus non prohibitos iure diuino. Et si iam contraxerint, quum id scienter & præuia impedimenti notitia fecerint, vt denuò contrahant eiusmodi Matrimonium, illa dispensatio in foro exteriori fieri debet authoritate Ordinarij, & vnius è Societate Iesu. Et hoc priuilegium valebat vsque ad annũ 1597. Et in foro interiori sufficit facultas vnius ex dicta Societate, & est priuilegium perpetuum. *Ex literis Apostolicis Anni 1577. die 17. Iulij datis.*

Quæ Vxor ex pluribus retinenda.

Pius V.

COncedit, quòd Indi ad fidem conuersi, qui in sua infidelitate plures habebãt vxores, eam pro legitima retineant, & cum ea contrahant, quæ simul cum ipsis ad fidem conuersa & baptizata fuerit, quamuis non fuerit prima vxor earum adhuc viuentium, quas in infidelitate duxerint, & quòd eiusmodi matrimonium absque vllo scrupulo habeatur pro legitimo. *Ex litt. Apost. 1571.*

1571. die 2. Augusti. In Archiuio Ecclesiæ Ciuitatis Regum.

De Temporibus Nuptiarum.

Pius IV.

AD instantiam Regis Catholici concedit Indis, vt quocumque anni tempore valari possint, & nuptialem benedictionem accipere, dummodo solemnis pompæ apparatum illis temporibus non exhibuerint, in quibus prohibitæ sunt eiusmodi velationes. Valet ad annos viginti quinque, id est, vsque ad diē 12. Aug. anni 1587. *Ex Manuali Mexicano fol. 7. & litt. Apost. in fine summæ Sacrament. Barthol. Ledesmæ.*

Absolutio Casuum Pontifici Reseruatorum.

Paulus III.

QVod Indi per ipsorum Parochos, vel eos qui ipsorum curam agunt, possint absolui ab omnibus casibus etiam Summo Pontifici reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, imposita eis pœnitentia salutari. *Ex Manual. Mexic. fol. 134.*

Libertas ab Interdicto.

Pius IV.

AD instantiam Regis Catholici concedit Indis ne teneantar vllum interdictū seruare, nisi ipsi dederint ei causam, vel specialiter interdicti sint. Valet per annos triginta, hoc est, vsque ad 12. Aug. Anno 1592. *Ex Concil. Lim. 2. sess. 3. cap. 92. & Manual. Mex. fol. 138.*

Absolutio à reseruatis Episcopo.

Concil. Limense III.

EX Indulto Concilij Prouincialis Ciuitatis Regum conceditur omnibus Parochis & Confessarijs Indorum, vt eos absoluere possint ab omnibus casibus Episcopis reseruatis. *Ex Conc. Lim. 3. Act. 2. cap. 17.*

Indulgentiæ sine præuia Confessione.

Pius IV.

AD instantiam Regis Catholici concedit Indis, vt possint lucrari indulgentias & Iubilæa, quæ requirunt Confessionem, Communionem & Ieiuniū; dummodo seruato ieiunio, si non habent copiam Confessarij, saltem conterantur cū firmo proposito confitendi quam primùm poterūt, vel ad minus intra vnum mensem. *Ex Concil. Lim. 2. sess. 3. cap. 94. & Manuali Mexicano fol. 182.*

Vsus Balsami Indici in Chrismate.

Pius V.

COncedit Episcopis Indiarum, vt ad conficiendum sacrum Chrisma, possint vti liquore, quem ibi vocant Balsamum, quamuis non sit verum balsamum. *Ex Authentico dato primo Episcopo Tucumanen. ex Archiuio Ecclesiæ Ciuitatis Regum.*

Dispensatio in numero Ministrorum Chrismatis.

Pius IV.

AD instantiam Regis Catholici. Id ipsum de balsamo conceditur,

ditur, quod per Breue Pij V. concessum dicitur. Et vlterius, quòd Chrisma consecrari possit cum numero ministrorum qui reperitur, quamuis non sint tot, quot iura requirant. *Ex litt. Apost. in fine summa Sacram. Barthol. Ledesma.*

Dispensatio Irregularitatum.

Pius V.

CONcedit Indorum Episcopis, vt cum quibusuis personis in Indijs existentibus dispensent in irregularitate ex quocunque delicto contracta, dummodo non fuerit ex homicidio voluntario extra bellum commisso, vel simonia; Ita, vt qui sic ab eiusmodi delictis absoluti fuerint, & in irregularitatibus dispensati, teneantur implere pœnitentiam per Confessarium ab Ordinario approbatum ipsis imponendam. Et si eam nõ compleuerint, eiusmodi absolutio & dispensatio, quoad forum Conscientiæ, sit nulla, & nullius effectus. *Ex litt. Apost. Anni 1571. die 4. Augusti in Archiuio Ecclesiæ Ciuitatis Regum.*

Dispensatio Illegitimorum ad Ordines.

Gregorius XIII.

CONcedit, quòd filij illegitimi Hispanorum & Indarum, vel Hispanarum, qui in Indijs viuunt, possint initiari omnibus ordinibus, & excipere confessiones, & prædicare verbum Dei; modo benè calleant linguam Indorum, & habeant qualitates per Concilium Tridentinum præscriptas. Circa quæ onerantur Episcoporum conscientiæ; non obstante defectu Nataliũ, vel alio quocunque defectu, qui non sit homicidij voluntarij, vel bigamiæ. *Ex lit. Apost. datis 25. Ianuarij 1576.*

DECRETVM CONCILII.

DIe 14. mensis Octobris anno 1583: in Concilio Prouinciali celebrato in hac Ciuitate Regum hoc summarium Priuilegiorum & facultatum Indorum, & Præsulum Indiarum præsentatum fuit: eoque per sacrum Concilium viso, decreuit & iussit, vt adiungeretur Catechismo, ad hoc, vt Parochi cæteræque personæ ad quas pertinet, habeant notitiam eorumdem Priuilegiorum & facultatum, illisque gaudeant in forma & modo, quibus per sanctam Sedem Apostolicam ordinatum est. & ita iusserunt & subscripserunt.

Toribius Archiepiscopus Regum.
Episcopus Platen.
Fr. Alfons. Episc. del Rio de la Plata.

De mandato sacri Concilij.

Doctor Valcazar.
Licentiatus Menacho.

NOTA

De priuilegijs Indis concessis extat liber Didaci Gonzalez Holguin S. I. impressus Limæ in 4. anno 1608.

P EX-

EXHORTATIONES AD MORIBVNDOS,

Authoritate Concilij Prouincialis editæ.

Act. 2. Concilij Prouincialis anni 1583. per Sedem Apostolicam approbati, cap. 29. decretum est, vt ijs qui è vita decedant, Parochi assistant, ac morientem excitent, & cohortentur: atque præsertim Indis, quos exhortentur exhortatione ab eadem Synodo euulgata. Vt igitur ijs Parochis, quibus promptum erit huiusmodi Decretum obligationis, non desit ipsa adhortatio, per quam obligationi satisfacere possint, eam hic adnectere Catechismo visum est. Vt quemadmodum viuis & vegetis per Catechismum datur animæ alimentum, ita infirmi & moribundi, præter Sacramenta, habeant documenta, per quæ ad ipsa Sacramenta & omne moriendi negotium, cæterorum omnium huius vitæ maximè necessarium, & inter omnia maximi momenti dignè disponantur. Patres autem in Synodo quemadmodum Catechismum ipsum ætate vel sensu paruulis alium, & alium prouectioribus instituerunt, sic aliam breuiorem exhortationem præscripserunt ijs, quibus, vt morti proximis, nec tempus nec occasio, nec fortè sensus & attentio ad plura suppeterent, aliam ampliorem ijs infirmis qui nondum eo extremitatis redacti sunt, quin animæ suæ simul ac domui prouidere possint. Nos vtramq; hic damus cum authentico testimonio approbationis eius per Patres Concilij, vt hic sequitur.

EXHORTATIO BREVIS Ad Indos, in mortis Articulo constitutos.

FRater mi, Dominus noster Iesus Christus sit cum anima tua, & eam saluet in hac hora à tuis inimicis. Nunc tempus est, vt recorderis Dei, & illum inuoces in corde tuo, vt te iuuet. Iam vides, quòd parentes & amici tui non possint te à morte liberare; Nec tibi prosunt nunc res huius mundi. Propterea attende Deo tuo, & ipsum inuoca toto corde tuo, vt te adiuuet. Quia ille est verus Pater tuus, & factor tuus, & vult te saluare, & assumere ad illam vitam cælestem, vbi habebis æternam requiem & lætitiã, si iam te commendaueris Iesu Christo, & ipsum inuocaueris ex toto corde tuo cum magno dolore peccatorum quæ fecisti, & proposito quòd, si longiorem vitam tibi concesserit, ipsi seruiendi & benè viuendi. Voca, mi frater, Iesum Christum, qui est Deus tuus, & Pater tuus, & dic illi in anima tua, si ore non possis. O Domine mi Iesu Christe fili Dei viui, qui pro me mortuus es in Cruce, vt redimeres animam meã, non permittas, vt ista creatura vestra perdatur, cum tanta pro me passus sis, ne me derelinquas in potestate inimicorum meorum, sed libera me Domine, quia in te confido, & te inuoco, quia te Deum & Dominũ volo, nec habeo, nec adoro alium Deum, & Christianus baptizatus sũ. Et quamuis indignus, sum filius sanctæ

ctæ Ecclesiæ teneo, & firmiter credo totum id quod illa tenet & credit. Factura tua & seruus tuus sum, non me proijcias, nec obliuiscaris mei miseri in hac hora. O Domine ego malus eram, & peccaui peccata multa. Toto corde me pœnitet quòd te offenderim,& iram tuã prouocauerim. Confessus sũ Patri peccata mea quæcuuq;recordatus sum. Tu mihi parce, quia pius & benignus es. Recordare huius pauperis qui te inuocat, si longiorem vitam mihi dederis, ego me emendabo, & seruiam tibi quantum potero, & si dignaris nunc me assumere, accepto libentèr: tantùm te rogo,vt non derelinquas me, sed pretioso tuo sanguine liberes animam meam,& propter sanctam passionem tuam: & propter merita Virginis Mariæ Matris tuæ, & Aduocatæ peccatorum, & propter omnes Sanctos tuos salua me Deus meus; vt possim ire ad fruendum vita æterna. O Domine quis tantum bonum mereretur! Iesus tecum sit, frater mi Iesus te adiuuet, Iesus te liberet ab inimicis tuis, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, vnus solus Deus verus, in quem tu credis,ipse te saluet, & tecum sit, qui te fecit, & te redemit sanguine suo, ipse te ducet ad suam gloriam. Non permittas Deus noster, vt condemnetur hæc anima,quam fecisti ad imaginem & similitudinem tuam: defende eum Domine à suis inimicis, & remitte illi peccata sua. Duc eam ad locum quietis cum tuis electis,quia te inuocat, & in te confidit. O bone Iesu miserere huius animæ, & duc eam in vitam æternam quam nobis promisisti, vt te fruatur, & te laudet in æternum. Qui es vnus Deus cum Patre,& Spiritu sancto. Amen. Iesus.

EXHORTATIO FVSIOR
Pro Infirmis nondum ad extrema redactis.

FRater mi, Dominus noster det tibi suam gratiam, & tecum sit. Amen. Iam vides quòd infirmitas tua sit periculosa, & quòd opus sit, vt te præpares ad transeundum ex hac vita, si Deus voluerit te ex illa educere. Est enim alia vita quæ nunquã finitur, plena gaudio, & omni bono, qua fruentur illi qui in vltima hora sunt in gratia & amicitia Dei. Propterea frater, attende benè, quòd paruo tempore quod tibi restat, possis lucrari Cœlum in perpetuum, si feceris, quæ dicturus sum tibi; & si non, quòd condemnaberis ad æternas pœnas inferni. Scito enim frater mi, quòd anima tua,cùm ex hoc corpore exierit,presentabitur ante iudicium Iesu Christi, Dei & Domini nostri, vbi audiet sententiam saluationis,vel condemnationis æternæ, iuxta quod merita fuerint. Et post hanc vitam nullum superest remedium, si semel te condemnauerit: Iam verò etsi parum temporis restet, si te conuerteris ad Deum, & ipsum inuocaueris ex toto corde tuo, faciendo quæ ego tibi dicam,saluus eris in perpetuũ. Propter quæ, frater mi, plurimũ lætare, quia dicam tibi ea quæ expediunt vestræ saluationi.

Imprimis ergo dic mihi si confessus sis omnia tua peccata, & si non, recogita illa benè quantum valeas, & dicito omnia,non tacendo vllum:

Nam si vllum tacueris, vestra confessio nihil valebit, sed potiùs magis offendes Deum. Et aduerte fili mi, quòd Deus, qui nec mentiri, nec decipere potest, edixerit, quòd is qui confessus fuerit Sacerdoti omnia sua peccata, habendo verum dolorem de illis, erit absolutus ab eis, quamuis multa & maxima sint, quia Deus est valdè pius & mansuetus cū illis qui se accusant, & sanguine Iesu Christi remittuntur omnia nostra peccata. Et Sacerdos, qui audit vestras culpas, non potest illas vlli dicere, sed tantum orare Deum pro vobis. Et si vllum peccatum celaueris, Diabolus te accusabit de singulis coram Iesu Christo, & condemnaberis in æternum.

Moneo quoque fili mi, quod si aliquid furatus sis, vel aliquam rem alienam teneas, id manifestes, & iubeas restitui cuique quod suum est: vel si damnum aliquod intulisti proximo tuo, id quoque declara, ad hoc vt tuus Pater cōfessarius videat quomodo satisfieri possit; quoniam non poteris saluus fieri, nisi restituas quod debes.

Si habes propriam substantiam, debes illam relinquere filijs tuis, & Patri, & matri, si supersint: Benè poteris de parte aliqua benè disponere pro anima tua, iubendo, vt aliquæ Missæ pro te dicantur, & alia suffragia fiant, vel vt detur pauperibus. Et hoc debet esse ex libera vestra voluntate, neque quisquam ad id te cogit. Et si non habes filios, nec patrem, nec matrem, poteris facere de re tua quidquid volueris, curando quòd sit ad obsequium Dei.

Si ad te tulerint sanctissimum Sacramentum, aduerte, vt cum magna reuerentia adores Iesum Christum, verum Deum & hominem, Saluatorem nostrum, qui ibi est vnus & verus idem ipse qui est in Cælo, & ipsum suscipies cum magna deuotione, & ages ipsi magnas gratias, quia tàm sublimis Dominus venit ad vnam domunculam tàm vilem ad visitandum pauperculum peccatorem; quod ipse facit propter magnam suam bonitatem, & quia vult saluare animam vestram, cuius sustētatio est illud sacramentum, quod dat vitam æternam illi qui cum puritate & reuerentia ipsum suscipit.

Et quando videbis declinare te ad finem, sancta Mater Ecclesia solet conferre aliud sacramentum extremæ vnctionis, vt animam amplius emundet à peccatis, & det vobis fortitudinem contra vestros inimicos in vltimo transitu mortis. Et si tibi expedit, dabit etiam sanitatem corporis. Propterea fili mi, age magnas gratias Deo. Et esto valde consolatus & lætus pro tàm magnis auxilijs & fauoribus Dei tui, quæ tibi conferuat, ad hunc vltimum transitum vitæ tuæ.

Sed præ reliquis omnibus ore tuo fatere, & corde firmiter tene, quòd velis mori in fide sanctæ Matris Ecclesiæ, vt fidelis eius filius: & tene, & crede totum quod illa tenet & credit, quia in hac fide oportet te saluari. Et specialiter credas, & confitearis, quòd sit vnus solus Deus omnipotens, æternus, & infinitus, Qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: & licet sint tres personæ, non sunt nisi vnus solus Deus viuus & verus. Et hunc solum credas eumque adores, quia reliqui omnes, quos adorabant vestri maiores, erant Dæmo-

mones, & ficti & falsi Dij: & sic ipsos despicias & teneas pro mendacibus, & deceptoribus. Solum hunc Deum, quem Christiani adoramus, adores, in illum credas, quia hic solus est qui fecit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, & creauit hominem, vt acquirat vitam cælestem, quam dat ijs qui ipsi seruiunt, in societate Sanctorum Angelorũ & Iustorum, vbi est requies & gaudium semper sinè fine. O fili mi, qui se ibi videre posset! gaude plurimũ, quòd Deus te illùc vocet, & in ista hora pone fidem & spem tuam in Iesu Christo vestro Saluatore; qui cùm esset filius Dei veri, factus est homo, & natus ex Maria Virgine Domina & Aduocata nostra. Et idem cùm esset Deus, passus est in quantum homo crudeles dolores, & mortem in cruce, vt saluaret nos peccatores; & corpus eius sepultum fuit, & sic mansit tribus diebus, & tertia die resurrexit gloriosus, nunquam amplius moriturus, & ascendit ad cælos, & sedet ad dexteram Dei Patris cum magna gloria, & in fine mundi veniet ad iudicandum omnes homines, & omnes tunc resurgent, & tu etiam in hoc proprio corpore, quãuis terra comestura sit ipsum, quia magna potentia Dei faciet hoc opus mirabile. Et quamuis sis peccator, & multum offenderis Deum, si te conuerteris ad ipsum, & susceperis sacramenta sanctæ Ecclesiæ, ille tibi ignoscet, quia ignoscit illis omnibus, qui vt oportet suscipiunt sacramenta sanctæ Ecclesiæ, vt Baptismum, Pœnitentiam, & reliqua suo tempore. Et malis qui non se conuertunt ad Deum, præparata sunt sæua tormẽta ignis in inferno in perpetuum, in societate Dæmonum, qui sunt nostri inimici, & nos decipiunt, dicendo falsum esse quod Christiani docent, & quòd bonum sit id quod vestri maiores tenuerunt, & se inebriare, accedere mulieres, gaudere voluptatibus huius vitæ, & quòd in infirmitatibus vocetis *Guaccas*, & veneficos, & faciatis, quæ vobis dixerint. Hæc dicit Diabolus, vt vos decipiat. Non credatis illi, sed spuite in illum, & expellite eum à vobis, & vocate Iesum Christum, qui est vester Pater, & vester Deus, qui vult vos saluos fieri. Num credis & confiteris totum quod dixi? Sic confitearis, & firmiter teneas, quia hoc est verbum Dei, quod per os suum nos docuit, & non potest decipere.

Et si peccaueris, timeas iudicium Dei, quia iam debebis apparere coram ipso, & reddere ipsi rationem totius vitæ tuæ: O quàm tremendum est illud ratiocinium! Et quàm terribilis sententia, qua condemnat malos in ignem æternum! Et cum iusti timeant, & tremant, coram ipso, quid erit de magnis peccatoribus? Tamen si tu inuocaueris Iesũ Christum ex toto corde tuo, ipse erit Auxiliator tuus, & liberabit te. Quia quamuis commiseris multa peccata, multò maior est ipsius bonitas, & mortuus est pro te, & suo sanguine lauabit & mundabit te. Ille te pro filio habet, & amantèr te inuitat; quia de cœlo in terram venit, vt peccatores saluos faceret: & in quacunque hora peccator se conuerterit ad ipsum, apperit ille brachia misericordiæ suæ, & recipit eum, quando hominem pœnitet, quod peccauerit, & firmiter proponit non ampliùs peccare. Propterea fili, iam tempus est,

vt

vt reuertaris ad Dominum, & petas veniam omnium tuarum culparum, & criminum. Et vt illa plangas dicendo:

O Dominus meus & Deus meus, quomodo apparebit coram te iste seruus malus, qui toties te offendit, & iram tuam prouocauit? Tàm mala vita quàm est mea, non aliud meretur, quàm æternam mortē & cruciatus absque fine. Quoniam pro vilissimis rebus violaui legem tuam: Ego tuis beneficijs tàm ingratus fui, quòd non merear punctum vitæ. Heù mihi qui tam malus fui, & qui postquam Christianus baptizatus sum, tot peccatis maculaui vitam meam; Quid erit de me ò magnus Dominus, quid medebitur malis meis? Sed ò bone Deus & Pater mi, & tota spes mea Iesu Christe, tu pro me mortuus es, & non velis vt condemner. Et dicas: Ecce me hic in hac cruce vt medear tibi. Nō ergo despicias Domine pauperem & vilem peccatorem inuocantem te, & in te sperantem. Dimitte Domine præterita peccata mea, quoniam ex toto corde doleo, quòd illa commiserim,& malo mori quàm iterum te offendere. Non habeo quod pro tantis peccatis tibi offerā, sed offero tibi Deus meus,& Pater meus ipsa vulnera & flagella tua, opprobria, & istam crucem tuam pro recompensatione peccatorum meorum. Per illum sanguinem tuum, & amorem, quo me amasti, indultum sit mihi. Et si quidquam valeat, offero etiam tibi hanc infirmitatem meam, & dolores quos patior, mortemque, si velis vt transeam: Tantum rogo ne irascaris mihi, & facias de me quidquid placuerit tibi; quia tu es totum desiderium meum, & totus amor meus. O si mereretur anima mea intrare illam Domum tuam gloriæ, ad fruendum bonis tuis in perpetuum! Quam essem fœlix si omnia detrimentum facerem, & hanc etiam vitam corporis, ad fruendum te, qui es vera vita animæ meæ. Heù me! ne me despicias bone Iesu, cùm iam in ista hora non sit cui me committam, nec in quem fidam nisi in te. O quanta voluptate audio Iesu Christe verba tua.

Fili mi, aspice illum in ista cruce extensis brachijs ad recipiendum te: adora & osculare eam, & confide firmiter quòd remittet tibi, & saluus eris. Gloriosa virgo Maria Mater Dei, Aduocata nostra, illa quoque te respicit, & fauet tibi, & defendit te à tuis inimicis. non paueas in ipsius Patrocinio, inuoca ipsam, & ora vt te adiuuet, interpella Sanctos Angelos, & præcipuè Custodem tuum, & Sanctos, & tutelarem tuum,& omnes te iuuabunt, & pro consolatione vestra nos omnes te iuuabimus vocando Deum & omnes Sanctos in Auxilium tuū, si tu ipse ore non poteris, saltem corde non cessabis: vna nobiscum inuocare Iesum Christum.

Appro-

Approbatio Exhortationis, & annexarum litaniarum.

In Processu immediatè post illam exhortationem sequitur hic actus Notarij.

I*Tem fidem adhibeo, quòd à tergo folij quadragesimi noni dicti libri est vna litania Sanctorum, & vna oratio in lingua vulgari, & folio quinquagesimo constat, quod per Sacrum Concilium visa fuerit illa exhortatio, & resolutum fuerit, quòd inducatur in vsum ipsa & eius exemplaria descripta conformiter ad ipsam. Et epocha fuit 23. Septembris 1583. & totum his Chirographis firmatum.*

T. Archiepisc. Regum.
Fr. Anton. Episc. Imperialis.
Sebast. Episc. Cuscensis.
Fr. Didacus Episc. S. Iacobi Chilēsis.
Fr. Episcopus Tucumanen.
Alfons. Episc. Fluminis argenti.

De Mandato Sac. Concilij.

Doctor Valcazar.
Licent. Menachus.

I*Llæ Litaniæ, de quibus hic fit mentio, extant cū eadem exhortatione in Rituali seu Manuali Peruano Fr. Ludouici Hieronymi Orerij Ordinis Minorem impresso Neapoli, anno 1607. fol. 256. & ne quidquam deesse videatur, huc inde ex Hispanico in latinum eas transferre visum est: & sunt sequentes.*

LITANIAE RECOMMENDATIONIS ANIMAE Pro Indis Peruuianis.

Christe audi nostras preces.
Christe exaudi nostras prec.
Pater Cælestis verus Deus. Miser. ei.
Fili Dei Redemptor mundi verus Deus. Miserere ei.
Spiritus Sancte verus Deus. Mis. ei.
Sancta, & gloriosa Trinitas, quæ es vnus solus Deus. Miserere ei.
Sancta Maria. ora pro eo.
Sancta Mater Dei. ora pro eo.
Sancta Virgo Virginum. ora pro eo.
Sancte Michaël. ora pro eo.
Sancte Gabriel. ora pro eo.
Sancte Raphaël. ora pro eo.
Omnes Sancti Angeli Dei. orate pro eo.
Omnes chori beatorum Spirituum. orate pro eo.
S. Ioannes Baptista. ora pro eo.
Omnes Sancti Patriarchæ & pro-

phetæ

phetæ. orate pro eo.
S. Petre. ora pro eo.
S. Paule. ora pro eo.
S. Andrea. ora pro eo.
S. Iacobe. ora pro eo.
S. Ioannes. ora pro eo.
S. Thoma. ora pro eo.
S. Philippe. ora pro eo.
S. Bartholomęe. ora pro eo.
S. Matthæe. ora pro eo.
S. Simon. ora pro eo.
S. Thadæe. ora pro eo.
S. Matthia. ora pro eo.
S. Barnaba. ora pro eo.
S. Luca. ora pro eo.
S. Marce. ora pro eo.
Omnes Sancti Apostoli & Euangelistæ. orate pro eo.
Omnes Sancti discipuli Domini. orate pro eo.
Omnes Sancti Innocentes. orate pro eo.
S. Stephane. ora pro eo.
S. Laurenti. ora pro eo.
S. Vincenti. ora pro eo.
SS. Fabiane & Sebastiane. or. pro eo.
SS. Ioannes, & Paule. orate pro eo.
SS. Geruasi & Prothasi. orate pro eo.
Omnes Sācti Martyres. orat. pro eo.
S. Syluester. ora pro eo.
S. Gregori. ora pro eo.
S. Ambrosi. ora pro eo.
S. Augustine. ora pro eo.
S. Hieronyme. ora pro eo.
S. Martine. ora pro eo.
S. Nicolaë. ora pro eo.
Omnes Sancti Pontifices & Confessores. orate pro eo.
Omnes Sācti Doctores. orat. pro eo
S. Benedicte. ora pro eo.
S. Antoni. ora pro eo.
S. Bernarde. ora pro eo.
S. Dominice. ora pro eo.
S. Francisce. ora pro eo.
Omnes Sancti Monachi & Eremitę. orate pro eo.
Omnes Sancti Sacerdotes & Leuitæ. orate pro eo.
S. Maria Magdalena. ora pro eo.
S. Agatha. ora pro eo.
S. Lucia. ora pro eo.
S. Agnes. ora pro eo.
S. Cæcilia. ora pro eo.
S. Catherina. ora pro eo.
S. Anastasia. ora pro eo.
Omnes Sanctæ Virgines & viduæ. orate pro eo.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei. Intercedite pro eo.
Propitius esto. parce ei Domine.
Propitius esto. libera eum Dom.
A tua magna ira. lib. eum Dom.
A periculo mortis. lib. eum Dom.
A mala morte. lib. eum Dom.
A pœnis inferni. lib. eum Dom.
Ab omni malo. lib. eum Dom.
A potestate Diaboli. lib. eum Dom.
Per Mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ. lib. eum Dom.
Per Aduentum tuum, & Natiuitatem tuam. lib. eum Dom.
Per Baptismum & Sanctum ieiuniū tuum. lib. eum Dom.
Per Crucem & passionem tuam. lib. eum Dom.
Per mortem & sepulturam tuam. lib. eum Dom.
Per Sanctam resurrectionem tuam. lib. eum Dom.
Per ad mirabilem ascensionē tuam. lib. eum Dom.
Per Aduentū Spiritus Sancti Paracliti. lib. eum Dom.
In die iudicij. lib. eum Dom.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Vt ei parcas. Te rog. audi nos.
Vt eum adiuues. Te rog. audi nos.
Vt eum defendas. Te rog. audi nos.
Vt eum salues. Te rog. audi nos.

Pater

Pater noster, *Aue Maria*, *Credo in Deum*, *&c.*

O R A T I O.

MIsericors Domine, qui non vis mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat: rogamus te per sacram passionem tuam, vt in hac postrema hora miserearis animæ huius serui tui, & dimittas omnia peccata ipsius: & virtute gratiæ tuæ facias ipsum participem vitæ æternæ, qui es ipse Iesus Christus; Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas vnus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Notæ in has Litanias.

QVòd istæ Litaniæ non per omnia sint cõformes illis quibus vtitur Ecclesia Romana in commendatione animæ, prudenti consilio factum esse videtur. Nam quòd in principio omiserint *Kyrie eleyson*, quod in Romanis Litanijs est, & eius loco apposuerint inuocationem Christi, & Sanctißimæ Trinitatis, quod in illis omittitur, ideò factum est, quia cùm immediatè subnectantur exhortationi, cuius vltima clausula & extrema monitio fuit, vt infirmus iuuaret assistentes ad Christum pro ipso inuocandum, congruum erat, vt inuocatio ipsa à Christi nomine inchoaretur. Quòd non dixerint, *audi nos*, & *exaudi nos*, sed *audi*, & *exaudi nostras preces*, hoc ideò factum est, vt sacrarum precũ, & sanctæ orationis virtutem amplius exprimerent, quam in Catechismo, & ipsa exhortatione tantoperè commendarunt, vt efficax medium acquirendi gratiam Dei, & reliqua quibus ad salutem indigemus; & vt ostenderent populo in sacra doctrina adhuc rudi Christum precibus placandum & inuocandum esse. Eademque ratio fuit, cur addiderunt Sanctissimæ Trinitatis inuocationem quæ in Romanis omittitur, vt scilicet eiusdem Trinitatis in vna sola essentia, cuius Christus filius secunda persona est, inculcarent. Quod & sanos & multo magis moribundos credere oportet ad salutem.

Quòd dixerint non *Pater de Cœlis Deus*, sed *Pater Cœlestis Deus*, omninò necessarium fuit, quoniam in idiomate Hispanico id sic exprimere deberẽt, *Padre de los Cielos Dios*. Et forte etiam sic in linguis Indorum, quod latinè idẽ est, ac *Pater Cœlorum Deus*, vnde periculum foret, ne Indi, qui Cælos, & Solem, & Lunam, à Diabolo decepti, pro Dijs colebant, in suo errore confirmarentur putantes, Deum viuum esse Patrem Cælorum, & cælos esse viuos eius filios, & pariter Deos. Quod etiam in 3. 4. & 5. inuocatione addiderunt nomini Dei epitheton *verum*, factum est vt excluderent falsos Deos illorum gentilium. Propter quod etiam in 6. inuocatione addiderunt adiectiuum *solus*, vt declararent, non esse alium Deum præter illum Vnicum, qui est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnus in essentia, & trinus in personis, & ille vnicus & solus Deus, negando Deitatem omni alij rei præter ipsum. Ad inuocationem S. Mariæ addiderunt alias duas: *Sancta Mater Dei*, & *Sancta Virgo Virginum*, vt indicarent diuinã eius maternitatem & supernaturalem singularemq; virginitatem, in quibus præcipua eius Dignitas, & super omnes mulieres & creaturas puras excellentia consistunt. Expresserunt plurium Angelorum nomina quam in Litanijs Romanis commendationis animæ reperiuntur, vt illa magis familiaria gentili populo redderent, ipsumq; prouocarent ad eorum cultum & deuotionem, per has Litanias quas in singulis suis domibus audiunt, cùm Litanias

maiores, in quibus aliàs pronunciantur, non omnes etiam in Ecclesijs frequentent. Veteris testamenti Sanctos Abel, Abraham cautè siluerunt, quia cùm prædicarent neminem sine Christi Baptismate, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ communione saluari posse, periculum fuit, vt populus nondum intelligens per merita Christi illos etiã antiquos saluos factos fuisse, putarent posse aliquem saluari sine Baptismate & cõmunione Ecclesiæ Romanæ, quorum neutrum habuerunt illi dum viuerent, cùm tamen saluati sint & Sancti. Addiderunt in fine tres illas petitiones, *Vt eum adiuues, Vt eum defendas, Vt eum salues*. Nam vt hæc ipsa in Catechismo docuerunt, & Parochus in exhortatione promisit, opportunè hic exprimuntur, tum vt eorum obtinendorum spem & desiderium in ipso infirmo excitent, tum vt adiunctis assistentium precibus obtineantur. Reliqua omnia vel ex ipsis Romanis Litanijs commendationis animæ, vel ex Litanijs maioribus Ecclesiæ desumpta sunt. Nec nouum aut insuitatum est in ipsa Ecclesia Romana Litanias communes pro varijs occasionibus variare: Nam non eodem modo proponuntur in cõmendatione animæ, & post Psalmos pœnitentiales; nec hæ ipsæ maiores eædem per omnia recitantur priuatim, vel in publicis processionibus, quæ recitantur in precibus quadraginta horarum, & ante Missam Sabathi sancti.

Ex his nunc apparet, has Litanias Peruuianas non comprehendi in Decreto sancti officij corã Clemẽte VIII. edito 8. Idus Septembris anno 1601. quod extat in fine Indicis prohibitorũ Alexandri VII. pag.291.

Primò. Quia rationes edendi illud salubre Decretum in his non reperiũtur: prima enim est, *quia multi priuati etiam homines prætextu alendæ deuotionis nouas quotidie Litanias euulgant, vt iam propè innumerabiles formæ Litaniarũ circumferantur*. Istæ verò Litaniæ, de quibus agimus, non à priuatis hominibus, sed à publica Synodo Prouinciali, per Sedem Apostolicam approbata, euulgatæ sunt. Neque id prætextu promouendæ deuotionis tantum, sed magna vtilitate & necessitate instruendi populum infidelem ad fidem, & excitandi in ipsis affectus & actus illarum virtutum, quæ ad salutem animarum necessariæ sunt. Nec vt plures extarent formæ Litaniarum, sed potiùs è contrario, & conformiter ad decretum, vt vna esset omnium Indorum forma, & tollerentur diuersæ, quibus Sacerdotum quilibet pro suo captu, & conceptu vtebatur. Secunda ratio est, quia *in nonnullis ex Litanijs prohibitis ineptæ sententiæ inueniebantur*; sed in his nihil tale, sed omnia piè, grauiter, & sapienter concepta. Tertia ratio est, quia *in alijs periculosæ sententiæ, & errorem sapientes inueniebantur*. Sed in his nullus error aut periculum eius est: quin potiùs vt errores tollerentur, & euitaretur omne periculum, Fidei mysteria distinctè & fortiter inculcantur, & alia cautè & prudẽter vel addita, vel omissa sunt, vt superiùs ostendimus.

Secundò. Quia in his Litanijs Peruanis luculenter completur finis illius præcepti in Decreto his verbis expressus: *Vt animarum deuotio, Deiq; ac Sanctorũ inuocatio sine vllius detrimenti spiritualis periculo foueatur*. In his autem tantum abest eiusmodi periculum, vt potius pericula quæ esse possent, clara & distincta verborum expressione præueniantur.

Tertiò. Quia Clemens VIII. Pontifex in suo Decreto concedit retineri Litanias, quæ in Ritualibus continentur. Et istæ nostræ continebantur in Rituali Peruano diù ante editionem illius Decreti, hoc est ab anno 1583. vt constat ex actis Concilij Prouincialis Limensis eo anno celebrati, & ex actu Notarij superiùs descripto ex processu ad sacram Congregationem Rituum ad Almam Vrbem transmisso. Ergo illa non comprehenduntur inter Litanias in Decreto prohibitas.

Et hanc existimo esse rationem ob quam Romæ doctissimus vir P. Thomas Maluenda Ord. Prædicatorum, Reuerendissimus P. Io. Maria Brasichelensis sacri Palatij Apostolici Magister, nulla facta mentione prædicti Decreti, vel vllius similis approbauerunt ad

pre-

prelum Rituale illud Patris Ludouici Hieronymi Orerij, in quo tam Hispanica, quam quatuor diuersis Peruuianæ Prouinciæ linguis continentur inter alia vterque Catechismus, vtraque exhortario & Litaniæ à nobis superiùs descriptæ: quod cum operis & Authoris laude prius in ipsa Peruuia fecit post Prouinciale Concilium Illustriss. D. Antonius de Reya Episcopus Cuscensis, & ipsius designati censores. Et in Hispania iussu Senatus Indici Fr. Petrus de Paredes Præsentatus & Prædicator generalis, & Fr. Io. Brauo Ord. S. Augustini. Et ipsum imprimendi licentiam concessit Fr. Episcopus & superintendens generalis, subscripto M. Cornelio Tirobosio Prædic. Ord. Curiæ Archiepiscopalis Theologo, vt authumo, Neapoli, vbi liber impressus est: Præter facultates Fr. Archãgeli à Messana Ministri generalis totius Ordinis S. Francisci, & Fr. Ioann. à Cepeda Commissarij generalis Indiarum, & Fr. Ioann. à Venido Commissarij generalis Peruuiæ. Quæ omnia habentur in principio ipsius libri impressi Neapoli, apud Ioannem Iacobum Carlinum, & Constantinũ Vitalem anno 1607. hoc est sex annis postquam Clemẽtis VIII. seu sacræ Inquisitionis Decretum editum fuit. Et viginti quatuor postquam hic Catechismus cum superius annexis approbatus fuerit, ab ipso Concilio Limensi anno 1583. cuius acta iussu Sũmi Pontificis tunc Sixti V. recensita, & approbata fuerunt: vt constat ex Epistola A. Cardinalis Carafæ data Romæ die 26. Octobris 1587. & in principio ipsius Concilij impressa, ex quibus caput tertium actionis secundæ est de huius Catechismi editione, & vsu sub pœna excommunicationis indictis, quibuscumque alijs exclusis.

DVBIA D. TORIBII ARCHIEPISC. LIMANI

Circa celebrationem Concilij Prouincialis, cum rescriptis S. Congregationis Interpretum Concilij Trid.

Nunc verò cùm Toribius Archiepiscopus doctus & prudens fuerit, multa preuidit, & procul dubio in hoc ipso Concilio celebrando expertus est, quæ in eiusmodi sacris concessibus negotium facessere possent: vt erat æque Apostolicæ Sedis obseruantissimus, ad eam, tanquam ad columnam & firmamentum veritatis recurrens, dubia sua proposuit, & sacra Congregationi Interpretum Concilij Tridentini responsa retulit. Quæ tametsi ære notam non præferant, ex eo tamen quod Sixti V. Pontificis mentionem habeant, constat non ante huius Concilij Prouincialis celebrationem rescripta fuisse: cum Concilium celebratum sit anno 1583. & Sixtus anno 1585. Pontificatum inierit. Ant. à Leone ea expedita refert anno 1586. ex copia authentica Secretariæ Senatus Madritensis Indiarum. Et vt voluit Toribius ijs oraculis firmari, quo porrò certiùs & expeditiùs in reliquis officij sui progredi valeret, sic alijs etiam prodesse poterunt. Quapropter cum ad manus nostras deuenerint, visum est ea hic tùm ad rei memoriam, tùm ad publicam vtilitatem proferre.

Reuerendissimus Dominus Toribius Alfonsus Mogrouio Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Ciuitatis Regũ in Indijs *maris del Zur*, & Prouincia *del Peru* supplicat Illustrissimis D.D. Cardinalibus sacræ Cõgregationis Concilij Tridentini, quatenùs dignentur respondere, quid per ipsum & Episcopos Suffraganeos tenendum sit, infrascriptis Declarationibus.

Primò. An Concilium Prouinciale possit cognoscere de omnibus causis vertentibus in prima instantia coram Episcopis Suffraganeis?

Ad primum. Congregatio Concilij censuit posse cognoscere, non solum de his causis, quæ specialiter eius iudicio à iure & Concilio Tridentino reseruatæ sunt, sed de omnibus tam Ciuilibus, quam Criminalibus, quæ dubia nõ sint, quæque breui tempore possunt expediri, & alioqui iuxta canonicas sanctiones in ea tractari & definiri possunt. Si tamen in prima instantia coram locorum Ordinarijs illæ introductæ reperiantur, non posse auocari nisi in casibus & modis à iure permissis.

2 An de causis pendẽtibus coram Episcopis, vel eorum Vicarijs possit appellari ad Concilium omisso Archiepiscopo?

Ad secundum. Posse.

3 An Concilium poterit cognoscere de causis pendentibus coram Archiepiscopo, & illas ad se aduocare?

Ad tertium, vt supra ad primũ.

4 An possit appellari ab Archiepiscopo ad Concilium, vel an debeat appellari ad Papam?

Ad quartum, posse ad vtrumq;

5 An possit appellari à Concilio ad Archiepiscopum, vel eius officialem generalem?

Ad quintum. Non posse.

6 An Archiepiscopus solus iustis de causis possit absq; alijs Episcopis dissoluere Concilium?

Ad

Ad sextum. Non posse, nisi de Concilio & consensu Coëpiscoporum.

7 An Archiepiscopus tanquam caput Cõcilij, & inibi præsidens possit mandare & ordinare in Concilio Prouinciali; ita quòd reliqui Episcopi non possint illum impedire, aut perturbare quãdo dixerit, quòd quis taceat, vel quòd præsẽtetur aliquod scriptum, vel libellus, aut quod pro tunc non legatur, vsque ad alium diem, seu quòd quis exeat è Concilio, & occurrendo quòd aliquis Episcopus impediuerit, aut perturbauerit, aut contra Archiepiscopum inurbanus extiterit, an Archiepiscopus possit procedere contra talem?

Ad septimum. Directionem Concilij, sicut & mandare ne quis loquatur extra locum, neuè perturbetur Concilium, ad Archiepiscopum pertinere: cætera verò, de quibus quæritur, nõ spectare ad illum solum, nisi de Concilio & assensu Coëpiscoporum.

8 An Archiepiscopus possit procedere per censuras & alias pœnas contra Episcopos illos, qui vsurparent Archiepiscopi iurisdictionem in Concilio, siuè aliud volentes cognoscere de aliquibus causis Tribunalis, & Curiæ ipsius Archiepiscopi?

Ad octauum. Non posse nisi extra Concilium Prouinciale, iuxta canonicas sanctiones.

9 An Concilium Prouinciale possit committere Iudicibus & personis particularibus negocia quæ indefinita remanerent tempore dissolutionis aut finis Concilij, vt illa ipsi determinarent post finem impositum Concilio?

Ad nonum. Non posse nisi in causis in Concilio Tridentino, & iure expressis.

10 Ad quem appellari debeat à Iudicibus præfatis, qui de proximè dictis negocijs, seu causis cognouerint?

Ad 10. Debere ad Primatem, vel Patriarcham, vel ad Papam.

11 An Concilium Prouinciale poterit capere informationem, aut formare processum contra aliquem Episcopum suspectum aut accusatũ ibi de causis grauioribus ad effectum transmittendi probationem & processum ad Sanctissimum Dominum nostrum Papam?

Ad 11. Congregatio Concilij respondit, posse capere summariam informationem extraiudicialiter, quam transmittat ad Sanctissimum, vt subindè valeat deliberare, quid factu opus sit.

12 In minoribus causis criminalibus Episcoporum, quæ iuxta Cõcilium Tridentinum sunt cognoscẽdæ in Concilio Prouinciali, vel à deputandis per Concilium Prouinciale, an isti deputandi debeant esse Episcopi?

Ad 12. Congregatio Concilij respondit, ob reuerentiam Pontificij officij huiusmodi causas Episcopis debere committi, si tamen Concilio Prouinciali aliter ex causa visum fuerit, posse etiã non Episcopos deputari.

13 Isti deputandi ad causas Episcoporum, vt supra, an possint cognoscere de ipsis post terminatum & definitum Concilium?

Ad 13. Posse.

14 An in Concilio Prouinciali possint tractari, & definiri causæ criminales minores Episcoporum, non existenti inibi numero 12. Episcoporum à iure requisito?

Ad 14. Posse.

An

15 An Metropolitanus possit cognoscere de causis ciuilibus Episcoporum?

Ad 15. Posse quando Episcopus agit contra Episcopum, & ubi subditus Episcopi agit contra Episcopum, cæteroqui non posse, nisi in casibus à iure expressis.

16 An Concilium Prouinciale possit cognoscere de causis ciuilibus Archiepiscopi?

Ad 16. Non posse.

17 An Concilium Prouinciale poterit cognoscere de causis criminalibus minoribus Archiepiscopi? & dato quod sic, an poterit procedere ad maiora, quam ad charitatiuam correctionem?

Ad 17. Non posse, sed tantum denunciare, etiam cum aliqua informatione extraiudicialiter sumpta.

18 An Concilium Prouinciale possit punire Prouisorem, seu officialem generalem Archiepiscopi, & procedere contra illum in causis criminalibus?

Ad 18. Posse.

19 An Concilium Prouinciale aliquibus de causis possit suspendere visitationem omnium Episcopatuũ Suffraganeorum, donec definitum fuerit Concilium?

Ad 19. Non posse suspendere eam Visitationem quam Episcopi legitimè impediti per suos generales Vicarios, aut per Visitatores obeunt.

20 Item ex quo in Concilio Tridentino cauetur, quòd Archiepiscopus possit visitare Suffraganeos causa cognita & probata in Concilio Prouinciali, an sit necessarium facere informationem de causis vrgentibus, vt debeant visitari, & an debeat primitùs Episcopus vocari, & audiri in Concilio prædicto, vt videatur quid respondet antequam Concilium Prouinciale ordinet, & declaret, quòd sit locus, vt Archiepiscopus visitet, vel an sufficiat, vt Conciliũ Prouinciale declaret, quòd dictus Archiepiscopus possit visitare Suffraganeos, quòd adsit quærela, & libellus, seu memorialia contra dictos Episcopos, & personas suarum Diœcesum, absque eo quòd dictus Episcopus, & reliquæ personæ sint præsentes?

Ad 20. Ita esse necessarium, & Episcopum audiendũ: & de secunda parte non sufficere, sed opus esse, vt causa visitationis decernendæ cognoscatur, & probetur.

21 An Episcopi possint in rebus de moribus & vita, & administratione Sacramentorum visitare, corrigere, & punire Regulares docẽtes fidem Catholicam Indos Ethnicos illarum partium, & quomodo debeat intelligi Decretum Concilij disponens, quòd viuẽtes extra Claustra possint corrigi, & puniri ab Ordinario, & an isti Regulares deputati ad docendum istos Ethnicos dicentur viuere extra Claustra ad effectum corrigendi & puniendi illos, & an superior & Prælatus horum talium Regulariũ docentium Ethnicos poterit illos remouere sine licentia Episcopi?

Ad 21. Posse puniri, & de deputatis ad docendum Ethnicos, ratione quòd dicuntur viuere extra Claustra, & superiorem posse illos remouere, id tamen significandum Episcopo, vt de successore prouideat.

22 Quando Episcopus nominauerit hos Regulares ad docendum istos Indos, vel Ethnicos, an hi depu-

deputandi debeant examinari ab examinatoribus deputatis in Synodo Diœcesana, & ab ipso ordinario insimul, vel sufficiat examinari à solo Episcopo?

Ad 22. Examinandos ab Ordinario.

23 An sit reuocata Bulla siue Motus proprius, fel. rec. Pij V. concessus ad instantiam Catholicæ Maiestatis, vt regulares absquè examine per Episcopos faciendo possent administrare Sacramenta Indis, per aliam Bullam Sanctissimi D. Nostri Gregorij Papæ XIII. in qua confirmantur priuilegia Ordinum Mèdicantium in his in quibus non sunt contraria Concilio Tridentino: & in hoc quod isti Regulares non examinarentur ab Episcopo ad administrationem Sacramentorum, videntur esse contraria Concilio, ac propterea an debeant Regulares examinari ab Episcopo ad administrationem Sacramentorum?

Ad 23. Esse reuocatam Bullam, & Regulares prædictos esse examinandos iuxta formam Concilij.

24 An possint ingredi Monasteria Monialium personæ seculares ad deferendum pro Monialibus victum, & vestitum, videlicet, ligna, aquam, farinam & frumentum, & reliqua cibaria, & sic sartor poterit intrare ad capiendum mensuram vestium, & hortulanus ad colendum hortos, & alius ad occidendum arietes siuè boues, aut alia animalia: & ita ipsæ Moniales pro communi seruitio poterint intrà Claustra Monasterij, retinere mulieres seculares non professas, nec habitu Monialium indutas, quę non possint exire ab isto Monasterio?

Ad 24. Posse eos ingredi, quorum opera ad victum necessaria non potest extra præstari, nec posse retinere mulieres sæculares.

25 An aliqua mulier sæcularis nobilis vel ignobilis, quæ indigeat propter aliquem Casum fortuitum recludi in Monasterio, vt vitæ & saluti caueat, possit ingredi Monasterium, & inibi pernoctare, & permanere?

Ad 25. Posse arbitrio Episcopi, cuius conscientia oneratur.

26 An possit eligi in Priorissam vel Abbatissam vna Monialis, quæ nondū adimpleuerit annos professionis requisitos a Sacro Concilio Tridentino, quando nulla alia in illo Monasterio habet partes requisitas, minusquè adest aliud Monasterium Monialium eiusdem Ordinis, à quo possit capi Abbatissa; vel an possit tunc eligi & extrahi alia Monalis ab alio Monasterio alterius Ordinis, vt eligeretur in Abbatissam vel Priorissam illius Monasterij, in quo deest Monialis partes requisitas habens?

Ad 26. Non posse eligi ex Monasterio alterius Ordinis, sed vtiquè posse ex proprio Monasterio quampiam deligi, quæ iuxta c. Indemnitatibus in 6. trigesimum annum expleuerit, & expressè professa sit.

27 Si in vno Monasterio Monialium nulla sit Monialis habens ætatem, professionem, & qualitates requisitas a Sacro Concilio Tridentino, vt possit esse Priorissa vel Abbatissa, & in illa ciuitate vel loco nullum aliud Monasterium Monialium existat, prout in oppido, ciuitate nuncupata, de Chili an possit eligi in Priorissam vel Abbatissam vna Mo-

nia-

nialis non habens ætatem, & qualitates supradictas, & casu quò non, tunc petatur licentia à Sanctissimo Domino nostro Papa?

Ad 27. Postulandam à Sanctissimo, qui propterea quòd Monasterium est longè dissitum, vtpotè in Indijs, benignè indulget Ordinario, vt proximiorem qualitatibus à Concilio Tridentino requisitis Monasterio præficiat.

28 An Moniales priuatim possint habere aliquos redditus pecuniarum, siuè aliquos census relictos, & legatos ab aliquibus consanguineis, vel alijs personis pro earum subuentione?

Ad 28. Non posse, sed omnia ad manus Abbatissæ deferri oportere, quæ imprimit illius Monialis necessitatibus debeat prouidere.

29 An Visitatores Monasteriorum Monialium possint ingredi illarum Monasteria antequam ipsis constet ex relatione ipsarum Monialium, vel aliarum personarum adesse Causam vrgentem ad ingrediendum?

Ad 29. Non posse, nisi ex Causa.

30 An aliquis Episcopus alienæ Diœcesis possit celebrare Ordines in aliquo Monasterio Regulariũ inuito proprio Episcopo illius Diœcesis, sub quo est Monasterium, si ipsum Monasterium habeat indultum à Sede Apostolica, vt inibi Ordines celebrari possint?

Ad 30. Non posse.

31 An Archiepiscopus possit absoluere excommunicatos comparentes coram ipso per appellationẽ, non visis actis, præstita tamen cautione de stando Iuri, & an caput 4. Decreti de ref. Sess. 13. procedat in isto casu?

Ad 31. Congregatio Concilij censuit posse ad cautelam, visis tamen actis quibus Iurisdictio eius fundetur, quamuis aliter de causæ meritis non cognoscat: diffinitiuè autem, nisi visis omnibus actis primæ instantiæ iuxta dicti Decreti sess. 13. cap. 2.

32 An pro Seminarijs Ecclesiasticis puerorum debeant contribuere omnes Dignitates, & Beneficia existentia de iure patronatus Catholicæ Maiestatis, aut aliorum laicorum?

Ad 32. Debere.

33 An Populus audiens Sacrificium Missæ debeat sedere ad Cantũ *Gloria in Excelsis Deo*, & *Credo*, & alia, de quibus dicitur in Missali, attẽta cõsuetudine se erigendi ad præmissa, & an ad reliqua populus debeat genibus flexis interesse.

Ad 33. Obseruandas Missalis rubricas, laudabilesquè item consuetudines.

34 An in Missa in Collecta nouissima possit dici & decantari: *& famulos tuos Papam, Regem, Reginam, & Principem nostros Custodi?*

Ad 34. Sanctissimus annuit.

35 An virtute Breuis in istis partibus existentis, vt Indi possint absolui ab omnibus casibus quomodocunque reseruatis Papæ, & à censuris & casibus contentis in Bulla cœnæ Domini. Quod Breue est Papæ Pauli III. de quo fit mẽtio in Bulla Cruciatæ Sanctæ, Episcopi, & Archiepiscopi, & ab illis nominati poterunt absoluere Indos ab Idololatrijs per eos commissis, & an virtute dicti Breuis Rectores Parochialium Indorum solum ratione Rectoriæ poterunt absoluere Indos à dictis Idololatrijs, absque eo

quod

quòd sit necessarium quòd Prælatus illos nominet, & particulariter dicendo, quòd illos nominat, vt virtute dicti Breuis suæ Sanctitatis absoluāt ab omnibus casibus Papæ reseruatis, & contentis in Bulla Cœnæ Domini, & an erit necessarium in tali nominatione Rectoribus fienda particulariter exprimere, quòd possint absoluere ab Idololatrijs?

Ad 35. Posse absoluere vel per se ipsos, vel per alios ab ipsis deputatos.

36 Item in istis partibus sua Sanctitas concedit illarum Prælatis, quòd possint absoluere à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ, & contentis in Bulla Cœnæ Domini, & pari modo, quòd possint absoluere à suspensionibus, & irregularitatibus, & in omnibus illis dispensare. an Archiepiscopi,& Episcopi,quibus est necessariū posse facere,si supra dicta incurrerint, & inciderint in dictis casibus reseruatis,& suspensionibus, ac irregularitatibus, poterint delegare vices suas alicui Sacerdoti, vt illos absoluat à dictis casibus, censuris, & suspensionibus, ac irregularitatibus?

Ad 36. Posse.

37 Quia in cap. 1. Decret. de reformatione sess. 21. Concilij Tridentini cauetur, quòd Notarij pro singulis litteris collationis ordinum decimam tantùm partem vnius aurei accipere possint; an Notarij illarum partium, in quibus res maximo pretio venundantur, exigere debeant pro singulis dictis litteris dictam decimam partem, non obstante maximo pretio rerum?

Ad 37. Posse exigere quintam ex permissione Sanctissimi Domini Nostri Sixti Quinti.

Ita reperitur in Regesto authographo Decretorum sacræ Congregationis Concilij. In quorum fidem, &c. Datum Romæ hac die 27. Iulij 1666.

C. de Vecchijs Episcopus Clus. S. C. C. Secret.

Loco ✝ Sigilli.

Gratis etiam quoad scripturam.

Lib. Decretorum 4. pag. 112.

R CON-

CONCILIVM
PROVINCIALE
LIMANVM SECVNDVM.

QVOD

Gregorio XIV. Romano Pontifice, & Philippo II. Hispaniarum Rege, Noui Orbis Domino, celebrauit

D. Toribius Alfonſus Mogrouejus, Archiepiſcopus Limenſis in ipſa ſua Ciuitate Lima, Anno Domini MDLXXXXI.

Toribius Archiepiſcopus acceptis ad dubia, quæ S. Congregationi propoſuit, illis reſponſis, quæ ſuperiùs immediatè produximus, accinxit ſe ad ſecundum Prouinciale Concilium ſeptimo poſt alterum anno celebrandum, iuxta indultum ipſi factum per Apoſtolicum Breue Greg. XIII. Pontificis, eiſdemque reſponſis in Concilio vſus eſt. Nos huius ſacri Concilij Prouincialis nulla parerga in Actis reperimus, non litteras conuocatorias, non alloquium Archiepiſcopi Præſidentis ad Patres, non Decretum inchoationis, vel promulgationis, non approbationem Apoſtolicam, non nomina eorum, qui interfuerunt, nec alia ſuperiori Concilio adiecta, ſed nuda Decreta ſequentibus Capitulis diſtincta, & ipſius Archiepiſcopi, atque Fr. Gregorij Cuſquenſis Epiſcopi Suffraganei, & duorum ipſius Concilij Secretariorum Chirographis, abſque loci vel temporis nota ſubſcripta. Sic reperi, ſic reddo.

Cap. I.
De viſitandis Regularibus, qui regunt doctrinas, ſeu Parochias Indorum extrà Cœnobia.

RELIGIOSI exempti, qui in his partibus & Prouincijs non habent Prælatos ſui Ordinis, vel aliorum, quibus ſubiecti ſint: Itemque Religioſi non exempti, qui habuerint Prælatos in his partibus, quibus fuerint ſubiecti, & qui dederint litteras obedientiales, vt illi maneant, & reſideant in Doctrinis, ſeu Parochijs Indorum, ſancta Sacramenta eiſdem adminiſtrando, (ſiue doctrinæ in quibus reſidebunt, ſint proximæ, ſiue ſeparatæ ac diſtantes à Cœnobijs, in quibus ſunt ipſorum Prælati & ſuperiores) ſint ſubiecti viſitationi, punitioni, & correctioni Ordinarij, quoad mores, vitam & adminiſtrationem Sacramentorum, iuxta canonicas ſanctiones; ſiue viſitatio fiat per Epiſcopum vel Archiepiſcopum perſonaliter, ſiue, ipſis legitimè impeditis, per ipſorum

Vica-

Vicarium generalem, aut visitatorem, iuxta Decretum sacri Concilij Tridentini sess. 6. c. 3. de reform. quo sancitur quòd Regulares degētes extra Monasteria, tametsi Religio habeat priuilegium, si deliquerint, sint subiecti Ordinario loci, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, quoad visitationem, punitionem & correctionem, iuxta dictas canonicas sanctiones, ac etiam iuxta declarationem S. Cōgregationis Illustriss. Cardinalium Interpretum dicti sacri Concilij Tridentini expeditam ad instantiam Metropolitani harum Prouinciarum, cuius authographum penes se habet, in quo dicta Congregatio resoluit Regulares, qui dictas Doctrinas tenent, viuere extra Monasteria, ad dictum effectum vt possint castigari: Et eiusdem Concilij Trident. sess. 24. c. 3. de reform. vbi decernit, quòd Episcopi & Archiepiscopi & alij superiores visitent per seipsos, aut legitimè impediti per suum Vicarium generalem vel visitatorem: & vt hoc obseruetur & compleatur, non obstantibus priuilegijs quæ allegabuntur in contrarium; propterea quòd reuocata sint in quantum sunt contraria S. Concilio, Tridentino, per Sanctitates Pij V. & Gregor. XIII. iuxta dictam declarationem prædictorum Dominorum Cardinalium.

Trident.

Responsum ad dubiū 21. Toribij supra.

Trident.

Cap. II.

De visitandis Regularibus, qui viuenter & residentes in Monasterijs administrant Sacramenta, exercentes munia parochialia.

Religiosi, qui in suis Monasterijs residentes administrant sancta Sacramenta, exercendo curam parochialem in doctrinis vel beneficijs existentibus intra ipsa Monasteria; & in parochialibus, quæ sunt Ecclesiæ ipsorum Monasteriorum, in quibus officia diuina & Missæ celebrantur per Religiosos ipsorum conuentuum, visitationi, iurisdictioni, & correctioni Episcopi loci subsunto in eis quæ pertinent ad curam animarum, & administrationem Sacramentorum, iuxta determinationem S. Concil. Tridentini sess. 25. cap. 11. de Regularibus.

Trident. *Vide excepta per idem Concil. eod. cap. 11.*

Cap. III.

Religiosi Doctrinis præfecti non possint administrare Sacramenta sine licentia & examine Ordinarij.

Religiosi Rectores Doctrinarū, quamuis cōstituti in Doctrinis & Beneficijs, etiam ad nutum amouibiles, non administrent sancta Sacramenta, sine licentia, consensu, & examine Episcopi, vel ipsius Vicarij; reuocatis, vt iam reuocata sunt, ipsorum priuilegijs motus proprij: præsertim illo Pij V. fel. mem. impetratus ad instantiā Catholicæ Maiestatis Regis Philippi, per Motum proprium Gregorij XIII. in quo reuocat priuilegia Ordinum, & ea non confirmat, in quantū sunt contraria Concilio Tridentino, vt est illud Priuilegium Pij V. contrarium eidem Concil. sess. 25. cap. 11. de Regular. iuxta declarationem Illust. Cardinalium Interpretum eiusdem S. Concilij, ad petitionem dicti Metropolitani pro decisione & declaratione præsentis casus editam, & iuxta decretum Concilij Prouincialis

Trident.

In resp. ad 23. Toribij supra.

R 2 in

Concil. Prou. I. Act. 2. c. 12. & 14.

in his Prouincijs celebrati in hac Ciuitate Regum, anno 1583. & approbati per suam Sanctitatem, in quo sancitur quòd Clerici & Religiosi nō possint administrare sancta Sacramēta absque licentia,& approbatione Ordinarij: Quæ declaratio dictorum D.D.Cardinalium est penes eundem Metropolitanum.

Ista declarationes hic toties allegata habentur superius immediatè ante hoc II. Conc.

Cap. IV.

Iudices & Gubernatores sæculares nō se intromittant in assignando salaria Sacerdotibus in Doctrinis & Beneficijs.

Ministri sæculares,aut alij Gubernatores, cuiuscunq;qualitatis sint, non se interponant in assignando salaria Rectoribus Parochiarum Hispanorum vel Indorum, sed id relinquant, Ordinarijs Ecclesiasticis, quibus reseruatum est, & competit iuxta determinationem S. Concil.Trident. & Conciliorū Prouincialium huius Prouinciæ. In qua re procedetur per Iudices Ecclesiasticos contra transgressores, & perturbatores prout expedierit.

Trid. sess. 21. in decret. de reform. Conc. Prou. I. Act. 2. cap. 40. Act. 4. cap. 5. & 16.

Cap. V.

Salaria Doctrinarum non reducantur vel diminuantur per Gubernatores, aut Ministros sæculares.

Excessui & abusui occurrere cupientes, per quos Pro-Reges, Gubernatores, & alij Ministri sæculares se interponebant, & interponunt in reducendo seu diminuendo salaria Rectorum doctrinalium;cùm hoc ipsis iure sit prohibitum, Ordinarij nullo modo permittant id fieri; sed cum omni rigore procedant aduersus eos qui contra fecerint, vel intentauerint; conenturq; hoc ad debitam executionem perducere,id maximè attendentes,quòd in his partibus tam tenuia sint stipendia & salaria, & quòd sub grauibus censuris prohibitum sit Clericis omne genus negotiationis & villicationis, & quòd non potentes se sustentare, oportebit eos deserere doctrinas, & sic Indi carebunt pastu spirituali,& ministerio Sacramentorum, & Prælati cogentur cum ipsis dissimulare circa negociationes, vt possint se sustentare.

Trid. sess. 22. cap. 8. & 9. de refor. & sess. 24 de refor. cap. 14

Concil. I. Prouinc. Act. 144. & 5. Synod. Diœcesl. 1. cap. 4. Synod. 3. c. 15.

Cap. VI.

Prætores locales non se interponant in examine absentiæ Clericorum, vel æris alieni quo grauantur.

Prætores locales, vulgò, *Corregidores*, & alij Ministri iustitiæ sæculares non se interponant in examine vel exploratione, etiam absq; iuramento, de absentijs Clericorum à suis Doctrinis vel Beneficijs, vel de debitis, quæ debuerint Indis aut alijs suis parochianis; nec circa detentionem salarij eorundem; sed ea reseruent & relinquāt Iudicibus Ecclesiasticis, ad quos de iure pertinēt, attendentes ad censuras impositas vsurpatoribus Ecclesiasticæ iurisdictionis, & ad pœnas arbitrarias quæ opportunè ipsis infligi possunt.

Trid. sess. 25. cap. 20. de reform.

Pro-

Cap. VII.

Pro-Reges aut alij Ministri sæculares non se immisceant visitationibus bonorum Ecclesiarum, vel Hospitaliũ: nec nominationi vel depositioni œconomorum eiusmodi Ecclesiarũ, vel Hospitalium.

PRo-Reges, Gubernatores, aut alij Ministri sæculares non se intromittant in distribuendis, expendendis; vel visitandis bonis fabricæ Ecclesiarum, aut Hospitalium, siue ista Indorum, seu Hispanorum fuerint: nec nominent, vel deponant œconomos eiusmodi Ecclesiarum, vel Hospitalium; sed totum relinquãt Iudicibus Ecclesiasticis, ad quos de iure pertinet iuxta decretum sac. Conc. Trid. & Schedulas suæ Maiestatis, quæ de prædictis loquuntur; & in hoc cũ omni rigore iuris procedent Ordinarij contra impedientes, & perturbantes.

Triden. sess. 22. cap. 8. de refor. & cap. 9. ibid.

Cap. VIII.

Clerici qui interim, dùm non habetur Sacerdos proprius, in Doctrinis & Beneficijs degerint, illis inseruiant cum aliquo stipendio.

INtereà dum Doctrinis, & Beneficijs de Sacerdote proprio prouisum non fuerit, Sacerdos qui eisdẽ Doctrinis & Beneficijs inseruiet, iuuabitur stipendio & salario sufficienti. Et Ordinarij peculiarem diligentiam adhibebunt, vt nullo tempore in illis desit Sacerdos, & vt illi pendatur eiusmodi stipendium & salarium pro ipsius sustentatione, interim, vt dictum est, donec prouideatur dictis Doctrinis, compellendo personas, quorum id intererit, ad soluendum iuxta Decreta Sac. Conc. Trid. & Schedulas Regias.

Trid. sess. 21. cap. 4. de refor.

Cap. IX.

Visitatores sint Sacerdotes.

IN visitationibus, quæ in posterum instituendæ sunt, Prælati nominabunt visitatores in sacerdotio constitutos, vt eiusmodi visitationes eo maiori decentia, maioriq; conscientiæ timore perficiantur; accipiendo vades ab ijsdem Visitatoribus, quòd sui muneris rationẽ reddituri sint, nec se absentabunt, sed stabunt dispositioni iuris, & hoc vbi commodè beneq; fieri poterit, & Prælato videbitur expedire.

Cap. X.

Rectores Doctrinarum dent vades reddendi rationem rerum suæ curæ cõmissarum, ad dictas Doctrinas, & Beneficia, in quibus constituti fuerint, pertinentium.

VT in omnibus habeatur iusta rerum ratio, Ecclesiæq; non defraudentur, & vnicuique pro debito satisfactum sit, & exonerentur conscientiæ; Ordinarij diligentem curam & rationem habebunt, vt à Clericis quos ad Doctrinas & Beneficia destinauerint, accipiant vades reddendi rationem bonorum Ecclesiasticorum, & aliorum quæ ipsorum curæ committentur: & quòd in visitationibus quæ de ipsis fient, staturi sint dispositioni iuris: nec se absentabunt, aut fugã capient, & quòd quidquid debuerint, soluent, relinquendo totum Prælatis, vt in prædictis

ctis prouideant, quando commodè fieri poterit, & executioni mandari. Quod sic ordinatur & præcipitur ob amplitudinem Episcopatuũ, & tantam libertatem, quòd Prælatus non possit adhibere remedium absentiæ Clericorum, ac damnis in hoc Decreto relatis.

Cap. XI.

Obseruentur Rubricæ noui Missalis, & specialiter in osculo Euangelij.

PRælati cæteriq; quorum intererit, habebunt peculiarem curam, vt obseruentur Rubricæ Missalis, & quod per suam Sanctitatem ordinatum est; & specialiter quoad osculum Euangelij; quòd non præbeatur Pro-Regi, neque Gubernatori, nec Inquisitoribus, nec alijs personis cuiuscunque qualitatis extiterint, sed solis Episcopis, qui in suis residentijs fuerint iuxta Rubricas Missalis. Rogamusq; in Domino Religiosos Ordinum, vt idipsum in suis Ecclesijs faciant.

Ritus celebrādi Missam c.6. num.5.

Cap. XII.

Non detur sæcularibus pax per patenam: nec tabella pacis circumferatur per Ministros Altaris.

IVxta Rubricas Missalis, ac Decreta Conciliorum Prouincialium anni 1567. & anni 1583. circa pacem, quæ datur extra Chorum existentibus, Ordinarij iubebunt, & prouidebunt, quòd nec Pro-Regibus, neque Gubernatoribus sæcularibus, nec alijs personis sæcularibus cuiuscunq; qualitatis sint, detur per patenam, sed per tabellam, vulgò, *portapaz*, nec permittatur Diacono vel Subdiacono, qui ad altare ministrant, vt ferant eandem tabellam: Sed ad Pro-Regem, Gubernatorem, Inquisitores, & Auditores eam ferat vnus Clericus, cum superpelliceo, & non alia vlla persona.

Rit. celeb. Missam cap. 10. n. 9 Concil. Prou. I. Act. 4. c. 11.

Cap. XIII.

Obseruentur præscripta noui Missalis in distributione cinerum, palmarum, & aliarum rerum.

QVoniam cupimus executionẽ dare ordinationi noui Missalis, & vt omnia secundum ordinem fiant, ac debita Ecclesiasticis seruetur obseruantia, tollanturq; abusus, qui in aliquibus locis irrepserũt; Ordinarij in hoc sedulò intendentes, nõ permittant, quòd feria quarta Cinerum, vel Dominica Palmarum, in earum distributione laici præferantur Ecclesiasticis, nec in alijs rebus in quibus Missale ordinauerit sic fieri, quanquam laici sint Pro-Reges, Gubernatores, vel aliæ personæ cuiuscunq; sint qualitatis.

Cap. XIV.

De seruanda Immunitate Ecclesiarum.

VT Immunitas Ecclesiarum per omnia seruetur, & Indi cum reliquis ædificentur; vtq; Ministri sæculares nec nimiũ audeant, nec Ecclesiæ mandatis inobedientes euadant, si aduertant contra se non exerceri rigorem iustitiæ, & quòd causæ maneant indecisæ, ac ipsi delinquentes impuniti. Hinc in posterum Ordinarij contra transgressores ac violatores dictæ Immunitatis Ecclesiarum

Trident. sess. 25 cap. 20. de reform.

cle-

clesiasticæ vigilanter inquirent, fulminando processus, & eosdem terminando, & sententias proferendo cum omni breuitate, imponendoq; debitas pœnas; nec relinquant causas in perpetuo silentio. Et quando illos absoluerint à censuris quas incurrerint, obseruetur ordo noui Manualis iussu Catholicæ Maiestatis transmissi,& subscripti per Religiosum Escurialis, cui id incumbit.

Orerij. Manuale Petuan. pag. 24. & 25. & 174. &c.

Cap. XV.

Executioni mandentur decreta superioris Concilij Prouincialis anni 1583.

PRælati omnes executioni mandabunt decreta Concilij Prouincialis proximè præteriti, celebrati in hac Ciuitate Regũ anno 1583. & per suam Sanctitatem approbati, secundum quod, & eo modo, quo in illo continetur. Et vt cunctis manifesta sint, facient ea publicari in suis Ecclesijs Cathedralibus.

Cap. XVI.

Notarij non accipiant plus quam decimam partem vnius aurei pro titulo ordinum.

QVoniam in aliquibus taxationum, quæ per idem Concilium factæ fuerunt, positum & ordinatum est, quod Notarij pro titulis Ordinum accipiant duos pesos,& in alijs taxationibus nihil circa hoc dispositum existit omnibus ex originali desumptis: & in eodem Concilio Prouinciali per suam Sanctitatem approbato, præcipitur, ne accipiatur plus quam decima pars vnius aurei iuxta Decretum S.Conc.Trid. Ordinarij non permittent eiusmodi Notarijs, vt accipiant dictos duos pesos, sed in omnibus obseruetur præscriptum dictorum Conciliorum Prouincialis, ac Tridentini, iuxta quod,& eo modo quo in ijsdẽ Concilijs continetur, ita vt non excedatur dicta decima pars vnius aurei, vbi accipiendo locus fuerit, vt in dicto Concilio Tridentino dispositum est; procedentq; contra Notarios id non obseruantes. Et sic taxatio illa facta in eo Concilio Prouinciali obseruabitur in quantum fuerit canonica, & ipsius taxæ pariter canonicæ, & non contrariæ Concilio Tridentino.

Concil.Prou.I. Act. 2. cap. 32. Trid. sess. 21. cap. 1. de refor. Vide sup. resp. S. Congreg. ad 37. dubium D. Toribij.

Cap. XVII.

Clerici priùs quàm accipiant dimissorialia, reddant rationem eorum, quæ ipsorum curæ commissa fuerunt: & cum solis huiusmodi dimissorialibus possint recipi in alijs Episcopatibus.

EPiscopi eorumque Prouisores non dent dimissorialia vllis Clericis,non priùs acceptis ab eis rationibus omnium illorum, quorum curam in Doctrinis,& Beneficijs gerebant: & donec ipsi Prouisores habuerint commissionem, iuxta Decretum eiusdem Concilij Prouincialis anni 1583. ab ipsorum Episcopis ad dandum dicta dimissorialia. Clericos autẽ cum huiusmodi dimissorialibus accedentes, poterunt Archiepiscopus, Episcopi, & reliqui Iudices Ecclesiastici recipere, quamuis in dictis dimissorialibus non exprimatur, quòd eiusmodi Clerici rationes reddiderint rerum suæ curæ cõmissarum; vel quòd Prouisores habuerint commissionem dandi talia dimis-

Conc.I.Prouin. Act. 3. cap. 9.

dimissorialia; & licèt eiusmodi Clerici non habeant testimonium sui Prælati, quòd beneficia vel doctrinas dimiserint cum licentia suorum Episcoporum, vel Prælatorum, vel quòd suis successoribus consignauerint easdem doctrinas vel beneficia, eorumq; ornamenta, libros Baptismales, & Matrimoniales, & matriculas, & reliqua suæ curæ, sine eo quòd dicti Archiepiscopus, vel Episcopus, vel alij Iudices incurrant cẽsuras, Interdictum ab ingressu Ecclesiæ, vel suspensionem imposita per Concilium Prouinciale celebratum in hac Ciuitate Regum anno 1567. derogando quoad hæc capitulo dicti Concilij ipsumq; & censuras, interdictum, & suspensionem in eo contenta pro nullis habendo; ita vt non obligent, nec vim habeant vllo modo, vel vllo tempore contra Archiepiscopum, Episcopos, vel reliquos Iudices Ecclesiasticos, nec ipsorum Diœcesanos, productis illis dimissorialibus; cùm in eorum expeditione præsumatur, quòd ipsorum Prælati, & Prouisores adhibuerint debitas diligentias.

Cap. XVIII.

Nominantur testes Synodales.

Concil. Later. c.6. sicut olim. Concil. Tolet. Act.3. c.28.

IVxta iuris dispositionem, in hac Ciuitate Regum testes Synodales nominamus Parochos, qui curam animarum habent, vel posthàc habebunt in Parochijs eiusdem Ciuitatis, & pro alijs partibus Archiepiscopatus Visitatores, qui sunt vel pro tempore fuerint. In Episcopatu verò Cuscensi Parochos Ecclesiæ Cathedralis eiusdem Ciuitatis, & eos qui pro tempore fuerint visitatores. Et hoc ipsum obseruari statuitur in reliquis Episcopatibus Suffraganeis, nominando, prout sacra Synodus nominat, dictos Parochos & Visitatores iuxta iuris dispositionem: qui dicti testes synodales cùm priùs præstiterint iuramentũ coram suis Prælatis, debeant inquirere res dignas, & ad corrigendum, emendandum, & reformandum vtiles, & necessarias: Et hoc absque iurisdictione vlla, quã ad hoc illis non damus: ac totum quod sic fecerint, & inquisiuerint, ad Synodos Diœcesanas & Prouinciales scriptum deferre, illud Episcopis in suis Synodis, & Metropolitano in Concilio Prouinciali tradendo, nominando Parochos Cathedralis, & aliarum Ecclesiarum Ciuitatis, in qua Cathedralis est, & Visitatores Episcopatus.

Cap. XIX.

Religiosi Doctrinales cum cura animarum, non minus quàm Clerici sæculares obseruent & adimpleant, quod spectat ad habendum Constitutiones synodales, & alia contenta in hoc capitulo.

REligiosi, qui in Doctrinis gerent curam animarum, habebunt penès se Concilia Prouincialia, & Synodos quas fecerint Metropolitani, & Suffraganei quisque in suo districtu: Itemque Catechismum, & Confessionale, & Sermonarium facta idiomate Indigenarum per præcedens Concilium anni 1583. ad hoc vt vnusquisq; sciat quid facere debeat, & sibi incumbat, & ad quid sit obligatus. Circa quod procedent Ordinarij & Visitatores contra transgressores, & non obseruan- Act.2. c.3.&7. Act.4. c.14. Act.5. c.3.

uan-

uantes dicta Concilia, vel eorum Decreta non complentes.

Cap. XX.

Religiosi soluant Quartam funeralem, & portionem canonicam.

Religiosi, qui sunt vel fuerint in Doctrinis & Beneficijs, seruabunt constitutiones de solutione Quartæ funeralis, Quartæ canonicæ, & Quartæ oblationum, propterea quòd illas debeant, prout de iure debent Episcopis, & vt illas persoluant reliqui Clerici, qui funguntur ijsdem ministerijs, secundum quod, & quemadmodum etiam constitutum est in Concilio Prouinciali anni 1583. per suam Sanctitatem approbato, & quia non possunt prætendere exceptionem per viam vllius Breuis, non habendo vel vnquã habito vllo Breui, sed tantùm pro funeralibus sepulturarum quæ fuerint in proprijs ipsorũ Monasterijs. Act.4.c.10.

Placentne vobis Reuerendissimi Patres hæc Decreta?

Omnes responderunt, *Placent*.

Ego T. Archiepiscopus Regum diffiniens subscripsi.
Ego Fr. Gregorius Episcopus Cuzquensis diffiniens subscripsi.

In quorum fidem infrascripti Notarij subscripsimus.

Ego Antonius de Valcazar, Doctor, Ciuitatis Regum Prouisor, ac Vicarius Generalis, & sacri Concilij Secret.
Ego Licentiatus Bartholomæus Menacho, S. Concilij Prouincialis Secretarius.

Nota in II. Concilium Prouinciale.

IN subscriptionibus. *Ego Fr. Gregorius.* Cuius Ordinis Religiosus fuerit hic Fr. Gregorius nondum reperi, vel aliud quippiam de ipso, præterquã quod prius fuerit Episcopus Yucatanus, ac deinde translatus ad hanc Ecclesiam Cuzquensem; quæ translatio ex vsu rerum non obscurè indicat eius merita. Non solent enim Reges Catholici Episcopos ab vna Ecclesia ad aliam, præsertim pinguiorem, promoueri facere, nisi eos quorum merita in priori iam perspecta probataq; habent. Neque huius Concilij Prouincialis authoritati quicquam derogat, quòd ille solus Antistes cum Archiepiscopo diffiniẽs subscripserit. Nam Conciliorum authoritas ex Patrum frequentia non semper dependet, quominus Concilia minoris frequentiæ non minoris habitæ fuerũt authoritatis, vt exemplis fusè docetur sess. 7. Concilij Oecumenici Florentini, §. Si hæc historia. vers. Si quis verò. ex V. Synod. Generali pag. 456. apud Binium in edit. Colonien. anno 1618. Et, vt ibi dicitur, *quæ pauciores decreuerant, plures suscepere*. Ac de VII. Synodo Nicæna secunda loquens; in qua nõ multi Patres conuenerant: *Quæcunq; tamen,* inquit, *in illa Synodo gesta sunt, multa cũ reuerẽtia suscepta & approbata sunt.* Quoniam igitur (vt ibidem in simili infertur) præsente Toribio Archiepiscopo, cuius erat conuocare Prouinciale Concilium, & Gregorio Episcopo, & inferioribus Conciliarijs, alijs Præsulibus, ne accederent, impeditis, Decreta huius Concilij facta sunt, non videtur ad eius valorem necessarium alios ad ipsum conuenire.

REGVLA CONSVETA

SEV

Institutiones consuetudinales Ecclesiæ Metropolitanæ Limensis editæ

Per Venerabilem Seruum Dei, D. Toribium Alfonsum Mogrouejum eiusdem Ecclesiæ Archiepisc.

POstquam Toribius præcedentis Concilij decreta iam secundò pro vniuersa Prouincia constituisset; quia dilexit decorem domus Domini, cogitauit etiã de Disciplina Ecclesiastica, præsertim cultus diuini in Ecclesia sua Metropolitana Limensi, pro cuius decore, ornatu, & pio, deuotoq; splendore Sac. Concil. Tridentini præscriptum vbique secutus composuit Rituale Ecclesiasticum, seu vt vocat Consueta, *aut Regulas consuetudinales, ad omnes actiones in diuinis officijs, templiq; ornatu & obsequio ritè dirigendas. Ex quo procul dubio cupiebat, vt cæteræ Ecclesiæ Cathedrales, si non legem, quæ iuxta Tridentinum in Concilio Prouinciali statuenda est, saltem exemplum sumerent, quo omnes passim, Ecclesiarum rebus commodiùs posteà constitutis, vti possent, quod Ordo temporis huc inserere postulat, & est quod sequitur.*

Sess. 24. cap. 2. de reform.

Ego Franciscus Alarcon publicus authoritate Apostolica Notarius, & Secretarius Decani, & Capituli Sanctæ Ecclesiæ Ciuitatis Regum fidem facio, quòd quarto die mensis Decembris, Anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Illustriss. & Reuerendissimus Dominus, D. Toribius Alphonsus Mogrouejus Archiepiscopus dictæ Ciuitatis, Domini Nostri Regis Consiliarius, & Decanus, & Capitulum dictæ sanctæ Ecclesiæ congregati fuerunt in capitulo more solito, & coràm me dicto Secretario tractatum fuit de faciendis Institutionibus consuetudinalibus pro seruitio dictæ sanctæ Ecclesiæ. Et cùm id tractassent, & deliberauissent, vt fierent, ad hunc effectum pro sua dominatione nominatus est Licentiatus Bartholomæus Menacho, Canonicus, & pro dicto Decano, & Capitulo nominatus est Doctor Antonius de Molina, Canonicus, vt ex actis eiusdem Capituli apparet, ad quos me refero. Et vt de eo constet dedi præsentes. Datum in Ciuitate Regum trigesima Aprilis anno 1593. & in fidem subscripsi meum nomen.

Franciscus Alarcon.
Notarius Secretarius.

NOs D. Toribius Alphonsus Mogrouejus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Ciuitatis Regum, Domini nostri Regis Consiliarius, &c. Cupientes executioni mandare quod prouisum & ordinatum est per sacrum Concilium Tridentinum in sess. 24. c. 12. de

de reform. quod incipit. *Cum Dignitates*; in quo disponitur sub finem eiusdem capitis, quòd quæ ad debitum in diuinis Officijs regimen spectant, deque congrua in his canendi, seu modulandi ratione, de certa lege in Choro conueniendi, & permanendi: simulque de omnibus Ecclesiæ ministris, quæ necessaria erunt, & si qua huiusmodi, Synodus Prouincialis, pro cuiusque Prouinciæ vtilitate & moribus, certam cuique formulam præscriberet. Intereà verò Episcopus non minus, quam duobus Canonicis, quorum vnus ab Episcopo, alter à Capitulo eligitur, in ijs quæ expedire videbuntur poterit prouidere. In conformitate dicti Sacri Concilij Tridentini, cùm in his ædibus Archiepiscopalibus vnitum, & congregatum fuerit Capitulum nostræ sanctæ Ecclesiæ Cathedralis, nominatus est pro parte nostra, vt, quod dictum est, exequatur, D. Licentiatus Bartholomæus Menachus Canonicus huius sanctæ Ecclesiæ, & pro parte dicti Capituli D. Doctor Antonius à Molina Canonicus pariter huius sanctæ Ecclesiæ, præsidente in eadem nominatione, & electione, Francisco de Alarcon, Presbytero sæculari, Secretario dicti Capituli. Et postquam Nos, & dicti Domini Canonici vidimus, & consulimus, quod ordinare, & prouidere conueniret in iam relatis, & postquam pariter attentè considerauimus bonos, & laudabiles mores, & ceremonias, quæ obseruantur in aliquibus Ecclesijs Cathedralibus Hispaniæ, & in hac sancta Ecclesia, resoluimus, consensimus, & determinauimus in dicta conformitate Sac. Concil. Trident. quòd ad gloriam, & honorem Dei Domini Nostri debeant obseruari Capitula, & Ordinationes sequentes.

Cap. I.
De campanis.
Quomodo pulsari debeant.

Ministri sacrarij specialem curam habebunt, vt campanæ, & earum linguæ, & funes bene habeantur, & vt porta, quà in turrim ascenditur, sit clausa; nec eò pateat accessus pueris, vel alijs personis quæ ad illas suo tempore pulsandas necessariæ non sunt.

Ad primam sonabunt ordinariè per vnam horam.

Ad Tertiam, per vnum quadrantem.

Ad Sextam per quadrantem.

Ad Nonam, quando ante prandium dicitur, per quadrantem; sed quando post prandium, per integrã horam.

Ad Vesperas, quando Nona ante prandium dicitur, per horam,

Quando verò Nona post prandium dicitur, pulsabitur ad Vesperas per quadrantem horæ; postquam per horam sonuerit ad Nonam.

Et quando Vesperæ dicentur ante prandium, ad illas pulsabũtur per vnum quadrantem, post factam eleuationem in Missa maiori, & debent tunc Vesperæ inchoari ad minùs hora vndecima.

Ad Completorium, quando Vesperæ dicuntur ante prandium, pulsabitur per vnam horam.

Et quando Vesperæ vesperi dicentur, pulsabitur ad Completorium

rium per vnum quadrantem.

Ad Matutinas pulsabitur per horam.

Quando omnes dictæ horæ vna post alteram continuò sine temporis interpolatione dicentur, tunc dabuntur duodecim tractus campanæ.

Ad Missam maiorem pulsabitur vno quadrante horæ.

Et quando erunt festa solemnia, pulsabitur replicato tractu per integram horam, & tintinabulo per quadrantem; ita vt sint tres quadrantes in tota pulsatione,

I I.

Quando, & qua hora pulsandæ campanæ.

MInistri sacrarij, seù Sacristani omni tẽmpore pulsabunt ad Primam per vnam horam, vt dictum est, cum vna campana mediocri, quam per medium illius horæ pulsabunt tractim distinctis ductibus, vno post alterum, & per tertium quadrantem tractim quoque, sed festinantiùs, & distinctis ductibus, sed duplicibus; & vltimo quadrante pulsabitur campanula, seu tentinabulum, quod vulgò vocant *Aguijon*; ita quòd tota pulsatio fiat per integram horam.

A Primo die Maij, vsque ad vltimum Octobris pulsabunt ad Primam, à media septima Matutina, ad medium horæ octauæ: & à primo Nouembris vsque ad vltimum Aprilis, ab hora sexta vsque ad septimam.

Ad Tertiam, & Missam maiorem, à primo Maij, vsque ad vltimum Octobris pulsabunt ab hora octaua & dimidia, vsque ad nonam; & si diei qualitas postulet, vt omnes campanæ pulsentur crepitatim, vulgò a *repique*, pulsabuntur vno quadrante priùs: ita vt in media hora edantur tres crepitus solemnes cum pausa inter ipsas, & vltimo quadrãti qui restat vsque ad horam nonam pulsetur tintinabulum, ad hoc vt præbendarij & reliqui ministri conueniant ad Chorum.

A prima Nouembris vsque ad vltimum Aprilis, pulsabitur ad Tertiam, & Missam maiorem ab hora octaua vsque ad mediam nonæ, vno quadrante per vnam vel duas campanas, iuxta qualitatem temporis, & altero quadrante sonabit tintinabulum.

Si fuerit dies Ieiunij, pulsabitur semper ab hora nona vsque ad medium decimæ: & si fuerit festum duplex, in quo debeat edi crepitus, obseruabitur quod supra dictum est.

Ad Nonam, quando dicitur post prandium, pulsabitur semper vna hora, à secunda pomeridiana vsque ad tertiam, vna campana mediocri, prima media hora tractim per simplices ductus, & vno quadrante tractim celeriùs per duplices ductus, & vltimo quadrante trahetur tintinabulum vsque ad horam tertiam pomeridianam.

Ad Vesperas, quando post prandium dicuntur, immediatè post Nonam pulsabitur ad ipsas per vnum quadrantem. Sed cum Nona dicta fuit ante prandium, tunc ad Vesperas post prandium pulsabitur vna hora, hoc est à secunda vsque ad tertiam, cum vna, vel duabus campanis, aut simplici vel crepitante sonitu, prout temporis, & festiuitatis ratio requiret, & audita ter-

tertia pulsabitur tintinabulum per quadrantem horæ.

A primo Sabbatho Quadragesimæ vsque ad Sabbathum Sanctum pulsatur ad Vesperas ab eleuatione[1] Missæ maioris vsque ad finem eiusdem, cum vna vel duabus campanis, vel tractu solemni iuxta rationem festiuitatis, exceptis Dominicis, in quibus pulsabitur post meridiem modo superiùs præscripto.

Ad Completorium in Quadragesima pulsabitur per vnam horam, id est, à quarta Vespertina vsque ad quintam, cum vna campana mediocri, quæ pulsabitur prima media hora tractim per simplices ductus; & tertio quadrante celeriter per duplices ductus, & quarto quadranre sonabit tintinabulum. Quando autem alio tempore dicetur Completorium post vesperas, obseruabitur, quod in alijs horis ordinatum est, quando dicuntur continuè, sine interpolatione temporis.

Sexta dici debet, vt ordinatur in Missali; vt inferiùs ordinabitur de reliquis horis.

Ad Matutinum pulsabitur per vnam horam, & in nocte Natiuitatis fiet crepitus continuus omnium campanarum, ab hora octaua noctis, vsque ad duodecimam cum multa solemnitate; & eodem modo per easdem horas fiet in nocte Resurrectionis.

Ad Matutinas tenebrarum, die Mercurij Septimanæ sanctæ, pulsabitur à media hora post quartam vespertinam, vsque ad medium sextæ cum vna campana magna, ipsam pulsando tractim ictibus binis & binis. Et die Veneris sancto, postquã signum datum fuit ad Completorium ab hora tertia ad quartã, finito Completorio dabunt signũ ad Matutinum tenebrarum per quadrantem horæ, ita vt incipiant hora quarta cum dimidia; & tali tempore, quod possint illa die exire à Matutinis, cùm iam noctescit, seu illa hora qua alias pulsatur ad Salutationem Angelicam, seu, *Aue Maria*.

[a]*Postquam die Iouis sancto* recluditur Sanctissimum Sacramentum, non pulsantur campanæ vsque ad Sabbathum sanctum, cùm cantatur *Gloria*, excepta pulsatione, quæ fit ad Sermonem, qui habetur sub mandatum, seu lotionem pedum, quæ pulsatio fit cum vna campana ex maioribus; & durat ab hora secunda pomeridiana vsque ad tertiam; sed loco campanarum intereà pulsatur crepitaculum manuale ad omnes horas.

Sabbatho sancto, & Sabbatho Pentecostes, àd *Gloriam*, fiet crepitus omnium campanarum totius Ciuitatis; & Præfecti Sacrarij curabunt moneri Parochos parochialium Ecclesiarum, & Religiones vt expectent & attendant, vt Ecclesiæ cathedrales eos præcedant in pulsando, vt nuper prouisum est in Concilio Prouinciali in hac ciuitate celebrato anno 1583. & à sua Sanctitate approbato. Act. 4. cap. 13.

III.

Quando campanarum concrepatione pulsandum.

IN Festis Paschalibus anni, & in omnibus festis Domini nostri, & Dominæ nostræ, & omnium Apostolorum, & Euangèlistarum, & S. Ioannis Baptistæ, & S. Laurentij, & om-

&c omnium Sanctorum, & in omnibus Processionibus generalibus, quæ exeunt ex Ecclesia ad alium locum, & quando effertur Sanctissimum Sacramentum ad infirmos, & quando reportatur, fiet crepitus omnium campanarum; & in his festiuitatibus, orta aurora concrepabunt, cum tribus interpolationibus, antequam pulsetur ad Primam. In reliquis autem festiuitatibus, si feriandum sit, fiet concertatio duarum campanarum mediocrium, quia si non sit feriandum non fiet, excepto casu, quo Officium Sancti transferatur in diem quo non laboratur quia in tali casu fiet concertatio campanarum.

Vna ex magnis campanis ordinariè pulsabitur ad præfationem Missæ maioris dando tres ictus, & in meridie nouem, & ad *Aue Maria* alios nouem. Et ad conuocandum populum, quando sanctissimum Sacramentum deferendum est ad infirmos, dabuntur quinque ductus.

Eadem magna campana pulsabitur ad concionem quoties prædicabit aliquis Episcopus. Et quoties Parochus ministraturus est Sacramentum extremæ Vnctionis alicui infirmo, dabuntur tres ictus eiusdem campanæ,

Ad vocandum Parochum & Sacristam non pulsabitur magna campana, sed vna mediocris. Et pro Parocho dabuntur ictus quatuor, & pro Sacrista, tantum duo.

IV.

Ad Interdictum.

TEmpore Interdicti pulsabitur pro laudabili consuetudine, quam tenebat, & tenet hæc sancta Ecclesia; ita vt non pulsentur campanæ ad Horas canonicas, vel ad aliud quidpiam quod sit Officium diuinum.

V.

Quomodo repetitis ictibus pulsanda campana:

CVm inchoantur Vesperæ defunctorum in die omnium Sanctorum, debet statim incipere duplex sonitus omnium campanarum, quod vulgò vocant *doblar*, & durare vsque ad horam octauam noctis, & ab aurora vsque dum finiuntur Missa maior, & responsoria pro defunctis, quibus Officijs capitulum interesse debet. Quando morietur aliquis, cuius exequijs capitulum adstiturum fit, si fuerit sæcularis & vir, fient cum omnibus campanis mediocribus, & simul vna magna tres strepitus; & si fuerit fœmina duo strepitus tantùm. Sed cum Prælatus, vel aliquis ex Præbendarijs obierit, fiet duplex sonitus omnium campanarum simul cum magna mora, atque idipsum obseruabitur in Missis, & Aniuersarijs.

Quando defunctus cum solis Parochis, atque assistentia Capituli sepeliendus est, pulsabuntur tantum duæ campanæ mediocres, edendo tres strepitus, si fuerit vir; si verò fœmina, duos tantum, & statim pul

pulſabitur de tractu in tractum; cum viciſſitudine campanarum.

Octaua hora noctis *debet ordinariè pulſari pro animabus Purgatorij*, ſonitu omnium campanarum iuxtà conſuetudinem hactenùs obſeruatã. Et exinde nulla hora noctis trahentur, vel pulſabuntur campanæ vſque ad auroram, præter tractus qui fiunt pro Prælato, Pro-rege, vel præbendario, vel pro alia perſona, pro qua iuſſerit Prælatus, vt fiant tractus; ita quòd pro alijs perſonis præter hic nominatas, non poſſint trahi campanæ noctu, ſine expreſſa licentia Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, vel eo abſente ſine licentia Capituli.

Cap. II.
Quomodo, & quo ordine intrandum, & aſſiſtendum ad Horas in Choro.

TAm Beneficiati, quam reliqui miniſtri, à Decano vſque ad Acolithum, conueniant ad horas antequam terminetur primus ſonitus tintinabuli, quod vocant *aguijon*.

Intrabunt Chorum faciendo humiliationem, & flectent genua vſque ad terram coram ſanctiſſimo Sacramento: Et vnuſquiſque perget inde ad ſuum locum faciendo reuerentiam, & profundam humiliationem versùs Prælatum, ſi adſit, capite aperto, ac demiſſis manicis ſuperpellicei: Et in ipſius abſentia versùs præſidentem qui tunc erit, exhibendo ipſi aliquam reuerentiã, Deinde in loco, in quo debet exoluere Officium, flectet genua, & præparabit animum. Finito pulſu tintinabuli, Præſidens faciet ſignum & omnes ſurgent, & verſa facie ad Altare dicent in ſilentio *Pater noster, Aue Maria, & Credo*, Ad Matutinum, & Primam: ad reliquas autem horas *Pater noſter*, & *Aue Maria* tantùm. His finitis Præſidens facit ſecundum ſignum, & Hebdomadarius incipit horam, capite diſcooperto, demiſſiſque manicis ſuperpellicei. Quo modo totus Chorus debet tunc ſe habere, & finito *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, &c. Cooperiunt capita, & eleuant manicas, dictoque Inuitatorio, & Hymno, dum incipitur primus Pſalmus maiorum horarum, omnes ſub medium verſum ſedeant, ſine ſellarum ſtrepitu, illas paulatim demittendo. Iuuenes tamen chorales, quamuis Subdiaconi, vel Diaconi ſint, non ſedebunt, ſed toto tempore Officij ſemper ante odeũ in pedibus præſiſtent; in quo loco ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*, & *Nunc dimittis*, in choros hinc inde diuiſi ſe mutuò reſpicient, ita vt ſemper ſtent, præterquam ad Martyrologium, & Epiſtolam, & Lectiones Matutini, Et Lectionem Completorij. Finito Pſalmo ad medium poſtremi verſus, omnes, qui ſedent, ſurgent, & ad *Gloria Patri* detegent capita, & manicas demittent.

In Choro magnam membrorum, & ſenſuum diſciplinam obſeruabunt, non ad ſedes inclinati, neque cubitis ad ſedilium diuirſoia fulti, vel manibus in eadem extenſis: & quando ſedebunt, eleuabunt ſuperpellicea, ne ſuper illa ſedeant: nec illis abſtergant ſudorem, aut alias res mundent. Nec tempore caloris ventulum ſibi per illa, tanquam fla-

flabella facient. Et nemo manicas collo circumuoluet, si non patiatur notabilem infirmitatem. Præses curabit, vt omnes illæ ceremoniæ inuiolabiliter obseruentur, & statim puniat rebelles, ipsos illius horæ distributionibus priuando, super quo oneratur ipsius conscientia.

Omnes quotquot non accesserint ad *Gloria Patri* primi Psalmi aliarum horarum, & qui non intersũt principio versus *Quadraginta annis &c.* perdent distributiones illius horæ, cui sic deerunt.

Dum celebratur officiũ in Choro, nemo sæcularium illuc intromittatur, præter Pro-Regem, Gubernatorem, vel Auditores Regios, supremum iudicem Regium, Fiscales, supremos Ministros iustitiæ, sacræ Inquisitionis, vel Tribunalis Regij, Dominos titulares, aut horum filios, Prætorem ordinarium huius Vrbis, Commendatores Ordinum Militarium, aut Equites principales.

Præbendarij perpetuò manebunt in suis sedilibus, nec sua cuiquam cedant, præterquam personis in superiori regula comprehensis. Quod si conueniant Prælati Religionum, dabuntur sedilia tantummodo Vicarijs generalibus, Visitatoribus, Commissarijs, Prouincialibus, & Prioribus, Commendatoribus, & Rectoribus huius Ciuitatis, & non alteri personæ Conuentuum. Et Præbendarij nullo modo relinquant sedilia sua eundo ad sedendum ad scamna, vel subsellia Chori. Poterunt tamen in Choro esse laici, qui sunt Cantores, vel alioquin ministeriales.

Cap. III.
De Silentio.

ET quia totus decor cultus diuini consistit in obseruatione silentij, de re nulla loquentur in dicto Choro dum dicitur officium, sed omnes magna attentione cogitabunt, & aduertent ad illa quæ dicuntur. Et Præses magnam adhibebit curam, vt seruetur silentium; & hoc super omnia zelare debent. Prima vice qua quis locutus fuerit, postquam ad horas intrauerit in Chorum, fiet ei signum quo moneatur vt sileat, & secunda vice fiet signum punctatori Chori, vt illum priuet penso illius horæ, & hoc irremissibiliter: super quo ipsius conscientiam strictè oneramus.

Item dum dicitur officium, nulla persona legat vel subscribat litteris, nec scribat in Choro, nec in eo fiant computus, nec distributiones, nec tractetur calamus, excepto punctatoris ad puncta in libro signanda; & si aliquis laicus sit in choro, nullus Beneficiarius, vel famulus ipsũ alloquendũ accedat. Et si Præses aliquẽ admonuerit, vt abstineat à loquela, si obedire noluerit, puniatur priuatione stipendij integræ horæ.

Item non permittet Præses, vt in Choro sint ioci, risus, nutus, vel aliæ res indecentes, nec vt ex vno choro in alterũ mittantur nuncia, nec mutent locum, transeundo de vno in alterum, nec vllus peculiariter oret, vel cum libro vel absque illo; sed omnes cantent, & attendent alijs cãtantibus, quando cantandum erit. Curabit etiam Præses, vt omnes ibi debito modo se gerant, & inobediẽ-

tes

tes punientur priuatione ſtipendij vnius horæ, vel ampliùs,iuxta rationem demeriti, & qualitatis delicti.

Cap. IV.
Quando ſtandum in Choro.

STabunt recti per totum officiũ Dominæ noſtræ, etiam ad lectiones eiuſdem officij. Item in principio omnium horarum poſt ſignum à Præſide datum, vſque dum abſoluetur *Alleluia*, vel, *Laus tibi Domine*, vt ad Inuitatorium & hymnos, & quando dicitur *Gloria Patri*, vſque ad *ſæcula ſæculorum Amen*. Et ad Capitula, & Reſponſoria breuia, & ad Orationes, & lectionem Euangelij in Matutino. Ad Symbolum *Quicunq; vult*. Ad cantum *Te Deũ laudamus*, & *Magnificat*, & *Benedictus*, & *Nũc dimittis*, ad preces quotidianas: & quando dicitur *Confiteor Deo*, & *Miſereatur veſtri*, & *Indulgentiam*, & *Miſereatur tui*, debet ſtare Prælatus, dum dicuntur, & ad *pretioſa*, & Antiphonas, quando cantantur. Et ſic pariter ad primas benedictiones,& ad omnia illa quæ dicenda ſunt per Prælatum, quamuis ipſe ſedeat, & chorus alioquin genuflectat. Ad Pſalmum, *Ecce nunc benedicite Dominum*, & ad *Laudate Dominum omnes*, Et ad,*Laudate pueri Dominum*, vſque ad verſum, *Sit nomen Domini benedictum*, incluſiuè, & vniuerſaliter quoties cantant cũ nota punctata. Quod autem ſpectat ad ceremonias Miſſæ,quando debeāt ſtare, ſequentur rubricas noui Miſſalis,& laudabiles conſuetudines huius ſanctæ Eccleſiæ.

Congreg. Concil. ad dubium 3. Toribij ſupra.

Cap. V.
Quando Sedendum.

SEdebũt ad omnes Pſalmos horarum maiorum,exceptis dictis in capitulo præcedenti, ad quos debent ſtare. Debent ſimiliter ſedere, quando legũtur Lectiones in matutinis, & reſpõſoria, & verſus qui dicuntur in tono,& ad verſus Reſponſoriorum quæ cantantur,& ad Martyrologium,& ad Lectionem Completorij *Fratres ſobrij*: & ad abſolutionem capituli Primæ, & ad totum ferè officium defunctorum, & ad Canticum graduum, & ad Epiſtolam, & Prophetias. Et quod ad Miſſam pertinet,debent ſedere iuxta rubricas noui Miſſalis, & laudabiles conſuetudines, huius Eccleſiæ.

Cap. VI.
Quando genuflectendum.

QVando recitantur Pſalmi graduales debent flectere vtrumque genu ad *Kirieleyſon*, & reliqua quæ ſequuntur, vt notatur in rubricis ipſorum Pſalmorum gradualiũ: & pariter genuflectere debent ad Pſalmos Pœnitentiales, & Litanias in ferijs ſextis Quadrageſimæ, quando ſit officium de feria, vt notatur in Breuiario: Quemadmodum in ferijs Aduentus, Quadrageſimæ, & quatuor temporum, in laudibus, & alijs horis dicuntur preces flexis genibus, ſi non ſit feſtum de quo fiat officium; ad quas preces identidem genuflectit Hebdomadarius vſq; ad verſum, *Dominus vobiſcum* ante orationem, & reliqui chorales perſiſtũt in genibus vſque ad verſum *Benedica-*

camus Domino post orationem, vt in Breuiario notatum est; Vt etiam genuflectent in officio defunctorũ, iuxta præscriptum Breuiarij. Item genibus flexis dicet Antiphonas Dominæ nostræ, quæ dicuntur post horas, nisi tempore Paschali, & ad orationes dictarum Antiphonarum surget Hebdomadarius ad eas dicẽdas, vt notatur in Breuiario. Debent etiam genuflectere ad *Pater noster*, quod dicitur in fine officij diuini.

Item ad confessionem Primæ & Completorij, si Prælatus adest, debet chorus genuflectere: & Prælatus ipse ad confessionem dicendam debet se erigere in pedes, vt similiter ad *Indulgentiam*, & *Misereatur vestri*, & *Misereatur tui*, & *Indulgentiam*. Sed quando Prælatus nõ fuerit præsens, debent omnes ad illa stare.

Debent etiã genuflectere ad versum, *Te ergo quæsumus*, vsque ad versum, *per singulos dies*, exclusiuè; & ad integrum hymnum, *Aue maris stella*, &, *Veni creator spiritus*, & *O Crux aue spes vnica*, & ad benedictionem quam dat Prælatus in *Magnificat* ad versum, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. & in Completorio, sub illius finem, cum dicitur, *Pater noster*, *Aue Maria*, &, *Credo*: & non surgent à genuflexione, donec Prælatus fecerit signum.

Dictæ genuflexiones cessent inter Pascha & Pentecosten, & quod ad Missam attinet, circa genuflexiones, obseruabunt rubricas Missalis, & laudabiles consuetudines, quæ erunt in vsu.

Cap. VII.

Quando se conuertunt ad altare.

Statur versa facie ad altare postquàm Præses fecit secundum signum, vsque dum absoluatur *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, & ad omnes orationes, quæ dicuntur in officio & in Missa, & ad Euangeliũ. Et Hebdomadarius vertit se ad altare, quando dicit capitula, & benedictiones Matutini, tam dici, quam Dominæ nostræ.

Cap. VIII.

Quando deponenda bireta, & manicæ demittendæ.

Aperient capita, & [b] *manicas demittent*, quando Chorum intrant, & exeunt, dum reuerentiam faciunt versùs altare maius, & cum dicitur *Pater noster*, & *Gloria Patri*, & ad vltimum versum Hymnorum, & ad orationes officij maioris, & minoris, & ad *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*, & ad Symbolum Athanasij, *Quicunque vult saluus*. Et ad initium *Gloria in excelsis*, & quoties vnusquisque intonat cantum, vel aliquid solus dicit, vel cum socio. Et demittent manicas ad *Alleluia* cum suo versu, non tamen inter Pascha & Pentecosten ad Primum *Alleluia*, quia tunc dicitur loco Gradualis. Demittuntur manicæ etiam in Missa maiori ad *Pax domini*, donec Sacerdos communicet.

Illi chorales, qui non sunt Sacerdotes, semper assistunt choro sine biretis, nisi sint Beneficiarij. Poterunt tamen illa in hyeme gestare, & qui notoriam infirmitatẽ patiuntur,

tur, poterunt ad omnes horas portare bireta. In omnibus processionibus demittuntur manicæ.

Cap. IX.
Quando inclinanda capita.

INclinant capita versùs maius altare, quoties cum licentia transeunt ab vno choro ad alterum, & quoties absoluunt versum, vel aliud quidpiam in choro, & quoties pronunciatur sanctum nomen Dominæ nostræ Virginis *Mariæ*, vel Sancti, de quo fit officium, & quando in Inuitatorio dicitur, *Venite adoremus & procidamus ante Deum*, & *Suscipe deprecationem nostram*. Et quod ad Missam pertinet seruabũtur Rubricæ Missalis.

Cap. X.
Quando cantandum officium, & quando dicendum tono simplici.

MAtutina & Laudes cantantur tota in solemnitatibus Natiuitatis, Resurrectionis, & Pẽtecostes, & Corporis Christi, & in die Ascensionis, & in diebus Natiuitatis, & Assumptionis Dominæ nostræ, S. Ioannis Euangelistæ, & S. Petri, cantabunt solummodo Inuitatorium, Hymnos, Lectiones, & *Te Deum laudamus*, & capitulum, *Benedictus*, & orationem.

Pariter etiam cantari debent Prima, Tertia, Missa maior, vesperæ & completorium. Et simplici tono recitari officium paruum Dominæ nostræ, & Defunctorum, & Psalmi Pœnitentiales, & Graduales temporibus suis, cum iuxta regulas Breuiarij dicendi fuerint: Ita vt in diebus duplicibus, & semiduplicibus Prima cantetur manè, & Tertia ante Missam maiorem etiam cantetur; & post Missam maiorem recitetur sexta in tono, & Nona pariter in tono, post meridiem ante vesperas, & vesperæ & Completorium cum cantu.

In festis simplicibus dicitur Tertia in tono, & Sexta ante Missam cantetur, & ipsa pariter Missa cantetur post Sextam. Et post Missam Nona dicetur in tono, & Vesperæ & Completorium à meridie cantantur omni tempore. In diebus Vigiliarum, Quadragesimæ, & Aduentus, Prima cantetur, & Tertia & Sexta recitantur; quod intelligitur in officio feriali, Nona verò tunc cantatur ante Missam maiorem: Et in Quadragesima, Vesperæ cantantur ante meridiem, & Completorium similiter vesperi cantetur. In [c] *Dominicis autem & festis* dicantur, vt supra præscriptum est.

Cap. XI.
Quibus horis Ministri altaris debent ire ad Missam.

DEbent ad Chorum conuenire ad horam quæ dicitur immediatè ante Missam maiorem, vnde exibunt associati à Presbytero: ante quem à Choro ad Sacristiam debent præcedere Portionarius Diaconus per septimanam designatus, & Subdiaconus, & Bedellus cum pertica, & duo Sacristani, & duo Iuuenes chorales.

Cum appulerint ad Sacristiam, Sacerdos & Diaconus, & Subdiaconus lauabunt manus in fonte qui ibi parari debet, tergendo manus in linteo, qui ad eundem effectum sit sem-

per paratus, & Sacristani cum Acolythis assistent ad induendum Sacerdotem, & ministros Diaconum & Subdiaconum, cum magna cura, vt sint benè vestiti & ornati: & seruent altum silentium in Sacristia, cuius rei peculiarem curam geret Sacrista, & quòd illuc nullus laicus intret, sed vt obseruetur silentium, & magna disciplina.

Cum omnes Ministri altaris maioris fuerint parati, & inchoatus fuerit in choro versus Introitus Missæ, tunc egredientur hoc modo: In antecessum ibit Bedellus, post hunc Sacrista cum thuribulo, & post eum Acolythi cum candelabris, quos sequentur Subdiaconus, & post ipsum Portionarius Diaconus, ac demùm Presbyter; omnes tres iunctis manibus, & capite tecti, etiam Subdiaconus. Nullus super altare collocet biretum, aut aliud quidpiam. Nec vllus ministrorum ad altare portet librum ad recitandum, nec votiuas preces vllatenùs ibi recitent, sed omnes attendent ad illa quæ dicuntur, & aguntur, vel dicenda & agenda sunt in officio Missæ.

Concil. Mediol. VI. tit. Quæ ad Missam pertinent.

Quod ad Missæ ceremonias pertinet, Prælato ibi præsente, vel non præsente, vel quando Prælatus ipse celebrat, obseruentur rubricæ Missalis, & Breuia in eo contenta, & Pontificale: Item, quando sedendum, surgendum, genuflectendum, & qua hora dicenda sit Missa maior, & post quas horas canonicas, videatur idem Missale.

Circa *Asperges*, & *Vidi aquam*, seruabitur regula Missalis, & [d] *Motus proprius Gregor. XIII.* qui habetur in fine eiusdem Missalis: & quando aspergendus est Chorus fiet forma sequenti. Presbyter cum suis ministris, & Bedellus cùm Acolythis ibunt ad Chorum ad aspersionem, obseruando ordinē Missalis. Et quando Prælatus, vel alia persona insignis celebrabit Missam, seruabitur in aspersione ordo eiusdem Missalis.

[d] Extat integer supra in notis ad cap. 4. Conc. I. Prou. pag. 64

De Prælato; vide Bullam supra pag. 65. col. 1. vers. Cum verò.

Finita Missa Presbyterū qui celebrauerit alij comitabuntur à Sacristia ad chorum, eodem ordine & modo, quo ipsum priùs duxerunt à choro ad Sacristiam.

Organo nunquam inchoantur *Kirie eleyson*, quæ semper cantari debent, & quando organum adhibetur, debent ipsorum quinque cantari per chorum, & quatuor tantùm organo relinqui. Primus versus *Gloria in excelsis*, debet cantari à choro, & organum, quando exercetur, vicissim respondere, & nunquam incipietur ab organo, sed à choro. Et quando fit cantus organicus, non resumunt organa primum versum, nec ad ipsum pulsantur ad *Deo gratias*, quod dicitur post *Benedicamus Domino*, & post *Ite Missa est*, & ad inchoandum *Credo* nunquam pulsantur organa.

Cap. XII.
De Matutinis, & Laudibus.

FInito vltimo sonitu tintinabuli *aguyon*, cum Hebdomadarius recitauit *Pater noster*, *Aue Maria*, & *Credo*; stans erectus in suo sedili, versa facie ad altare, & demissis manicis superpellicei, dicat alta voce *Domine labia mea aperies*, signando sibi os signo crucis, ac dato per chorum responso, iterum se signando à fronte vsque ad pectus, eodem tono dicet, *Deus in adiutorium*; & stantibus

bus omnibus respondebit chorus continuò vsque ad *Gloria Patri*, & *Alleluia*, vel, *Laus tibi Domine*, pro ratione temporis.

Inuitatorium inchoabunt pluuialibus induti duo, quatuor, vel sex, si tot fuerint: vel quatuor, duo, aut sex Præbendarij, pro ratione solemnitatis: si fuerit festum quatuor pluuialium, omnes simul incipient Psalmum, *Venite exultemus*, & continuabunt vsque ad *præoccupemus faciem eius*, & deinceps post hanc partem duo tantum ex paratis pluuiali dicent reliqua vsque ad finem illius Psalmi, choro Inuitatorium repetente.

Omnibus in pedes erectis illi pluuialibus induti inchoabűt Hymnum, & chorus vterque alternatis versibus prosequetur. Finito hymno, ijdem pluuialibus induti, intonabunt primam Antiphonam nocturni, & si fuerit festum duplex, totam simul cum choro continuabűt, & ipsi intonabunt primum Psalmum vsque ad medium versus. Postеà duo ipsorum, qui fuerint ex parte aduersa Hebdomadario, commendabunt secundam Antiphonam duobus Præbendarijs chori sui, qua finita, ipsimet intonabunt secundum Psalmum. Et hoc ordine commendabunt omnes reliquas Antiphonas, & Psalmos trium nocturnorum. Si autem festum fuerit duorum pluuialium, eundem ordinem obseruabunt, præterquamquòd tűc vnus hinc, & alter inde in alterutro choro commẽdetAntiphonas ad suá partem pertinentes. Præbendarius autem cui commendabitur, intonabit ipsam, & qui commendauit intonabit Psalmum vsque ad medium versus; & Præcintor inchoabit Hymnum, & Psalmos.

Finito tertio Psalmo & eius Antiphona, parui cantores duo, vel vnus, iuxta rationem solemnitatis, dicunt versum retrò magnum pluteum. Et Hebdomadarius stans in suo sedili statim incipit *Pater noster*, sicut in initio, & versum, *& ne nos* in tono alto, & absolutionem, & ad quamuis lectionem dabit benedictionem cum eam lecturus petierit per verba. *Iube Domine benedicere*. Et eundem ordinem seruabit in reliquis nocturnis.

Versum primi Responsorij in festis valdè solemnibus dicent simul omnes induti Pluuialibus, & versum secundi, tertij, quarti, quinti, sexti, & septimi responsorij, duo tantum, & versum octaui totus chorus, & Pluuialibus induti tenendo virgas in manibus; & si fuerint duo parui cantores, dicent secundum versum.

In festis non adeò solemnibus, omnium responsoriorum versus dicent Præbendarij, singuli singulos pro suo choro, & quando nullus erit indutus Pluuiali, omnia ista dicent Præbendarij, & si fuerit aliquis paruus cantor, dicet secundum versum.

In duplicibus valde solemnibus primam lectionem leget vnus Portionarius, secundam vnus Canonicus, & tertiam vna Dignitas, quartam vnus Canonicus, quintam vnus Canonicus, & sextam vna Dignitas; septimam vnus Canonicus, octauam vna Dignitas, & Nonam Prælatus, vel Hebdomadarius. Et cum Prælatus lecturus sit Nonam, petet benedictionem dicendo. *Iube*

Do-

Domine benedicere, & nemo respondebit, sed post breue interuallum Chorus dicet *Amen*. Et si non fuerit festum tam solemne, octauam leget vnus Canonicus, & nonam Hebdomadarius.

In diebus ferialibus & vigilijs, & in ferijs quadragesimæ, quatuor temporum, & Rogationum primam lectionem leget Portionarius, secundam Canonicus, & tertiam Dignitas.

Finitis lectionibus, illi qui erunt induti Pluuialibus incipiunt Hymnum *Te Deum laudamus*. Et si fuerit festum simplex vel feria[e] *incipiet Præcintor*, & prosequetur chorus, omnes in pedes erecti.

Laudes.

FInito hymno Hebdomadarius stans in suo sedili, solutis manicis, & signando se incipiet *Deus in adiutorium meum intende*, & respondebit chorus vsque ad finem *Gloria Patri*, & pluuialibus induti, si fuerint, vel si non fuerint, ipsi Præbendarij intonabunt, & dicent primam Antiphonam; & si fuerit duplex, dicent totam, & intonabitur primus Psalmus ordine consueto in hac sancta Ecclesia.

Dicto quinto Psalmo cum sua Antiphona, Hebdomadarius, quando Matutinæ cantabuntur, eodem corporis compositione, qua cœperat, dicet capitulum, eoque finito descendet ex choro, solutis manicis superpellicei, & plicatis ad brachium ibit ad Sacristiam pro pluuiali, cum comitatu in hac sancta Ecclesia solito, deponendo biretum, & faciendo humiliationem Prælato, si adfuerit in choro; & si non, versùs Præbendarios: & interim dum reuertitur ad chorum, cantores incipient hymnum, & continuabitur à choro, & organo: & in eius fine duo iuuenes chorales, vel duo Capellani dicent versum, cui cùm respondebit chorus, tunc illi qui pluuialibus induti fuerint, vel Præcintor intonabit antiphonam ad *Benedictus*, & cantores finita antiphona incipient Canticum *Benedictus*, ad quem omnes adstabunt, & nunquam inchoabitur per sonitum organi.

Cum intonatur canticum *Benedictus*, Sacerdos cum solita comitiua exit à sacristia, & incensabit altare, ac deinde perget ad chorum, & incensabit Prælatum, & chorum, & finita incensatione, & antiphona dicit orationem, & terminantur Matutinæ, & Laudes cum antiphona Dominæ nostræ quæ tempori conueniet, toto choro illam submissa voce, & Presbytero similiter orationem recitante.

Quod ad Matutinas, & Laudes in nocte Natiuitatis attinet, præsente Prælato obseruabitur ordo præscriptus in Pontificali.

Organum nunquam inchoabit *Benedictus*, sed chorus.

Caput XIII.
De Prima.

HEbdomadarius ad horas minores destinatus, obseruando eundem ordinem, & corporis compositionem, quæ in Matutinis diximus, recitatis *Pater noster*, *Aue Maria*, & *Credo*, incipiet versum, *Deus in Adiutorium meum intende*.

& con-

& continuabit chorus, vt ante diximus, vſque ad hymnum, quem inchoabit Præcintor, & chorus alternis verſibus proſequetur, & antiphonam intonabit vnus paruus cantor ad latus plutei, vel ſi ſolemnitas exegerit, vt ab vno Beneficiato incipiatur,qui antè præmonebitur ab eo qui habet officium commendandi, ille eam intonabit erectus in pedes, ſolutis manicis, & facie verſa ad altare, cum libro in manu, quem poſteà dabit illi qui commendauit antiphonam, & hic eum recipiendo faciet profundam humiliationem.

Primum Pſalmū inchoabit Præcintor, & omnes Pſalmi per ambos choros alternis verſibus continuabuntur, ſtantibus ſingulis in ſuis locis cum magna diſciplina, ac decentia, vel ſedentibus, exceptis diebus Dominicis, in quibus dicendum erit *Quicunque vult*: quod ſtantibus omnibus dici debet; & finitis pſalmis totus chorus dicet integram antiphonam.

His abſolutis, Hebdomadarius illicò ſolutis, vt dictum eſt, manicis, & versùs ad pluteum, quem cum libro iuxtà ſuam ſedem habebit,pronunciabit Capitulum, & choro reſpondente *Deo gratias*; duo parui cantores, vel vnus pro ratione ſolemnitatis diei, dicent reſponſorium breue cum ſuo verſu, omnibus in pedes erectis. Et ſi fuerit feſtum duplex, Hebdomadarius dicit orationem eodem loco, eademque compoſitione corporis, quibus dixit Capitulum.

Tempore Aduentus, [f] *Cum geſtabuntur cappæ*, ſemper quoties Hebdomadarius capitulum, orationem, vel aliud ad ipſius officium pertinens ſolus legerit, debet demittere angulos cappæ: & cum illa indutus procedit à ſacriſtia ad chorum cum miniſtris, debet *capitium cappæ* in ſuo capite geſtare, & ſic etiam reliqui Beneficiarij, obſeruando, vt anguli cappæ ſoluti deorſum pendeant quoties intonant antiphonam, pſalmum, vel dicent aliquem verſum; & Canonicus aſſiſtens id ipſum faciet præſente Prælato, quando accedet ipſum. Et quando non ſunt cappæ in omnibus his actionibus demittent manicas ſuper pellicei, cum vno giro circa brachia.

In diebus precum, qui non ſunt feriales, vt ſunt illæ quæ dicuntur ad Laudes, debent ſimul cum confeſſione ſtando recitari, & capita parumper ad confeſſionem inclinando, ſed quando preces erunt feriales, debent in eis genuflectere vſque ad finem orationis, quam recitabit Presbyter erectus in pedes, & ea finita, dicetur prima Dominæ noſtræ, & finita oratione, cum nihil amplius dicendum reſtat, pronunciabitur Martyrologium, & ſtatim poſt incipiet *Pretioſa* cum omnibus ſuis verſibus, & abſoluto tertio dicetur oratio *Dirigere*: qua finita aliquis paruorū cantorum petet benedictionē pro lectione breui, eamque elata voce dabit Presbyter. Poſt *Tu autem Domine*, dicto, *Deo Gratias*, Hebdomadarius abſoluet primam.

Cap. XIV.
De Tertia, Sexta, & Nona.

IN iſtis tribus paruis horis obſeruabitur idem ordo, qui in prima, excepto, quòd in principio dictis

Pa-

Pater noster, & *Aue Maria*, tantummodo Hebdomadarius incipiet. *Deus in adiutorium meum intende*, & Præcintor intonabit Hymnum, quo per chorum alternatim finito, intonabit antiphonam ille ad quem spectabit. Et cum fuerint preces, recitabuntur flexis genibus, vt dictum est, pro ratione temporum.

Cap. XV.
De Officio Dominæ nostræ.

OFficium Dominæ nostræ dicetur diebus consuetis in hac sancta Ecclesia, & recitabitur totum tono summisso, excepto hymno *Aue Maris Stella*, & versu *Quia respexit*, ad quæ omnes debent genuflectere, vt fert consuetudo huius sanctæ Ecclesiæ.

Matutinum, & Laudes Dominæ nostræ debent dici ante Matutinum Officij maioris, vt & Vesperæ ante Vesperas maiores; reliquæ verò Horæ alternatim, ita quòd post quamlibet maiorem dicatur vna Dominæ nostræ, hoc modo: Prima post Primam, & sic in Tertia, Sexta, & Nona, idem obseruabitur ordo.

Cap. XVI.
De Vesperis præsente Prælato.

QVando Prælatus interfuerit Vesperis, tunc sex, quatuor, vel duo cappis, seu pluuialibus induti venient ordine in hac sancta Ecclesia vsitato, præcedente Bedello, & post ipsum tot paruis cantoribus, cum suis virgis, quot fuerint alij cappis induti & in pauimento inter vtrumque chorum facient humiliationem sanctissimo Sacramento depositis biretis, & cùm accesserint ad sua loca facient humiliationem versùs Prælatum, & Hebdomadarius, qui dicturus est vesperas, cum ea compositione, quam in Matutinis præscripsimus, humiliet se versùs Prælatum, in signum quòd petat eius licentiam; & versa facie ad Altare; dicat, *Pater noster*, & *Aue Maria*: ac deinde incipiat, *Deus in adiutorium*. Et respondet chorus, vt dictum est.

Qui pluuialibus induuntur, commendabunt Antiphonas, Beneficiarijs, Præbendarijs, Canonicis, & Dignitatibus; & ipsi sua sceptra in manibus gerentes, stantesque in medio chori intonabunt primum Psalmum vsque ad medium versus. Secundam Antiphonã commendabũt duabus Dignitatibus duo cappati alterius chori non hebdomadalis. Tertiam item duo cappati alterius vicissim chori, duobus Canonicis antiquioribus; quartam similiter ex altera parte duobus Portionarijs integræ portionis, & quintam duobus mediæ portionis.

Absolutis Psalmis, & Antiphonis Presbyter demissis manicis eadem compositione corporis qua incepit, & versa facie ad pluteũ, quem ante suam sedem cum libro habebit, leget Capitulum, eoque finito descendet de sua sede, & facta humiliatione aduersus Prælatum, procedet ad sacristiam cum solita comitiua, per ordinem supra ad Laudes dictum.

Chorus intereà cantabit hymnum, & duo parui cantores dicent versum retrò pluteum; & ad eius latus, cum fuerit vnus solus: & mox, qui pluuialibus induti sunt, cum sceptris in manibus intonant Antipho-

phonam ad *Magnificat*, qua finita, si fuerit festum duplex, ijdem pluuialigeri cum choro simul incipient *Magnificat*, & ibunt versus Prælatum, & ponent se in corona circa subsellium pedum eius, ante ipsum, & omnes Beneficiati stantes in suis ordinibus component se pariter in circulum cum Prælato, versa facie ad ipsum, aliquantum extra sua sedilia, vsque dum finiatur totum Canticum, ad quod cantandum ipsum iuuent pluuialigeri, nec vadant ad sua loca, nec Beneficiati sint planè in sedilibus suis, donec Prælatus det benedictionem.

Non præsente autem Prælato dicent canticum alternis versibus illi qui gerunt pluuialia.

Quando Hebdomadarius exit è Choro ad incensandum altaria ad Magnificat, *& quinam eum comitentur.*

POst dictum Capitulum, præsente Prælato, Hebdomadarius, facta versùs ipsum humiliatione, exit è choro comitatus à pluuialigeris, Sacristanis, Bedello, & iuuenibus choralibus, & Sacellanis, & Sacerdotibus, qui per præsidentem ad id fuerint designati, & procedit ad Sacristiam; vbi datur ipsi pluuiale, quo amictus inde cum eodem comitatu pergit præcedentibus Acolythis cũ duobus candelabris, & Sacristanis cum duobus thuribulis, & appulsus ad infimum gradum altaris, facta inclinatione, & humiliatione, flexis genibus surget Presbyter, & accepto thuribulo ex manu vnius pluuialigerorum incensabit, faciendo humiliationes iuxta præscriptum Missalis, & postquam incensauerit altare maius, incensabit altaria collateralia. Quo facto intrabit chorum, & ex parte sua chori ascendet primum sedile, ibiq; cantabit orationem iuxta morem huius sanctæ Ecclesiæ, ac dicto *benedicamus Domino*, redit ad Sacristiam cum eadem comitiua, ibiq; exuti redeunt ad chorum in suis superpelliceis, ad dicendum completorium.

Ordo incensandi Chorum.

AD accessũ Presbyteri ad chorum Præsidens descendens de suo sedili accipiet thuribulum & incensabit Prælatum, & facta ex vtraq; parte reuerentia, ascendit ad suum locũ, & thuriferarij incensant prius Presbyterum, & post hunc pluuialigeros, & assistentes, & mox Beneficiatos, ac deinde reliquos, qui ad hãc actionem stabunt: & si quis nõ surrexerit, non incensetur. Deinde finita antiphona Presbyter dicat orationem & commemorationes, si fuerint dicendæ, & absoluent, cum *Benedicamus Domino*, cui semper voce, & non organo respondebitur: Post hæc statim Presbyter facit suam humiliationem versùs Prælatũ, et perget ad Sacristiam, cum reliquis pluuialigeris et comitibus, sicut venit, facta ab omnibus humiliatione versùs Prælatum.

Si Prælatus dederit benedictionem, cantetur, et cum non sit cantanda, non pronunciet illam solemniter.

Cùm non interfuerit Prælatus, seruetur idem fere ordo, exceptis humiliationibus et circulis: quæ, si non fuerit Præsens, non fient. Et Canticũ *Magnificat* dicetur alternatis ver-

sibus inter pluuialigeros stantes in suis locis, et quando non erunt qui gestent pluuialia, vnus paruus cantor intonabit antiphonas, & Præcintor incipiet psalmos, hymnos, et *Magnificat*; Et quando dicendæ sunt preces ad Laudes et Vesperas, debēt flexis genibus dici. Et quoties fit incensatio in vesperis, debet etiam fieri in Missa, ad minus dum fit eleuatio.

Quando facier officium Pontificaliter, seruetur ordo pontificalis, vt etiam quando intererit vesperis solemnibus.

Cap. XVII.
De Completorio.

ABsolutis vesperis, ille, cui commendata fuerit lectio breuis, accedet ad pluteum, ac demissis manicis, vti diximus, dicat lectionem Completorij, petita prius benedictione, cui respōdebit Hebdomadarius. Finita lectione, & responso per chorū *Deo gratias*, Hebdomadarius submisso tono dicet *Adiutorium nostrū*, & *Pater noster* dicatur secreto, & cōfessio tono submisso, dum non sit præsens Prælatus: Nam si fuerit, tunc *Adiutorium*, & confessio dicuntur alta voce, & *Pater noster* secreto; ad quæ non præsente Prælato omnes stabunt; & præsente genuflectēt, vt dictum est, & Canonicus inchoabit cantu *Conuerte nos Deus*, & *Deus in adiutorium*, & Chorus ad vtrumque respondebit prosequēdo vnum & alterum. In toto reliquo seruabitur ordo aliarum horarum, pręterquàm quòd ad quartum Psalmum, & ad Canticum *Nunc dimittis* debeant stare, vt in hac Ecclesia consueuit; Ad quod Canticum *Nunc dimittis*, Præbendarij debent facere circulum, vt prius dictū est ad *Magnificat* in vesperis, cum Hebdomadarius prius intonuerit antiphonam *Salua nos*, quam in fine Cantici dicet vniuersus Chorus, & si fuerint preces feriales, eas dicent genuflexi, & si Dominicales, erecti in pedes, & Hebdomadarius dicet orationem cū *Dominus vobiscum*, & *Benedicamus Domino*. Et mox genuflexi omnes, vel pro ratione temporis in pedes erecti dicent vnam ex assignatis antiphonis B. Virginis, & Hebdomadarius dicet orationem, vtramque submisso tono, & absoluit dicendo *Diuinum auxilium*; & postea *Pater noster, Aue Maria*, & *Credo in Deū*.

§ *Salue quod dicitur diebus Sabbathinis*, dicitur inferiùs in Ecclesia ante imaginem Dominæ nostræ iuxta priscam consuetudinem huius sanctæ Ecclesiæ.

Nunc dimittis nunquam inchoatur sono organi, sed viua voce chori, & organum posteà alternis versibus respondet.

Cap. XVIII.
De Officio Defunctorum.

SI Capitulum inuitatum fuerit ad celebrandas exequias, poterit ire ad funera principalium personarum. Et qui illos inuitatum venerint, præmoniti, & instructi sint, quòd Capitulum de iure, & ex fundatione huius sanctæ Ecclesiæ non teneatur egredi ad funera, vel exequias vllius: Et quòd si velint, vt Capitulum sumat laborem assistendi ipsorum funeribus, vel celebrandi ipsorum exequias, hoc fit ad ipsos honorandos.

Cæte-

Cæterùm quod ad Prælatum, & Præbendarios huius sanctæ Ecclesiæ pertinet, seruetur, & adimpleatur cõsuetudo quæ extat, ipsos gratis tumulandi.

Quando morietur Prælatus, vel Præbendarius huius sanctæ Ecclesiæ, Capitulum gratis celebrabit ipsius exequias cum omni possibili solemnitate. Et quando morietur talis Prælatus vel Præbendarius, quilibet alius ex Præbendarijs debet celebrare, vel ab alio celebrari facere tres missas pro Prælato; & idipsum faciet Prælatus superstes pro singulis Præbendarijs qui morientur: quod intelligi debet de Prælato & Præbendarijs qui sunt, vel fuerint actualiter, vel eo tempore possessionẽ inibunt. Et in funere Prælati & Præbendariorum, & in eorum die anniuersario dicentur tres nocturni, & Missa cantata cum Diacono & Subdiacono; ac dum dicuntur nocturni fit solemnis crepitus campanarum vulgo *se doblan*. Et totum fit gratis, nullo iure seu emolumento propter hęc exacto. Quoad sepulturam Prælati, & Præbendariorum, obseruetur laudabilis consuetudo huius sanctæ Ecclesiæ, vt nihil omnino accipiatur pro tali sepultura. Et Prælatus poterit eligere quemcunque voluerit locum: Et quando non elegisset sepulturam, eam ipsi assignabit Capitulum in loco maximè eminenti Sacelli maioris: Præbendarijs autem morituris destinabunt sepulturam, quæ ipsis videbitur illi concedenda, interim dum fiet sepultura concamerata sub summo altari, in qua possint omnes sepeliri.

Aliqua die infra octauam omniũ Sanctorum, Capitulum cantabit vnã Missam cum suo nocturno pro Animabus Prælatorum, & Præbendariorum, qui mortui sunt in hac sancta Ecclesia, nihil omnino propter hoc exigendo.

Et quando Prælatus, vel Præbendarius defunctus fuerit adeò inops, vt non habeant expensas suorum funeralium in cera & tumulo, tunc Prælatus & Præbendarij superstites facient illas expensas de suo proprio cuiuslibet.

In omnibus pariter Missis, quæ Prælatus & Præbendarij intra anni decursum celebrabunt, debebunt in vtroq; *Memento*, recordari tam Prælatorum, quam Præbendariorum viuorum ac Defunctorum huius sanctæ Ecclesiæ.

Cap. XIX.
De Parochis.

Parochi huius sanctæ Ecclesiæ ordinariè resideant in ipsa, & erunt primi qui intrabunt, & vltimi qui exibunt ex ea, saltem vnus ipsorum, ad hoc, vt, si vlli necessarium sit aliquod Sacramentum, facilè inueniantur; & quoties non fuerint inuenti ad ministrandum Sacramenta, punientur ex arbitrio Præsidentis. Obstricti sunt etiam ijdem Parochi, vt hactenus fecerunt, sumere pluuialia ad vesperas, in Choro, & processionibus, cum illis iussum fuerit.

Diebus quoque Dominicis, post Offertoriũ Missæ maioris, promulgabunt festa intra septimanam obseruanda. Et si aliqua charta excommunicationis legenda fuerit, eã leget Sacrista, postquam Parochus promulgauerit festa.

Parochi dum celebratur officiũ in Choro, nullum fepelient, vel facient vllum officium cantando, vel aliud quidpiam faciendo, quo turbetur Chorus.

Prouidebunt Ecclefiæ fontibus aquam benedictã, illas fingulis diebus Dominicis, & fi opus fuerit, fæpiùs purgando: quam aquam benedicent die Dominica fummo mane, & iubebunt Sacriftanis, vt illam ftatim infundant pilis.

Iidem Parochi Sabbatho fancto, & in vigilia Pentecoftes ftromatis & ramis ornatè veftient parietes Sacelli Baptifmalis, fpargendo pauimentum herbis refrigeratiuis, fitq; Sacellum valde mundum & bene prouifum recenti & munda aqua tantum, & ita mundum & ornatum feruetur Sacellum per integras octauas Pafchæ & Pentecoftes.

In funeralibus obferuabunt Parochi ordines fibi præfcriptos in conftitutionibus Synodalibus circa iura tunc exigenda.

In omnibus funeralibus maioribus Parochi & Sacriftani intereffe teneantur: in quibus cum de viro fient, in illis non fient plus quam tres fonitus campanarum, & fi de fœmina tantùm duo. Et fi petierint comitiuã, Parochus non ducet plures quam fex Sacerdotes, nec ferentur thuribula; in hoc obferuando laudabilem & antiquam confuetudinem quam hæc fancta Ecclefia habet. Sic etiam ad funeralia quæ dicti Parochi celebrabunt, non ibit chorus muficus huius fanctæ Ecclefiæ. Teneantur etiam adeffe Parochi funeralibus, quibus interfuerit Capitulum: Quandoquidem ab illis habent iura fua confueta.

Cap. XX.

Quando facienda fint proceffiones cum Pluuialibus.

Debet fieri proceffio cum Pluuialibus in die Natiuitatis Domini noftri Iefu Chrifti. In die Regum, in die Pafchæ Refurrectionis, in Afcenfione, & in die Pentecoftes. In die SS. Petri & Pauli: In die Dominæ noftræ in Augufto. In die S. Ioannis Euangeliftæ: & S. Ioannis Baptiftæ: In quibus Præbendarij tantùm & non alij pluuialibus induentur. Et in die Palmarum, & in Vifitationis Dominæ noftræ; & Corporis Chrifti, & ad Litanias, & in die Innocentium, & quando fiet feftum Dominæ noftræ de Capacabana. Et quoties fient proceffiones generales, Rectores Ecclefiarum parochialium huius Ciuitatis teneantur venire ad proceffionem cum fuis crucibus, & facta proceffione redeunt ad fuas Ecclefias, ad dicendas Miffas, & fi non accefferint, punientur. *Vide Notas ad cap. 2. Act. 4. primi Concil. Prouinc.*

Cap. XXI.

De Officio Præfidentis.

Præfidens debet primus ad horas accedere, venit enim manè antequam abfoluatur pulfus ad Primam, & cognofcit, an dictæ fint Miffæ, quæ ante Primam dicendæ funt, & fi non fint dictæ, ftatim punit eos quibus incumbit eas dicere, & profpicit, vt Ecclefia munda fit, præfertim altaria & chorus, qui fingulis diebus verri debet, & in æftate rigari: & fi fedilia munda fint, quoniam fingulis diebus decuti, & purgari

gari

gari debent per Sacristanos Ecclesiæ.

Præses erit genuflexus in suo sedili, vt reliqui exemplum ab illo sumant; & curabit, vt punctator sit genuflexus vsque dum inchoëtur officium, & vt omnes intrent Chorum cum silentio, & genuflectent, ac debitas ceremonias obseruent. Faciet vt nemo sit in choro absq; superpelliceo; neque cum pileo: & vt nullus induat, vel exuat se superpelliceo intra chorum: procurabit, vt quisque suum officium pro debito exerceat, tam in choro, quam in tota Ecclesia, & vbicunq; capitulum sua munia exercebit.

Super omnia peculiarem zelum habebit in custodia silētij, hinc enim dependet vniuersum bonū vel malum seruitij choralis. Quicunque locutus fuerit, primò moneat ipsum vt sileat; & secunda vice qua quis locutus fuerit, faciet signum punctatori, vt ipsum priuet fructu illius horæ, & cum ducentur rationes, videat an eos priuent, ita vt non remittatur vllum punctum vllius defectus quem commiserint.

Et vt obseruetur silentium, curet, vt singuli maneant in suis sedilibus, & ne transeant de vno loco in alterum. Et quantum fieri poterit, dum chorus non erit plenus, sit semper inter duos quosq; vnus locus vacuus; sic enim silentiū meliùs obseruabitur, & chorus ipse apparebit magis cultus. Et si alicui dixerit, vt se separet, vel quoniam alteri loquitur, vel ob aliam causam, & non obedierit ei, iste mulctabitur fructu vnius horæ. Magno identidem zelo curet, ne quisquam è choro exeat sub *Te Deum laudamus*.

Faciet etiam vt scamna tempestiuè collocentur ad audiendū sermones, quæ aptari debent priusquam incipiatur Prima: & vt ad Vesperas, quibus inseruiunt pluuialigeri, aptētur scamna cum suis tapetis ante initium Vesperarum. Videat & prouideat, vt in pilis non desit aqua benedicta, & vt singulis diebus Dominicis benedicatur: & vniuersim videat & prouideat, vt singuli suis muneribus debito tempore fungantur.

Non sine magna necessitate concedat, vt aliquis egredietur è choro, videat vt omnes debito habitu, capillis, & corona decenter incedant, videbit pariter an Parochi in Ecclesia resideant cum suis superpelliceis, & si non sint occupati in suis officijs, faciat ipsos puniri: Et similiter quemcunque non obseruantem supradicta. Et curabit, ne quisquam celebret in altari maiori, præter Illustrissimum Archiepiscopum, & Dignitates, & Canonicos huius sanctæ Ecclesiæ.

Cap. XXII.
De Officio Præcintoris.

PRæcintor in choro semper esto antequam inchoëtur officiū. Intonat in omnibus horis maioribus & minoribus: In duplicibus maioribus ad Vesperas & Matutinas intonabit simul cum pluuialigeris, quando ipsi non sunt dexteri. Et quando Matutinæ cantantur, ipse post Completorium prouideat, quod in eis cantandum fuerit: & pariter post Primam prouideat, quod cantandū fuerit in Missa maiori: & finita Nona, prouideat cantandum ad Vesperas,

ras,faciendo vt iuuenes chorales adferant necessarios libros; & hoc antequam inchoëtur officium, quia multum distrahitur chorus, quando libri inter officiandum adferuntur: multam curam adhibebit, vt omnes cantent, & quòd iuuenes chorales cum maximo silentio detectis capitibus semper cantent ante librum: & quod nemo ingrediatur chorum cū chirothecis, aut galero, quales chirothecas & galeros ipsis auferre poterit, & de illis pro suo arbitrio disponere. Commendabit antiphonas, & lectiones, & reliqua,quæ cantari debebant illis personis quibus commendanda iudicauerit,videatq; vt habiles sint. Si iuuenes chorales, vel alius chori minister ipsi nō obedierit, illum deferat Præsidenti, vt per eum castigetur, & puniatur. Nec vllus choralium iuuenum in choro castigabitur verbis, vel tractu crinium. In toto cantu numerum, vulgò, *compas* reget Præcintor iuxta festa & eorum solemnitates: neque quisquam eum mutet,nisi cùm Præsidens iusserit, vt velocior tardiorue sit: Quod si alij cuipiam mutandus videatur, is poterit Præcintore m silentèr monere. Quidquid intonandum habebit, id intonabit in medio chori, & neutiquam è suo sedili,nec supra suppeditaneum sedis Illustrissimi. Quando Præcintor exit è choro,officium suum commendabit alteri, quem idoneum & maioris zeli esse iudicauerit, vt officium benè præstet. Et ipse quanto minus poterit, & ob causas tantùm necessarias abesse à choro conetur; quia totus concentus, & bonitas chori in Præcintore cōsistit,& propterea studebit semper adesse. Præcintor habebit curam omnium librorū chori, & munus illos corrigendi & emendandi, si id facere sciat: Sin minus, per aliam personam à Capitulo assignandam præstabitur.

Cap. XXIII.
De Officio Correctoris.

SCholasticus,vulgò,*Maestre scuela* huius sanctæ Ecclesiæ curam habebit,vt Diaconus & Subdiaconus antequam legant Epistolam, vel Euangelium, illa præuideant coràm ipso, ante vel post dictam Tertiam. Qui pariter lectiones ad Matutinum lecturi sunt,eas post Completorium coràm ipso præuideant, vt & Martyrologium eodē tempore; & vniuersim omnes lectiones, & prophetiæ, quæ in choro, vel ad maius altare dicendæ sunt, nunquam sic dicentur,nisi priùs coràm Scholastico, vel eo absente, coràm alio, cui ipse id commendauerit, præuideantur; Qui maximam curam geret, vt omnia debito modo dicantur, & pronuncientur.

Et quando quispiam in lectionibus, vel re alia errauerit, à nemine emendabitur,præterquam à Scholastico, qui præsens erit, vel eo absente, ab alio cui ipse id cōmendauerit.

Cap. XXIV.
De Officio Cantorum.

CAntores huius sanctæ Ecclesiæ obstricti sunt assistere, & organico cantu canere omnibus diebus festis, quæ seruantur, ad Primas Vesperas, Tertiam,& Missam maiorem. Et ad Paschata, & festa, & diebus Dominicis & Sabbathinis, &

ad

ad principales dies Dominæ nostræ, S. Ioannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli, S. Ioannis Euangelistæ, etiam in secundis Vesperis, & in Matutinis Natiuitatis, & Resurrectionis, & in diebus Quadragesimæ, in quibus habetur concio, quemadmodum cum dictis cantoribus ordinatum, et pactum est.

Eodemque modo tenentur, quãdo erũt funeralia, et sepulturæ Prælati, vel cuiuslibet Præbendariorum, præsentes esse, et canere cantu organico absque eo quod prætereà quidquam acquirant, vel ipsis detur.

In Ecclesia cantare non poterunt, neque cantent cantu organico in vllis exequijs, vel sepulturis, nisi quando tales exequiæ vel sepulturæ celebrabuntur per Capitulum huius sanctæ Ecclesiæ. Nec vadant ad cantandum cantu organico ad vllam aliam Ecclesiam, absq; petita priùs, et obtenta licentia à Capitulo.

Cap. XXV.
De Officio Organistæ.

QVi præest Organis, illa pulsabit omnibus diebus duplicibus, & semiduplicibus, obseruando consuetudinẽ, quam tenet hæc sancta Ecclesia. Et Organum nunquam incipit, hymnos, *Magnificat, Nunc dimittis, Benedictus Dominus Deus Israel, Tantum ergo Sacramentũ,* nec *Crux aue spes vnica*, nec *Gloria Patri*, nec *Kyrie*: quia omnia ista debet incipere Chorus, nec pulsetur ad *Deo gratias*, post *Ite Missa est*, nec post *Benedicamus Domino*, sed Chorus respondebit cantando *Deo gratias. Gloria* et *Credo* non resumet organum; poterunt tamèn cantari et pulsari alternis vicibus, Choro semper inchoante.

Cap. XXVI.
De Iuuenibus Chori.

IN hac sancta Ecclesia ordinariè haberi debent duodecim iuuenes chorales, quorum sex alet Capitulum proprijs sumptibus, & alios sex expensis fabricæ Ecclesiæ. Quibus habenda est lectio cantus, Grãmaticæ, & aliorum quæ ipsis conueniunt, cum obligatione residendi in Ecclesia toties quoties in ea fient officia, vt debent ante omnes adesse, ad hoc, vt tempestiuè exerceantur in suis muneribus; toto tempore quo assistunt in Choro, debent in suis pedibus persistere ante pluteum, sine biretis, ac demissis manicis superpellicei, sine chirothecis aut pileis in manibus.

Præsidenti, cæterisq; Præbendarijs, & officialibus obsequentissimi sunto, valde curiales, & bene morigerati. Præbendarios magna vrbanitate, detectisq; capitibus, ac demissis manicis alloquentur. Quando Præbendariorum quisquam aliquid ipsis insserit, id libenter & promptè facient.

Iidem iuuenes cum magna deuotione inseruient Missis priuatis, & ad seruiendum pariter sequi debent, quocunq; se confert Capitulum: ac dum celebratur officium, non ibunt ad vllius exequias, vel funera sine speciali licentia Capituli; quod si iuerint, vel negligant officia sua, puniantur ad arbitrium Præsidentis.

Debẽt ordinibus initiari, vt vnus quisq; possit seruire, & ministerium

suum

suum exercere, Grammaticam & cantum addiscent, quo poterunt tépore ante vel post horas, & qui ipsos instruit, curare debet, vt continuæ sint Lectiones, alioquin ipsos deferet ad Capitulũ, à quo punientur, & compellentur vt in eis assidui sint.

Cap. XXVII.
De Officio Bedelli, seu Perticarij.

Bedellus summo manè ad Ecclesiam accedet & curare tenetur, ne in ea vllus faciat quidquã indebitum, nec sit tumultus, aut inquietudo: & quòd nemo cum onere transeat ante altare maius aut Chorum. Valde zelare debet, ne in templo sint colloquia, nec Ecclesiasticorum, vel sæcularium obambulationes, dum celebrantur horæ. Curam quoq; habebit, ne vllus sæcularis ascendat in Presbyterium, & ne quisquam sit inclinatus, vel cubitis innixus altaribus, nec vllus sedeat verso ad illa dorso.

Quoties Hebdomadarius ad se ornandum pro Vesperis, vel Missa maiori procedit à Choro ad Sacristiam, ipsum cum sceptro præcedet: Itemq; cum Subdiacono ad Epistolam, & cum Diacono ad Euangelium, & quoties Diaconus, vel Subdiaconus eunt ad Chorum præsente Prælato. Præcedet pariter Thuriferarios, quoties eunt cum incenso, & eos qui pacem ad Chorum deferũt, & semper cum omnibus eodem modo redit. Et postquam Hebdomadarius, & Capparij seu Pluuialigeri erunt exuti, redeat cũ ipsis ad Chorum, & ponet se ante pluteum, ibiq; exhibeat reuerentiam Hebdomadario, stetq; semper propè maius altare, sollicitè curando, vt omnia seruanda seruentur.

Bedellus tenetur Ecclesiam accedere omnibus Dominicis & festis obseruandis, ad Primas & secundas Vesperas, Tertiam, & Missam maiorem, ad Matutinas item Paschales, & aliorum dierum infra annum, in quibus sit officium cum solemnitate, & omnibus diebus concionum, & omnibus reliquis diebus, in quibus fit officium solemne.

Debet incedere habitu honesto, mundo & authoritatiuo. Conuocat Capitulum quoties à Præsidente, vel Capitulo iussus fuerit; & dum habetur Capitulum, debet assistere extra portam, ne vllus absq; licentia ingrediatur, curareq; ne quisquã auscultet, quæ in Capitulo aguntur, & attendet ibi, vt faciat quidquid Capitulum ei iusserit. Et si officium suum in aliquo neglexerit, punietur ad arbitriũ Præsidentis, vel Capituli.

Cap. XXVIII.
De Sacristanis Ecclesiæ.

Ex fundatione huius sanctæ Ecclesiæ, vltra Thesaurarium, ad quem secundum eam spectat principalis cura Sacrarij & rerum eius, sit etiam Sacristanus, & erunt ordinariè duo, qui in custodia habeant res omnes Sacristiæ ipsorum custodiæ commissas, et ordine descriptas, vt ornamenta, suppellectilem argenteam, et alias res quas Ecclesia in suo libro descriptas habet, in quo ipsi suis Chirographis eas se recepisse profiteantur, et fideiubeant se omnium rationem cum satisfactione reddituros.

Sacri-

Sacristani curam habebunt omnium ornamentorum, vasorum, librorum, lampadum, candelabrorum, thuribulorum, situlorum, pilarum, & omnium aliarum rerum. Altaria pro festorum varietate benè component, eorumq; mensas & pictas tabulas mundas conseruent, & singulis septimanis excutiant, & Ecclesiæ sacella, ter ad minus in hebdomada, diebus scilicet Martis, Iouis, & Sabbathi; discutient etiam tapetes, curabunt expurgari ceram, quæ cadit in ornamenta, petendo omnia ad id necessaria ab Oeconomo.

Singulis septimanis apponent mūdas mappas, & pallia, & corporalia, & purificatoria ad omnia altaria, & ad altare maius bis in septimana, eodemque ordine apponent strophiola, seu mappas ad manus tergendas.

Singulis diebus Sabbathinis candelabria omnia, & vrceolos diligenter mundabunt.

Omnia ornamenta benè congesta conseruent, & singula in suis locis digesta. Quæ eo die seruire debent, tempestiuè apposita sint in mensa vestiaria, & illa cum seruierint, illicò reponant. Pro solis Præbendarijs ordinariè prompta sint quatuor paramenta pro Missis priuatis, quibus nemo alius se paret, nec ponantur in inferioribus mensis, ne alij Sacerdotes illa sibi induant: Et aduertant quòd nemo omninò, ne quidem Decanus induat se casula, quæ exponitur pro Missa maiori, quia solus ille, qui eam celebrat, illa induetur eodem die, nec vllus alius ad Missam priuatam.

Die Dominica cuiusq; septimanæ apponent manutergia munda ad lauatorium, quod in Sacristia fieri iussum est, vt lauentur manus.

Curam habebūt pensendi hostias, & vt sint candidæ & subtiles.

Singulis diebus imponent vrceolis tempestiuè bonum vinum, & aquam recentem.

Lauatorium pro lauandis manibus semper mundum, & benè prouisum teneant.

Illis diebus, in quibus erit vsus thuribulorum, prouideant Sacristani ardentes prunas, quibus incensum infundi possit ad Vesperas & Missā maiorem; videantq; vt ipsa thuribula & nauiculæ semper nitida sint, & bono thure trito & mundo prouisa: maiores minoresq; cereos altaribus apponent, & monebunt Oeconomum, vt recentes emat.

Templum summo manè aperiant antequam pulsetur ad Primam, nec vnquam noctu apertū habeant: Chorum item & Sacella suis temporibus aperiant & claudant.

Teneant sacristiam semper mūdam, & non incompositam, sed vnumquodq; in loco suo. Et manè puluerem excutiant, antequam dicantur Missæ in ara maiori, vel in alijs altaribus.

Non permittant, vt in sacristiam intrent seculares, nec vt per eam transeant ad maius altare, nec vt vllus Clericus in ea maneat sine necessitate, sed vt finitis Missis exeant è sacristia, ad hoc vt altum silentium in ea seruetur.

Diebus Paschalibus, & alijs festis principalibus anni, & pro sepulchro procurabunt peristromata templi, ad quem effectum Oeconomus dabit ipsis duas personas, quæ eos ad appendenda & deponenda omnia,

quæ apposuerint, ... abunt.

Nullus Sacristanorum, vel alia persona ponat vel deponat aliquid in summo altari, nisi superpelliceo indutus: atque ipsorum munus erit calices & corporalia apponere, ac deponere in omnibus altaribus.

Vterq; Sacristanus dormiet in sacristia, in eaq; diù noctùq; permaneat, ne vnquam sui muneris exercitio desit.

Tenentur in Choro residere quoties comitandus sit Presbyter ad altare, & ab altari ad Chorum, quem ipsi comitari debent: habebũt etiam curam campanarum, vt funes & linguæ sint bene dispositæ, & quòd pueri non ascendant campanile.

Rerum Ecclesiæ ipsorum curæ commissarum nihil omnino poterunt propria auctoritate cuiquam accommodare, ne quidem rogatu, vel mandato vllius, præterquam Illustrissimi Archiepiscopi, sub pœna, pro qualibet vice, soluendi Ecclesiæ decem pesos, quos exigendi curam habebit Præses: Et si hæc pœna nõ sufficiat, Præses, vt expedire iudicauerit, eam augebit, vt emendetur defectus qui hactenus occurrebat in accommodando ornamenta, & alias res Ecclesiæ.

Altarium antipendia in omnibus festis appendent ante primas Vesperas, iuxta colores in nouo Missali præscriptos, nec ea deponent ante absolutas secundas Vesperas, & Cõpletorium.

Diligenter curabunt Sacristani, vt Ecclesia bis in septimana verratur, & Chorus æstiuo tempore singulis diebus, & hyemali de tertia in tertiam diem. Et verri debet ante prandium, vt cum ad Vesperas conueni-tur, sint exhalati pulueres. Sacristia pariter singulis diebus verratur, & petatur ab Oeconomo stipendium illorum, qui eam rigabunt.

Cap. XXIX.

De cura quam Sacristani habeant in vsu ceræ Ecclesiæ.

SAcristarum munus erit curare, vt semper adsit bona cera alba; & principalibus anni diebus in altari maiori apponent ad Vesperas, Matutinas, et Missam maiorem sex candelas, singulas ponderis vnius libræ, et diebus Dominicis, ac alijs festiuis ad minus quatuor, quamlibet mediæ libræ, et in aris collateralibus duas item mediæ libræ.

Curabunt similiter ceram in altaribus arsuram ad Missas priuatas, et ad Matutinum in choro, cum necessaria fuerit.

Curabunt quoque candelas ad vsum trianguli pro Matutinis tenebrarum in septimana Sancta, curando, vt candelæ bonæ sint et æquales. Habebunt demùm curam totius ceræ in Ecclesia consumendæ, eamq; tempestiuè petent ab Oeconomo.

Quando Sacristani ad officium suscipiuntur, debent competentem cautionem Prælato et Capitulo, vna cum Thesaurario, dare curandi et custodiendi res omnes, ornamenta, aurum, argentum, et quidquid reliquum singulis annis in suam curam susceperint, vt ex libro constabit, et soluendi ac resarciendi quidquid abesse vel deperditum fuisse reperietur; ad quem finem in principio cuiuslibet anni debet fieri visitatio, et exigi ratio à Thesaurario, et Sacristanis de omnibus quæ ipsorum

curæ committuntur, vt conſtet, quā curam & rationem de omnibus gerunt, & vt, ſi quid tritum vel corruptum fuerit, reparetur.

Sacriſtani debent eſſe valde vrbani, & curiales, valde patientes, & erga Capitulum, & quamlibet eius perſonam reuerentes, nihil non neceſſarium illis loquentes, niſi cum interrogati fuerint. Et eiuſmodi Sacriſtanorū officia per ſuas proprias perſonas præſtare tenebũtur, ac Præbendarios ad Miſſas induere, & exuere debebunt.

Cùmq; in officio præſtando defecerint, vel in alijs rebus contentis in hoc Capitulo, ſic eos puniet Præſes, vt cogat ad omnia ipſorum muneris officia ſeruanda.

Cap. XXX.

De Officio Theſaurarij.

THeſaurarius huius ſanctæ Eccleſiæ ex eius fundatione tenetur habere rationes paramentorū, & aliarum rerum eiuſdem Eccleſiæ, & ideò ipſi iniungitur, vt curam habeat monendi, & iubendi Sacriſtanis, ea quæ in ſacriſtia facere debent, apponendo ac deponendo ornamenta; & efficiendo, vt cum diligenti cura & cuſtodia ſeruentur in omni munditia, addendo quidquid neceſſarium fuerit prouidere, & expendere in ſeruitio Eccleſiæ, ſiuè in paramentis, ſiuè in alijs rebus.

Cap. XXXI.

De Oeconomo Eccleſiæ.

OEconomus Eccleſiæ, & eius fabricæ, habet munus exigendi omnes reditus, qui ad eam pertinent, tam de Nouenis & medijs, quàm de exceptis, vulgò *eſcuſados*, ſuperfluis, & redemptionibus domorum, ſenſibus, ſepulturis, eleemoſynis, & alijs rebus.

Quando colliguntur vectigalia ſuperfluorum, debet eſſe præſens, vt ea rectè reddantur, & vt excipiat vadimonia. Et ſi quid fiat in præiudicium Eccleſiæ, debet reclamare, & certiorem reddere Prælatum, & Capitulum.

Singulis diebus aſſiſtit in Eccleſia à manè vſq; ad Veſperum, vt occurrentes neceſſitates videat, illiſque prouideat tam in reparationibus, quam in expenſis, quas fieri oportet ad ſeruitium eiuſdem Eccleſiæ.

Optimam comparabit ceram, eamq; mercabitur multo priùs, quā fuerit neceſſaria; ſic enim & meliori pretio, & commodiori commutatione eam emere poterit, & cera ipſa, quo melior fuerit, eo tardiùs conſumetur; curabit autem, vt nec in ſacriſtia, nec in templo diſperdatur cera, nec abſque neceſſitate comparetur.

Ceram Sacriſtanis dabit in pondere, & menſura, teneanturq; tot ipſi reddere relicta capita maiorum, minorumq; candelarū, quot eius quantitatis dedit candelas integras, eaque ipſe in candelas nouas conuerti curabit.

Bonum & purum incenſum, nullaq; miſtura corruptū ſemper emet.

Optimum vinum pro Miſſis, optimamq; farinam pro hoſtijs, & bonos carbones pro thuribulorum vſu prouidebit.

Peculiarem ſolertemq; curam geret, vt omnia ornamenta reparentur, vt nihil in eis diſſectum, lacerū, aut

aut inconcinnum appareat; & si noua quandoq; fieri contigerit, ipse pretium numerabit. Ecclesiam ipsã, & res omnes ad eam spectantes, vbi opus viderit, reparabit emendo omnia materialia ad id necessaria.

Curam geret, vt pro solemnitate Palmarum adferantur oliuæ, & palmæ; & [h] *iunci virides & rami* ad ornatum templi in festis principalibus.

Res denique omnes ad Ecclesiæ vsum necessarias comparabit.

Quidquid soluerit in expensas, id per mandatum seu schedam faciet, exceptis communibus & ordinarijs sumptibus, qui dietìm & nominatìm fiunt, vt pro vino, oleo, cera, incenso, & pro cementaria lignariaq; fabrica, vel alijs pro quibus communiter semel in anno soluitur: in quibus omnibus oportet, vt sit valde circumspectus, diligens, & solers circa bona Ecclesiæ, vt nihil deperdatur, aut insumatur malè.

Debet assistere Choro diebus festiuis ad primas Vesperas, & Missam maiorem, &, cum opus fuerit, debet gestare cappam, seu pluuiale.

Cap. XXXII.
De ijs quæ ad diem Iouis sanctum, & sepulchrum pertinent.

Sacrum sepulchrum, & omnia ad ipsum, & reliqua officia septimanæ sanctæ necessaria videbuntur, apparabit Oeconomus cum Sacristanis, idq; sumptibus fabricæ.

Et si tapetes quæ extant, non suffecerint ad ornatum Ecclesiæ, Sacristanis incumbet alias mutuò quærere.

Ipsorum quoque curæ erit, easdem in Ecclesia apponere, ac deponere, & ad suos deinde Dominos reportari facere.

Sepulchrum & gradus eius pannis aurei, & frigij operis, alijsq; ditissimis quos habent, exornabunt: ita tamen eos apponent, & reponent, vt nihil malè tractent, aut rumpant.

Die Iouis sancto, si oleũ & chrisma consecranda fuerint: Prima inchoëtur hora septima, tono demisso & lento, vt & reliquæ omnes horæ minores.

Dictis iam horis si Prælatus sit consecraturus, obseruentur omnia præscripta in libro Pontificali. Ad consecrationem autem chrismatis tabulatum in medio Ecclesiæ paratum esto, & scamna in quibus sedebunt ministri, omnia peristromatis strata, ac tota cooperta.

Hac die communicabunt omnes Beneficiati & ministri Ecclesiæ de manu Prælati, si ipse celebrauerit, & singuli accepta communione manũ eius osculabuntur. Quòd si non celebrauerit Prælatus, omnes pariter communicabunt in Missa maiori, sed non osculabuntur manum Hebdomadarij porrigentis cõmunionem.

Facta communione, & consecrato chrismate, & in sacrarium iuxta Ordinarij præscriptum deportato, instituatur processio ad includendũ sanctissimum Sacramentum: in qua processione incedent omnes Præbendarij & Beneficiarij Ecclesiæ, Sacerdotes quidem, Diaconi, & Subdiaconi eodem ornatu quo in consecratione Olei & chrismatis induebantur, & ordinata processione ascendunt cum Prælato, vel alio celebrante ad capsulam, seu locum in quem includendum est Sacramentum, eoq; incluso obseratur capsula,

la, & clauis traditur Prælato, si præsens est, sin minùs, Decano, et hoc etiam absente Thesaurario, cui alioquin incumbit eius custodia. Quod si horum nullus adfuerit, clauem tenebit Præses chori, vel eo absente, antiquior Dignitas, vel Canonicus, qui aderit; et in toto seruetur ordo Pontificalis, et Ordinarij.

Incluso Sacramento omnes ordinatim pergunt ad denudanda altaria, et Præbēdarij ingrediuntur Chorum et incipiunt vesperas in cantu vel in tono humili, obseruando in omnibus ritum in Ordinario et Pōtificali præscriptum.

Præsidentis cura erit horariam tabulam præscribere, iuxta quam Præbendarij, Sacellani, et reliqui Ecclesiæ ministri, et alij Clerici Ciuitatis assistent, comitabuntur, et custodient Sanctissimum Sacramentū; ita vt sex ad minus simul perpetuò sint in custodia, superpelliceis induti: Et poterunt passim submisso tono plano recitare psalmos psalterij, omittendo Gloria Patri, &c.

Vide notam ad cap. 1. de vsu campan.

Ab hora secunda pomeridiana vsque ad tertiam pulsabitur vna ex maioribus campanis ad Mandatum. Et si Prælatus Mandatum celebraturus sit, tempestiuè aderit in Ecclesia, ita vt omnes sint iam induti cum absoluitur pulsus campanæ, & tunc ministri qui parati fuerint, procedent ad tabulatum, in quo priùs cōsecratum est chrisma, vbi iuxta dispositionem Prælati sedebunt duodecim pauperes, sex hinc, & sex indè, mundis iam pedibus, quibus Prælatus induet calceos.

Cùm omnes ad tabulatum peruenerint, Diaconus petit benedictionem ad Euangelium, & benedicto incenso pergit ad maius sacellum, vbi cantandum est Euangelium, comitatus ministris more solito: obseruet autem in omnibus supradictis præscripta Ordinarij et Pontificalis.

Lecto Euangelio inchoatur lotio iuxta ordinem Ordinarij et Pontificalis, et eo finito fit concio.

Finito Sermone statim inchoatur Matutinum et cantatur eodem modo quo nocte præcedenti.

In reliquis autem officijs Hebdomadæ sanctæ seruabuntur ritus Pontificalis, et Missalis noui.

Cap. XXXIII.
De visitando, & modo visitandi infirmos.

Quia visitatio infirmorum est pium & sanctissimum opus misericordiæ, præsertim inter fratres, ideò quando aliqua Dignitas, Canonicus, vel Beneficiarius Ecclesiæ infirmabitur, & morbus transierit tertium diem, tunc punctator debebit monere Præsidentem, qui rem denunciabit in Capitulo, ibiq; per vota eligantur duo ex capitularibus qui visitent infirmum, eumq; salutaribus verbis consolentur, & omnes peculiari studio Deum pro ipso rogabūt; & quo commodiùs poterunt ipsum subinde visitabunt, modò morbus non fuerit contagiosus, & illi duo designati, curabunt ab infirmo rescire, si indigeat pecunia, vel alia re ad morbum leuandum necessaria, eiusq; indigentiam, si quam patitur, denuncient in Capitulo, ibiq; decernatur, vt necessaria illi prouideantur, ne vllam patiatur penuriam.

Et si infirmitas fuerit ad mortem, Capitulum designabit idoneas personas,

sonas, qui infirmum iuuent, ad bene moriendum, & ipsi assistant expiranti, & intersint eius exequijs, funeri, & sepulturæ, & obseruētur omnia in his regulis circa hæc ordinata.

Cap. XXXIV.
De Recle, & Patitur.

PRæbendarij huius sanctæ Ecclesiæ accipient Recle & patitur iuxta præscriptum Concilij Prouincialis anno 1583. in hac Vrbe celebrati.

Act. 3. c. 28.

Præbendarius qui petierit, vel acceperit *patitur* dum infirmus est, & sine licentia domo egressus fuerit ad aliquam aliam partem Ciuitatis, & non ad Ecclesiam, perdet in pœnam *patitur* totius temporis, per quod non frequentauit Ecclesiam.

Et Præbendarius qui sine causa iustæ infirmitatis acceperit *patitur*, ac domi erit, vbi de eo constiterit vltra amissionem sui *patitur*, prima vice punietur priuatione totius summæ, quam lucraretur per quindenā, & si adhuc continuet acceptionem *patitur* sine tali iusta causa, aggrauetur illi semper pœna.

Cap. XXXV.
De Portionarijs.

EX fundatione huius sanctæ Ecclesiæ Portionarij debent se induere ad cantandum Euangelium & passiones, & facient suum officiū hebdomadatim per vices; & qui hebdomadæ seruit, debet Presbyterum celebraturum è choro exeuntem comitari, ante ipsum procedendo, eodemq; modo ad Chorum redeuntem conducere.

Habebunt Portionarij sedes in Choro post Dignitates et Canonicos.

Cap. XXXVI.
De Capitulo huius sanctæ Ecclesiæ.

EX erectione huius sanctæ Ecclesiæ debent Capitulares bis in septimana ad Capitulum conuenire, hoc est, diebus Martis ad tractandum de rebus temporalibus pertinentibus ad facultates, & alia negotia Ecclesiæ, & diebus Veneris tantummodo ad negotia spiritualia, & reformationem cultus diuini.

Quoties Capitulum tenendum erit, omnes Capitulares post Primā simul exibunt ex Choro, & inde cū summo silentio recta simul pergent ad locum Capituli, absq; eo quod vllus emaneat negotiando, vel deambulando per Ecclesiam, & si quisquam sic in Ecclesia manserit, vel se ab alijs seiunxerit, irremisibiliter priuabitur stipendio horarū vnius diei. In quibus etiā plectetur similiter quisquis eorum tunc inuenietur in Ecclesia, & quicunq; è domo sua veniens non intrat illicò ad Capitulū.

Cum intrant aulam Capitularē, omnes orant coram imagine quæ inibi pendet, sua loca iuxta cuiusque antiquitatem capientes. Primum quod diebus Veneris tractabunt, sit circa cultum chori & altaris, vt corrigantur, & emendentur defectus in eis iam commissi, & vt omnes cogantur ad officia sua ritè præstanda, & qui nō præstant, sciant se plectendos esse, & ad plenum, cùm opus fuerit, plectantur, & vt cuncti decenti habitu incedant cum omni decore & honestate, vt constitutum est. Et vt in Choro seruent silentium,

Act. 3. Concil. Prou. an. 1583 c. 16. & Synod. 1. Diœcesan. c. 2.

atten-

attentionem, & deuotionem debitam; Et vt singuli obseruent quæ debent, & suis obligationibus correspondeant, vt dictum est. Et signanter singulis his diebus absque vllius accepto fastidio reducatur in memoriam obseruatio silentij; quia, vt dictum iam est, bonum, vel malum Chori in eo consistit, & si obseruetur, reliqua rectè fient. Omnes Capitulares fauebunt Præsidenti,illique seriò commendabunt, vt habeat magnum zelum silentij, tam in Choro, quam in Capitulo, puniendo eos qui id non obseruant, studeantq; in se ipsis eius obseruantiæ, vt Ecclesiæ ministris exemplo sint. Et ad hunc finem, vt videant & cognoscant omnes defectus, qui in Choro, Sacristia, & Ecclesia committuntur, vel committi possint, vt de remedio decernant, ac tempestiuè applicent, illis diebus Veneris cuiusq; septimanæ: ad quorum Capitula vacabuntur omnes Ministri, & officiales Ecclesiæ, quoties aliquid arguendum, vel plectendum commiserint, illos commonendo, vt seriam curam ponant, in suis officijs rectè fungendo.

Diebus Martis tractatur de rebus temporalibus & facultatibus Ecclesiæ,in hoc vt in cæteris omnibus proponente Pręside negocia quæ occurrerint. Et si Capitularium quispiam aliquid dicendum habuerit, petat veniam à toto Capitulo.

Altum silentium seruabunt omnes, audientq; magna attentione ea quæ proponuntur, nec loquentem interpellare auserint.

Suffragia eo modo ferent, vt primùm audiant quæ proponuntur: & si res ardua fuerit, colloquantur ac deliberent sine clamoribus vel alteratione, vt rei merita melius percipiant. Si negotij qualitas exegerit, vt maiori consideratione tractetur, vota in alium diem differant ex arbitrio maioris partis Capituli. Si verò vota tunc conferenda sint, primum suffragium proferet Præses breuiter & compendiosè, & ita breuiter sua etiam ferent reliqui post Præsidem iuxta cuiusq; antiquitatẽ: Nec alter alterum interturbet, nec aliorum iudicia re sumant,vel reprehendant, vt quisque liberè proferat quidquid Dominus inspirauerit,absque vllo impedimento,correptione, vel alterius alteratione. Quãdo quisque loqui cœperit,deponet biretum, & quando absoluit, faciet reuerentiam. Si quis Capitularium præsente Prælato dicturus sit, erigat se in pedes, & biretum deponat, & mox sedendo,tegendoq;caput,dicat quod videbitur, & absoluens eadem faciet exhibendo reuerentiam Prælato, eoque absente sermonem ad Præsidentem diriget,& hoc modo ferent suffragia; & priores eadem patientia posteriores auscultabunt,qua ab istis auditi fuerunt. Quisquis alium dicentem interruperit, moderata pœna plectetur.

Collatis suffragijs Præses, quantumuis forsan aduersæ sententiæ, omnium tamẽ vota colliget,ac decernet id quod maioris partis consensu visum fuerit; absq; vlla molestia, vel dolore eorum qui aliter iudicarunt; quia hoc est tenere pro maiori parte. Et Notarius, & Secretarij Capituli constituant id in quod maior pars consenserit.

Post collata suffragia & rem pro maiori eorum parte constitutam, si quis

quis grauatum se duxerit, post decretum consignabunt, quod grauato, vel contrarium sentienti occurrerit, si sic ipsi videbitur, cui etiam de iure debetur. Et Notarius absq; vllo suo emolumento debet rei testimonium ipsi exhibere. Sede vacante, si casus ad iustitiam spectare videbitur, antequam suffragia desuper ferantur, debet haberi plenaria informatio à Iurisconsultis, modò adsint; nam si adsint, negotiā de iure, & non per vota terminari debet: & poterit etiam informatio fieri per Iurisconsultos extra corpus Capituli, eóq; melius, quòd isti non mouebuntur effectibus, & ideò sic procurari debet, quando eiusmodi res occurrerint.

Quoniam autē in eiusmodi particularibus actis eueniunt non rarò differentiæ, passiones, & dissentiones animorum, studebunt omnes vt vrbani sint, & in verbis circumspecti, nihil dicendo, quod alium offendere possit. Quòd si quisquam vel inhonestum, vel iniuriosum verbum in alium protulerit, integri mēsis stipendio suæ præbēdæ plectetur, vel grauiùs pro qualitate excessus, vt inter Capitulares habeatur pacis cōseruandæ modus, & quoniam cum excessus nō castigentur, possint maiora damna & scandala ex illis oriri.

Cuncti in Capitulo superpelliceis induti sint, nec sine illo quisquam intersit.

Ex Capitulo, donec absoluatur, nemo Capitularium exibit sine licētia, nec ad colloquendum, vel quidquam dicendum à suis locis exeant, sed quisq; in suo semper maxima quiete persistet, quòd si præter licentiam egressus fuerit, vnius horæ stipendio plectetur.

Si vllo casu quisquam arma in Ecclesia tulerit, vel se illis in Capitulo accinxerit, punietur.

Quando capitularis quispiam nouè Capitulum intrat, debet priusquā detur ipsi possessio Beneficij vel Prębendæ, cuius prouisionem attulerit, in manibus Præsidentis iureiurando promittere obseruantiam & adimpletionem omnium bonarum consuetudinum, statutorum, & ordinationū huius sanctæ Ecclesiæ, & procurandi omnem honorem & præeminentiam eiusdem, zelanterq; studendi, vt illi benè seruiatur, & seruandi secretum in omnibus rebus Capitularibus, & alijs in quibus seruari debet.

Quoties Capitulo videbitur, vt secretum in aliqua re seruetur, quæ in Capitulo tractata fuerit, poterit secretū Capitularibus imponi sub pœna præstiti iuramenti. Et si cunctis videbitur, vt nouo iuramento ad secretum adstringantur, cum negocij qualitas id postulauerit, ita fiet, & quicunq; iurare noluerit, iubebitur egredi, nec per integrum mensem in vlla re capitulari suffragium habebit, & amplius, si videbitur, punietur.

Quando negocium alicuius momenti agendum fuerit, ad quod cōuentum est, vt conuocentur omnes Capitulares, vel de nouo successerit, quamuis sit in ordinarijs his diebus Capituli, Præses mittet conuocatum omnes Capitulares, vt omnes conueniant ad Capitulum, & facta hac diligentia celebrabit Capitulum cū illis qui accesserint, & in illo statuet, quod conuenientibus omnibus faciendum foret. Et Ordinarijs diebus

bus Capituli illi Capitulares qui pręsentes fuerint, poterunt terminare negocia occurrentia absq; eo quod opus sit absentes conuocare.

Quando tractandum fuerit peculiare negotium alicuius personæ capitularis, vel eius fratris, aut consanguinei, non erit ipse præsens, dum suffragia desuper excipientur. Nec etiam qui grauandus fuerit, vel de alio conquestus sit.

Si Decanus vel Præses quempiá grauauerit, vel iniustè punierit, tunc neque grauatus, neque qui grauauit, præsens erit, neque qui quidpiam petendo monstrauit se partem.

Capitulum conuocabit Decanus, si in Ecclesia præsens fuerit, vel eo absente, Dignitas vel Canonicus magis antiquus tum pariter præsens in Ecclesia: extra Ecclesiam autem solus Decanus, si in Vrbe fuerit, sin minus, Dignitas vel Canonicus antiquior.

Si quando acciderit, vt exspectari non possit ordinarius dies Capituli, & Decanus, vel quicunq; fuerit Præses nollet intimare, vel conuocare Capitulum, requisitus priùs per aliquos capitulares, vel Præses Capituli id celebrare nó vellet, ipsi Capitulares, si duo vel tres fuerint, ipsum intimabunt, ne negotia pereant, extra queć casum nemo sub reatu grauis pœnæ id intimare faciat, nisi vt dictum est.

Decanus & Pręses memoria retineant omnia negotia occurrentia, eaque expediri faciant, respondeant, & prouideant illis absque dilatione. Et eodem modo non permittant, vt multa negotia misceantur, vel promiscuè tractentur, sed ab eo quod semel propositum est non transeant ad alia, donec illud diffinitum conclusumq, sit.

Quando scribuntur Epistolæ, vel alia, quibus subscribendum est, & non sunt actus iudiciales, subscribent duo tantum capitulares, hoc est, vna Dignitas, & vnus Canonicus, vel duo Canonici singulis mensibus per vices mutandi, incipiendo ab antiquioribus. Et quando Epistolæ quæ recipiuntur fuerint alicuius momenti, semper maneat illorum exemplar in vno libro, quem Capitulum ad hoc destinatum habebit.

Capitulares teneantur negotia sibi per Capitulum cómendata complere, & sollicitè perficere sine defectu, alioquin puniantur.

Decanus, vel alius qui præsidebit, diligenter aduertet, quæcunq; ordinata & scripta fuerint, vt ea seruari & perfici curet, & vt ipse primus sit, qui ea obseruet, & si non fuerit, in Capitulo plectetur eadem pœna qua ipse alios plectere posset, & etiam maiori, si maiorem meruerit. Nihil authoritate propria facient sine consensu & authoritate Capituli, præter id quod ordinatum & scriptum fuerit.

Debet Decanus erga Capitulares & Beneficiarios Ecclesię valdè humanus & curialis esse, & vniuersim omnes personas Ecclesiasticas bene tractare, & omnes vicissim ipsum honorare & venerari; ita vt quando in Capitulo excessisse visus fuerit, per Capitulum redarguatur, & moneatur, ne plus vni quam alteri faueat.

Y De

Cap. XXXVII.

De Notario & Secretario Capituli.

NOtarius & Secretarius Capituli intererit singulis actibus eiusdem. Diebus ordinarij Capituli non vocatus accedet, & primus omnium intrabit aulam Capitularem. Ibidemq; seruabit librum rerum capitularium in area identidem intra Capitulum existente, in eoque describet, quæcunq; in Capitulo decreta fuerint, adnotatis nominibus singulorum, qui singulis Capitulis interfuerunt.

Cum Negocij qualitas postulauerit, multo secreto seruabit omnes res capitulares; & iuramentũ secreti, non minus quam Capitulares ipsi, præstabit Secretarius, tùm cùm primùm admissus fuerit, tùm etiam quoties singulare secretum cõmendabitur.

Ad extraordinaria Capitula vt alius quicunq; Capitularis vocari debebit, & si non venerit, quoties Capitulum seu ordinarium seu extraordinarium celebrandum fuerit, plectetur pœna vnius diei, pro rata salarij. Omnes actus capitulares, & Epistolas omnes ad quas Capitulum consenserit, scribere debet, & conficere omnes scripturas ad Capitulum spectantes, absq; vllo nouo suo emolumento, præter ordinarium salarium ipsi assignatum: debet etiam notare litteras missiuas, quas Capitulum ipsi commendauerit, & ad acceptas respondere.

Assistere debet omnibus ratiocinijs, & distributionibus quæ per Capitulum fient, omnesq; scribere & calculos ducere simul cum ratiocinatoribus ad id deputatis, vt & omnibus redemptionibus redituum & emolumentorum Ecclesiæ, eaque omnia postmodum exscribere; ad quem finem registrum in ipsius potestate semper erit, seruandum in arca capitulari.

Conficiet etiam omnes schedas pecuniarum, quæ ab Oeconomo, vel alijs personis expedientur, & omnes alias fabricæ & Hospitalis, eosq; describet in libro, vt earum memoria & ratio extet.

Quoties ex parte Capituli quidpiam alicui intimandum fuerit, hoc ipse faciet, & si non fecerit, punietur ad arbitrium.

Cap. XXXVIII.

De obseruantia dierum festorum ex cap. 9. actionis 4. Concilij Prouincialis anni 1583.

DIes festi ab Ecclesia statuti cũ omni deinceps deuotione seruentur. Quos autem in nostra Prouincia Hispanos omnes oportet seruare, sunt hi: Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Stephani Prothomartyris, Ioannis Apostoli & Euangelistæ, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ Domini, Purificationis Beatæ Virginis, Matthiæ Apostoli, Annunciationis B. Mariæ, Resurrectionis Domini cum duobus sequentibus, Marci Euangelistæ, Philippi & Iacobi Apostolorum. Inuentionis sanctæ Crucis, Ascensionis Domini, Pentecostes cum duobus sequentibus, Trinitatis, Corporis Christi, Barnabæ Apostoli, Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, Petri & Pauli Apostolorum, Mariæ Magdalenæ, Iacobi Apostoli, Transfigurationis Domini,

De consec. dist. c. pronunciandum. De ferijs, c. conquestus de reliquijs, c. gloriosus m 6.

Festa Hispanorum.

ni, Laurentij Martyris, Assumptionis B. Mariæ Virginis, Bartholomæi Apostoli, Natiuitatis B. Mariæ Virginis, Matthæi Apostoli, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Lucæ Euangelistæ, Simonis & Iudæ Apostolorum, omnium Sanctorum, Andreæ Apostoli, Conceptionis B. Mariæ, Thomæ Apostoli. Præter hos etiam si qui sunt ex probata consuetudine; aut ex legitimis Priuilegijs festi dies introducti, & ipsi religiosè in vnaquaq; regione seruentur.

Festa Indorũ. Porrò Neophiti, quos Ecclesia, per maternã indulgentiã, præceptorum suorum sarcina magna ex parte leuandos existimauit, sequentes tantum dies, iuxta superioris Synodi Prouincialis statutum obseruare cogantur. *Concil. Lim. 3. sess. 3. c. 30.* Primùm: dies omnes Dominicos, vt Ecclesia Vniuersalis semper obseruat. Deinde diem Natiuitatis Domini, diẽ Resurrectionis primum, diem Pentecostes primum: Item Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascẽsionis, & Corporis Christi, B. quoque Virginis Mariæ festa Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis. Demùm Apostolorum Petri & Pauli. Si qui tamen Indorum plures alios dies festos nostro more seruare voluerint, & in ijs ab opere seruili vacare, integrum sit ipsis id facere ex deuotione, neque vllo modo in ijs laborare à quoquã penitùs compellantur.

Festi dies obseruẽtur, qui per Synodum suæ Illustris. D. anno 1584. celebratum c. 8. seruandi præscribũtur his verbis: *Alia.* Iustis rationibus, & multis considerationibus moti mandamus, vt sequentes dies festi seruẽtur. S. Sebastiani, & S. Marcelli in hac Vrbe & eius agro; commemoratio S. Pauli, & dies S. Bernardi, & S. Blasij in hac Vrbe.

Cap. XXXIX.

Ex Synodo Diœcesana anno 1592. in hac Vrbe Regum celebrata, quod spectat ad obseruantiam Festorum cum quadã declaratione vt sequitur

QVandoquidẽ in Synodo Diœcesana anno 1585. in Oppido Yungay celebrata constit. 58. statutum sit, quod festa in Ciuitatibus, Castris, & alijs locis obseruanda, obseruentur etiam in agris. Et in Concilio Prouinciali anno 1583. in hac Vrbe celebrato, & à Sua Sanctitate anno 1588. post constitutionẽ Synodi Yungayanæ approbato actione 4. cap. 9. satis prouisum sit, quòd obseruentur festa inibi memorata, & quòd si vltra illa festa fuerint alia, vel approbata consuetudine, vel priuilegio legitimo introducta, illa etiam debent in suis locis religiosè coli. Nobis ad ea quæ dicta sunt attendentibus, visum est reuocare, vti omni meliori via quantum possumus, & iura permittunt, reuocamus dictam Constitutionem quinquagesimam octauam dictæ Synodi Yungayanæ, anni 1585. relinquendo, prout relinquimus, in sua vi & vigore id quod prouisum & constitutum est in capitulo nono dictæ Act. 4. dicti Concilij Prouincialis, vt per omnia compleatur, iuxta quod, & eo modo quo ibi continetur & prouisum est, vt Domino nostro in toto seruiatur. Cum etiam pro parte confratrum Confraternitatis S. Iosephi huius Vrbis à nobis petitum fuerit, vt eiusdem Sancti festum obseruetur. *Alia.* Nos ea re cum Clero & populo, qui

aderat, discussa & collata, conuenimus in casu prouideri, mandando, prout mandamus obseruari dictum festum S. Iosephi in hac Vrbe, sine obligatione ipsum obseruandi in agro.

Festa quæ præter superiùs expressa ex consuetudine in hac Vrbe seruantur, sunt SS. Cosmæ & Damiani, visitationis S. Annæ, S. Dominici, S. Augustini, S. Francisci, & *Expectationis*, & SS. Innocentium.

Cap. XL.

Ex Concilio Prouinciali anno 1583. in hac Vrbe celebrato, vt idem Concilium publicetur & obseruetur, & quotannis legatur in Capitulis Cathedralium, & in aliquo frequenti Cleri & populi conuentu, tenoris sequentis.

Dist. 18. c. annis, & cap. decernimus.

CVm sacris Canonibus constitutum sit, vt quæ in Prouinciali Synodo definita sunt, ea vnusquisque Episcoporum in sua Diœcesi denuò publicanda, & ad omniũ notitiam deferenda curet: siquidem ex Episcopi vnius propemodum diligentia vniuersi laboris exacti fructus & summa pendet: propterea hęc sancta Synodus cupiẽs laborem suum in Christo non esse inanem, districtè præcipit, & æterni iudicij obtestatione denũtiat Episcopis omnibus, atque eorum Officialibus, vt tum in Cathedrali, tum in præcipuis Parochialibus suarum diœcesium Ecclesijs decreta præsentis Synodi, & superioris Limẽsis solemniter legi, & publicari faciant, ac ne obliuioni per negligentiam tradantur, iubeant omnino saltem semel quotannis in Capitulis Cathedralium, & in frequenti Cleri & populi conuentu recitari, ita vt vnusquisque, quod ad se pertinet, possit facilè intelligere, ac recolere. Deinde Prouisores, Vicarios, Visitatores, cæterosq; Iudices Ecclesiasticos quoscunque; huius Prouinciæ admonet sacra Synodus, vt secundum has constitutiones iudicare, & causas Ecclesiasticas definire, pœnasq; ac censuras in his appositas, legitimas declarare teneantur. Neque in his quæ ad reformationem spectant, appellatione cuiuscunque legitima exequutio suspendatur.

Concil. Later. cap. 7.

Concil. Trident. sess. 24. cap. 10. sess. 22. cap. 1. sess. 13. c. 1.

Cap. XLI.

De Tabula Concionum.

Sermones quos declamat Prælatus per se, vel per aliam personam.

IN die Cinerum.	Prælatus.
Dominica Palmarum.	Prælat.
Die Iouis Sancto ad mandatum. Prælatus.	
Purificationis.	Prælat.
Annunciationis.	Prælat.
SS. Petri & Pauli.	Prælat.
Assumptionis.	Prælat.
S. Iacobi Apost.	Prælat.
S. Ioan. Apost. & Euang.	Prælat.
Secunda die Paschæ.	Prælat.
Secunda die Pentecostes.	Prælat.

Sermones declamandi per Religiones.

Dominica prima Aduentus. S. Dominici.

Dominica secunda Aduentus. S. Francisci.

Dominica tertia Aduentus. S. Augustini.

Do-

Dominica quarta Aduentus.
Societatis.
Dominica Septuagesimæ.
S. Dominici.
Dominica Sexagesimæ.
S. Francisci.
Dominica Quinquagesimæ.
S. Augustini.
Dominica 1. Quadragesimæ.
Societatis.
Dominica 2. Quadragesimæ.
S. Dominici.
Dominica 3. Quadragesimæ.
S. Francisci.
Dominica 4. Quadragesimæ.
S. Augustini.
Dominica Passionis. Societatis.
Dominica Resurrectionis ad primã Missam. S.Dominici.
Dominica in Albis. S. Francisci.
In Ascensione Domini. S. August.
Dominica Pentecostes. Societatis.
Dominica SS.Trinitatis. S.Domin.

Festa Ianuarij.

In Circumcisione Domini. S. Dominici.
Epiphania. S. Francisci.

Februarij.

S. Matthiæ Apostoli. S.August.

Aprilis.

Ad processionem S.Marci. S.Dom.

Maij.

SS. Philippi & Iacobi. Societatis.

Iunij.

S. Barnabæ Apostoli. S.Dominici.
S. Ioannis Baptistæ. S. Francisci.

Augusti.

Transfigurationis. S.Augustini.

S. Laurentij. Societatis.
S.Bartholomæi Apost. S.Domin.

Septembris.

Natiuitatis Dominę nostrę.S.Fran.
S. Matthęi Apostoli. S.August.

Octobris.

S. Lucæ Euangelistæ. Societat.
S.Simonis & Iudæ. S.Domin.

Nouembris.

Omnium Sanctorum. S. Franc.
SS. Andreæ Apostoli. S.August.

Decembris.

Conceptionis Dominæ nostræ. Societatis.
S. Thomæ Apostoli. S. Domin.
Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi. S. Francisci.

Feriæ Aduentus & Quadragesimæ.

IN Ferijs Aduentus & Quadragesimæ Prelatus cum consilio Capituli eliget vnum Concionatorem, vel plures vbi videbitur, ad docendum populos doctrinam salutarem.

Reliquæ Dominicæ & festa per annum.

RELiquis Dominicis & festis per annum pręter iam relata, Archiepiscopus ex iam nominatis Religionibus, vel aliundè designabit vnum, qui populo prædicet Euangelium. Idemq; faciet in octaua Corporis Christi.

In cæteris Ecclesijs Parochialibus totius Archiepiscopatus, Archiepiscopus, vel alius, cui id ab eo commis-

missum fuerit, eliget vnum Concionatorem, qui ipsi maximè videbitur idoneus, vt in eisdē Parochijs prædicet, Dominicis & festis prædictis.

Parochi prædicent in suis Parochijs diebus Dominicis, & festiuis.

PArochiarum Rectores totius huius Archiepiscopatus debent per se ipsos prædicare, quòd si impediti, vel ad prædicandum inidonei fuerint, Archiepiscopus prouidebit ipsorum Rectorum impendio personas doctas, & sufficientes, iuxta constitutum in Concilio Prouinciali, anni 1567. sess. 2. cap. 65. & secundum Synodum Tridentinam. sess. 5. c. 2. & sess. 24. cap. 4. de reformatione.

De Aduentu & Quadragesima.

PArochi in suis Parochijs totius Archiepiscopatus, diebus ieiuniorum Quadragesimæ, & Aduentus prędicabunt diebus singulis, vel ad minus tèr per Hebdomadam in dictis Quadragesima & Aduentu iuxta decretū Concilij Tridentini sess. 24. c. 4. de reform. & impeditos vel insufficientes iuuabit Archiepiscopus, alios idoneos deputando sumptibus, vt supra dictum est, ipsorum Parochorum.

Quod Præbendarij, cæterique Clerici assistant concionibus, quisque in sua Parochia.

OMnes Præbendarij in sua Ecclesia Cathedrali, cæterique Clerici in suis Parochijs, vel Templis intersint, & assistant Concionibus, qui in illis habebuntur, iuxta statutum Concilij Prouincialis anni 1567. sess. 2. c. 28. & Conc. Trident. sess. 24. c. 4. de reform. & Motus proprios, Breuia; & Priuilegia suæ Sanctitatis. Ac tempore concionis nemo è choro discedet, & qui secus fecerit, plectetur ab Episcopo priuatione distributionum, & alijs pœnis.

Et hanc Tabulam Concionum fieri iussit sua Illustrissima Dominatio, & facit ad suum beneplacitum, & vsque dum aliter disposuerit, & sine præiudicio Præbendarij, qui futurus est Canonicus Magistralis, suū ius illi liberum relinquendo, interim dum iam non sit præbenda magistralis. Et quod totum prouisum sit modo magis conuenienti, & quātum potuerit, & iura concesserint, ita vt per omnia exoneretur consciētia, & seruiatur Deo.

Cap. XLII.

De ordine seruando quando Prælatus vel Præbendarij ingrediuntur Chorum.

SI dum Præbendarij diuinum officium in choro peragunt, Prelatus aduenerit, ex sedibus suis aliquantum exibunt ad ipsum excipiendum.

Cum in templum ad officium conuenerint, si Prelatus venturus sit, non intrent in chorum donec accesserit, & sedem suam acceperit, & illis diebus, in quibus choro interesse solet, curabunt Præbendarij vt sciant, an venturus sit, vt eum expectent.

Quando ipsorum Præbendariorū aliquis ingreditur chorum, dum alij diui-

diuina persoluunt, nemo illi assurget, vel deponet biretum, nec vllam inclinationem faciet, sed omnes prosequentur officium, vt omnia decenter & cum conuenienti deuotione peragantur.

Cap. XLIII.

Portiones ad Capitulum spectantes conuertantur in distributiones quotidianas.

Ex sess. 2. Concilij Prouincialis anni 1567. & c. 26. act. 3. Concilij Prouincialis Limen. anni 1583. vt sequitur.

QVòd Episcopus distribuat partes decimarum & obuentionum quæ spectant ad Capitulum in distributiones quotidianas cum cōsilio ipsius Capituli, & diebus solemnioribus distributiones augeantur illis qui interfuerint primis Vesperis & Matutinis, & Missæ maiori. Ita vt in solemnitatibus Natiuitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, Ascensionis, Transfigurationis, SS. Petri & Pauli, omnium Sanctorum sexduplicetur portio; & in festo Assumptionis, Conceptionis, Purificationis, Annunciationis, & Natiuitatis Dominæ nostræ quadruplicetur, & in festo Sancti Titularis Ecclesiæ Cathedralis. Et duplicetur in festis Apostolorum.

Si quis ab horis supradictis abfuerit, ipsius portio eodem iure cæteris presentibus debetur, & sic omni tempore anni seruabitur absq; eo quòd Præbendarij eam possint sibi mutuò remittere, vel vnus alteri eiusmodi portiones condonare.

Officio diuino diurno & nocturno, ac Missarum solemnijs intersint omnes in Cathedralibus Ecclesijs Dignitates atq; Canonici, quemadmodum in Trident. & Limensi Concilio constitutum est. Qui verò non interfuerint, sine vlla remissione distributiones amittant, quæ cæteris qui intersunt eo ipso debeatur; neque verò remissionem aut condonationem vllam in ijs sibi vicissim Capitulares facere possint, si fecerint, nulla sit, sed distributiones ita perceptas teneatur in conscientia restituere, qui fraudem fecit: Præterea designetur qui notet defectus absentium fideliter & secretò, cui etiam tertia pars cedat mulctarum, quauis collusione prorsùs exclusa. Portiones verò, tam ex decimis, quam ex obuentionibus debitæ in quotidianas distributiones conuertantur, ac diuidantur secundum erectionem, & superioris Concilij Canonem, quem innouamus, atque omnino seruari mandamus.

Concil. Trid. sess. 24. c. 12.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 63.

Concil. Compost. act. 1. c. 16

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 63.

Concil. Tolet. act. 3. c. 10.

Concil. Lim. 2. sess. 2. c. 66.

Et iuxta normam horum Conciliorum Illustrissimus Archiepiscopus die decimo Aprilis anno 1593. cum consilio Capituli huius sanctæ Ecclesiæ constituit & præcepit, quòd obuentiones, tam decimarum, quam aliarum portionum diuidantur in distributiones quotidianas, & statuta dictorum Conciliorum per omnia compleantur, & executioni mādentur, quæ in dictis capitibus continentur. Et vt moneatur Oeconomus huius sanctæ Ecclesiæ, vt faciat distributiones, quando faciet solutiones iuxta tenorem dictorum capitū. Quibus eram præsens, & fidem facio.

Bernardinus de Almanza, Notarius publicus, Secret.

Quod

Cap. XLIV.

Quod Clerici in festis concurrant ad Ecclesias.

Ex Concilio Prouinciali anni 1583. Act. 3. c. 25. tenoris sequentis.

CLerici omnes, etiam prima tonsura initiati diebus Dominicis & festiuis ad Cathedralem Ecclesiam, aut aliquam Parochialem de assẽsu Ordinarij ad Vesperas primas & secundas, ad tertiam & Missam solemnem secundum Canones (postposita quauis excusatione) cum superpelliceis conueniant etiam si præbendam ibi non habeant: Qui neglexerint, arbitrio Ordinarij puniantur.

Dist. 91. cap. Eleutherius. Dist. 92. c Si quis Presbyt.

Cap. XLV.

De Matutinis, & quod Clerici accurrant ad Salue Regina.

Ex Concilio Prouinciali Act. 3. 27. tenoris sequentis.

HOræ Canonicæ Matutinæ ante pulsum salutationis Angelicæ nequaquàm inchoẽntur; signũ verò campanæ ad singulas Canonici officij horas detur. Omnibus autem Sabbathis *Salue Regina* cantetur in Cathedralibus & Parochialibus Ecclesijs, cui intersint Præbendati, & alij Clerici omnes cũ superpelliceis, etiam primæ tonsuræ, alioquin arbitrio Ordinarij plectantur.

Cap. XLVI.

Vt istæ ordinationes statim publicentur, & diebus Veneris legantur in Capitulo.

VT semper sit recens memoria constitutorum in his ordinationibus, & vnusquisq; respondeat suæ obligationi, debent singulis diebus Veneris, quibus tenebitur Capitulum, in eo legi ordinationes & capita huius libri. Et ne quisquam prætendere possit ignorantiam, illicò publicentur.

Cap. XLVII.

Omnes Præbendarij intersint processionibus.

Et de executione harum ordinationum.

PRæbendarij omnes magnopere studeant interesse tam generalibus quam particularibus processionibus, in quibus interueniet Capitulum, siue intra, siue extra Ecclesiam, sub pœna quatuor pesorum currentis monetæ contrauenienti imponẽda, applicandorum, prout obsequio Dei magis expedire videbitur.

Conclusio & executio.

HAE ordinationes & Capitula retroscripta cum tanta deliberatione & examine facta, & spectantes ad augmentum cultus diuini, bonũ regimen spirituale, & correctionem perfectionemq; Status Ecclesiastici, declaramus, cupimus, & est nostra voluntas, vt obseruentur, & inuiolabiliter obseruari fiant absque alteratione, vel mutatione vllius rei; & vt illis, nec in toto, nec

in

in parte cōtraueniatur, vel vllo modo excedatur; & cupientes vt debitam sortiantur executionem, & ne obliuione iaceant, confisi de persona, qui pro tempore fuerit Præses Capituli & chori huius nostræ sanctæ Ecclesiæ cathodralis, quòd cum diligentia, rectitudine, & cura conuenienti transiget officium, quod illi commissuri sumus, in toto tenore supradictorum, solum Deum præ oculis habentes, omni meliori modo, & quantum possumus, iuxta normam iuris, Iudicem nominamus Præsidentem qui est, & pro tempore fuerit dicti Capituli, & chori huius sanctæ Ecclesiæ ad hoc, vt nomine nostro, & sine præiudicio nostræ iurisdictionis possit procedere, & procedat contra Præbendarios, & reliquas personas, & ministros huius sanctæ Ecclesiæ qui erunt, & contrauenerint statutis per dictas ordinationes, & capitula concernentia ipsorum officia in Ecclesia: Et contra Clericos, quantumuis sola prima tonsura initiatos, qui cum suis superpelliceis nō accurrerint ad primas & secundas Vesperas, Tertiā & Missam maiorem diebus Dominicis & festis obseruandis; & Sabbathinis ad *Salue Regina*; & ad effectum supradictum fulminare processus & sententias, & omnia iam dicta ad debitam executionem perducere. Et ad omnia supradicta aliaque ad illa necessaria, vel inde dependentia possit creare Notarium, & Fiscalem & reliquos ministros qui fuerint necessarij, vices nostras illi committimus, reseruando nobis, & nostro Prouisori, prout per præsentes reseruamus potestatem procedendi in dictis causis & negotijs, eaque auocandi, & alijs Iudicibus committendi, quoties, & quandò nobis placuerit, & expedire videbitur, salua semper, & illæsa nostra iurisdictione; ita vt per omnia fiat; quod expediet, vt exoneretur conscientia, ac Deo seruiatur. Datum in Ciuitate Regum septima die mensis Maij 1593.

Toribius Archiepiscopus Ciuitatis Regum.

Doctor Molina,

Licentiatus Menacho.

De Mandato suæ Illustrissimæ Dom.

Bernardinus de Almanza,

Notarius, Secretarius.

Notæ in Regulam Consuetam.

CAp. 1. a *Postquam die Iouis sancto*, *&c.* Si conferamus istam regulam cum ritibus Romanis, in aliquo discrepat, nam in Ecclesijs Vrbis, vel alijs, quæ illarum ritus imitantur, nullæ cãpanæ ad officia Ecclesiastica pulsantur à cantata *gloria* die Iouis Sancto, vsque ad cantandã *gloriam* in Missa diei Sabbathi sancti: Hic autem ordinatur, vt pulsetur campana eodẽ die Iouis post prandium ad Concionem mandati, seu lotionis pedum. Verùm hoc concedendum est consuetudini regionum, in quibus vel approbante, vel tolerante Ecclesia Romana, varij sunt ritus, vt eadem pulsatio campanæ die Iouis sancto ad Mandatum in Hispania, & publici sonitus horologiorum tota septimana Sancta in Germania, tanquam Politicis, œconomicis, & Ethicis actionibus necessarij; cũ tamèn Romæ cesset etiam Horologiorum sonus. Vidi quoq; Viennæ in Germania, & in alijs quibusdam Ciuitatibus & Prouincijs in quibus non fui, idem ficri intellexi, quòd Sanctissimum Sacramentum non ponatur in publico sepulchro die Iouis sancto, sed eo die in Missa consecrantur tres hostiæ maiores, quarum vnam tunc consumit celebrans, & aliæ duæ reseruantur in secreto Sacello decenter ornato vsq; ad sequentem diem Parasceues, & in officio altaris illius diei secunda consumitur à Sacerdote celebrante, ac tunc primùm tertia solemniter defertur ad publicum sepulchrum; ibique manet ad populi venerationem vsquè ad noctem diei Sabbathi. Tunc verò ante mediam noctem opportuno tempore, solemni sonitu cãpanarum conuocato Populus, quo cõgregato instituitur processio, in qua ex sepulchro defertur Sanctissimum Sacramentum ad altare maius cum imagine Christi resurgentis, & solemni cantu Antiphonæ, *Regina Cæli lætare*, & collocatis in altari Sacramento & imagine, cantataq; oratione quæ illi Antiphonæ respondet, statim inchoatur matutinum Paschale, cui totus populus pro cuiusq; deuotione assistit media nocte. At hæc non dogmatum sed ceremoniarum diuersitas est. Idem enim Mysterium mortis & passionis Christi apud Catholicos vbiq; colitur, & dum Germani vel alij indicant, se satis commodè repræsentare sepulturam Christi, postquam prius repræsentatunt ipsius Crucifixionem & mortem. Ita volens Ecclesia Romana totam passionem suo luctu repræsentare, incipit à die Iouis post missam, quãdo Christus post Cœnam inchoauit agonem in horto, & sudorem sanguineum, post quod proditorie traditus à Iuda, & captus à Iudæis, quod per strepitum finitis matutinis in tenebris editum denotat: deinde ab Apostolis derelictus, quod Ecclesia significat per duodecim candelas trianguli, quæ paulatim extinguuntur, vt Apostoli à Christi lumine separabãtur: hinc flagellationem Chisti, quã Clerus in multis Ecclesijs, præsertim regularibus, per sui ipsorum solemnem flagellationem significat, & sic de alijs, quæ, vti diximus, ceremoniarum tantùm, nõ totius rei repræsentatæ diuersitas est, pro locorum veteri consuetudine, & populi deuotione, per Ecclesiam Romanam piè & prudenter absq; dogmatis diuersitate, toleratur, etiam in multis alijs rebus; vt in ieiunio Rogationum, quod alicubi obseruatur, & alicubi non; & in principio ieiunij quadragesimalis, quod apud Ambrosianos Mediolanenses incipit post Dominicam primam Quadragesimæ, & alibi feria quarta post quinquagesimam, & similibus alijs, prout fert antiqua consuetudo. Nam & alij publicum ipsum sepulchrum pullis vestibus ornant, tanquam Christi funus agentes, & alij omni læto ornatu iuxta illud Isaiæ 11. *Et erit sepulchrum eius gloriosum*.

Vide de consecrat. dist. 1. cap. solent plures n. 16.

Cap. 1. n. 5. *Octaua hora noctis debet ordinariè pulsari pro animabus Purgatorij*. Nos tom. 9. Annalium Minorum, quem sub calamo habemus, ad annum 1542. in Vita Mariæ Longæ, fœminæ Hispanæ Clarissæ, tunc Neapoli cum sanctitatis opinione defunctæ, scripsimus, piam hanc mulierem statuisse, vt sub

ſub veſperum, ſigno campanæ ad id dato, ſinguli Dominicam orationem, & ſalutationem Angelicam pro fidelibus defunctis recitarent, quæ conſuetudo totam nunc Italiam landabiliter occupauit. Id adductis alijs Aurhoribus comprobat Franciſcus Magius Clericus Regularis Theatinus de ſacris Ceremonijs, diſq. 11. quã de ſacro hoc ritu doctè & ſolertèr inſtituit, aſſeritq; S. Franciſcum Xauerium eum forſitan ex Italia in Orientales Indios tranſtuliſſe. Certè Toribius noſter anno 1593. quo has regulas edidit, indicat apud Peruanos conſuetudinem eatenus obſeruatam fuiſſe, & Magius ipſe veteris Eccleſiæ morem fuiſſe affirmat adducta Tertuliani fide, ex lib. de Monogamia in Annotationibus. *Introductum quoque eſt, vt in ſingulis oppidis, media ſub nocte vetulus aliquis ſenex perambulans cũ Cymbalo, ter inclamet: Vigilate vos qui dormitis, & orate pro mortuis.* Sed nouum non eſt, vt multos veteris Eccleſiæ ſanctiſſimos ritus hominum incuria abſoletos per recentiores Sanctos & ſeruos Dei, quamuis vetuſtatem ignorantes, Deo inſpirante, contra nouatorum inſomnia renouari. Qui plura cupit, & quas Romanorum Pontificum indulgentias, aliosq; fructus ex hac oratione lucrentur tunc orantes, Magium vtiliſſimè perleget.

Cap. 8. b *Manicas demittent.* Vt hæc demiſsio & aſſumptio manicarum ſuperpellicei, & earum circumuolutio ad collum ſuperiùs interdicta percipiatur à noſtratibus, quibus non ſunt in vſu; aduertendum eſt, Hiſpanorum & Indianorum ſuperpellicea non habere manicas rotundas, in quas immittantur brachia, vt noſtra; ſed duas ſtolas, ſeu pecias telæ, quæ, dum demittuntur, hinc inde pendent ex humeris, dum autem aſſumuntur, voluuntur in ſpiras circa brachia, & facilè etiam collo circumuolui poſſunt, ſed non adeò decenter; & ideò hoc ſuprà meritò prohibitum eſt, vbi nõ cogit neceſsitas morbi, quia ſingularis & extraordinaria commoditas eſt, & ſapit mollitiem, quæ à diuinis officijs, & reuerendo chori conuentu longè abeſſe decet, vt illæ acclinationes & accubationes ad menſulas & tranſtra ſedilium, quæ propterea ſuperius interdicuntur cap. 2.

Cap. 10. c *In Dominicis autem & feſtis dicantur vt ſupra præſcriptum eſt.* Veſperè ſcilicet, tempore Quadrageſimæ. Quo cuipiam videri poſſet hic ordinari, vt in Dominicis & feſtiuis diebus Quadrageſimæ veſperæ ſicur ſupra præſcriptum eſt, hoc eſt, à meridie omni tempore cantentur: quod, quoad feſta intra ſeptimanas Quadrageſimæ occurrentia, non eſt ex vſu Romanæ Eccleſiæ, & inhibetur tum iure communi cap. *ſolent plures*. de Conſecrat. diſt. 1. & peculiari rubrica noui Breuiarij fer. 4. Cinerum, vbi præſcribitur, *quod Sabbatho 1. Quadrageſimæ, ac deinceps vſque ad Paſcha, veſperæ dicantur ante commeſtionem tam in feſtis quam in ferijs, exceptis Dominicis, in quibus dicantur hora cõſueta.* Sed nihil his aduerſum hac Toribij regula ordinatur, vel intelligit, aut exercet Eccleſia Limenſis, vt me docent, qui per multos annos eius chorum frequentarunt. Cum ergo dicitur, vt *Veſperæ & Completorium à meridie cãtentur omni tempore*, debet intelligi de omni tempore per annum extra Quadrageſimam: Vt hic poſtea dicitur, *In Quadrageſima veſperæ cãtentur ante meridiem*, & completorium ſimiliter veſperi cantetur. Nec refert quod ſequitur. In Dominicis autem & feſtis diebus dicantur vt ſupra præſcriptum eſt; quia hæc clauſula non eſt exceptiua à regula dicendi veſperas ante meridiem, ſed relatiua ad ſuperiorem regulam qua ſtatuit, vt veſperæ & Completorium omni tempore celebrentur cum cantu, de quo cantu ex profeſſo intentione agitur in hoc capite. Senſus ergo vltimæ illius regulæ eſt, quod Veſperæ & Completorium ſemper cãtentur cum nota, in ferijs quidem & feſtis intra ſeptimanas Quadrageſimæ ante meridiem; Dominicis autem & reliquo tempore anni poſt meridiem. Per quæ tollitur omnis contradictio, quæ poſsit apparere in textu huius capitis, & omnis contrarietas ad textum Iuris aut rubricas Breuiarij. Vt clarè liquet ſupra cap. 1. n. 2. verſ. A primo Sabbatho Quadrageſimæ.

Cap. 11. d *Motus proprius Gregory*

rij XIII. Incipit *Pastoralis officij*. Dat. Romæ ad S. Petrum sub annulo Piscatoris die 30. Decembris 1573. Nos eũ integrũ dedimus supra in notis ad primum Concilium Prouinciale. Eius autem verba, quæ huic loco explicando inseruiunt, sunt ista: *Cum verò in Ecclesijs & Regionibus Hispaniæ vigeat consuetudo; quòd diebus Paschalibus & Festiuitatibus maioribus celebres Missam conuentualem Antistes, vel alia persona Principalis, & regula Missalis ordinet, quòd omnibus diebus Dominicis infra annum Sacerdos qui celebrauerit Missam conuentualem, exeat ante celebrationem Missæ, cum pluuiali vel cappa, & cum ministris ad incipiendum in altari maiori Antiphonam*, Asperges, *& ad aspergendum aquam benedictam populo: Concedimus quòd Antistes, seu alia persona principalis celebrans Missam conuentualem, præmissa facere nõ teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex Sacerdos eius loco, & quòd talis Sacerdos non deferat pluuiale, sed albam vel stolam, nec procedat associatus cum Ministris, sed solùm cum Acolythis*: Atq; hoc est quod Archiepiscopus Toribius hic in sua Cathedrali seruandum præscribit: Nam in ijs literis Gregorij subiungitur: *Hæc autem omnia & singula Breuiarium & Missale cõcernentia per fel. mem. Pium V. & Nos concessa pro Hispaniarum Prouincijs: Volumus vt intelligantur etiam concessa Ecclesijs Insularum & Terræ firmæ Indiarum dicto Regi Catholico subiectarum*.

Cap. 12. [e] *Incipit Præcintor*. Quem hac vltima clausula & superiùs vbi de Antiphonis vocaui Præcintorem, in Hispanico exemplari vocatur *Chantre*, quod ex communi vsu omnium nationum significat Præcintorem, qui est, vt loquuntur, Dignitas in Ecclesia: quod duo dubia mihi mouet; Primò si de illa dignitate intelligatur hoc loco, quare hoc exercitium suæ dignitatis ipsi imponitur in festis simplicibus & ferijs, & nullum conceditur in festis maioribus & solemnitatibus, quæ magis congruunt dignitati? Secundò si vel de ipso, vel de alio singulari Cantore intelligatur, vt disiunctiuè per necessitatem intelligi debet in superiori regula, quo sensu præscribitur vt Præcintor vel Cantor incipiat hymnos vel Psalmos, cum ibidem statuatur, vt ipsi Cantores induti pluuialibus, vel plures, vel omnes simul incipiant hymnos & Psalmos? Sed nodum hunc soluit inferiùs cap. 22. de officio Præcintoris, vbi illi præscribitur: quòd *in duplicibus maioribus ad vesperas & matutinas intonet simul cum pluuialigeris, quando ipsi nõ sunt dextri, seu expediti & experti in cantu*. Sensus ergo huius regulæ esse videtur, quòd Præcintor intonet in maioribus officijs, quando officiales tunc pro maiori solemnitate specialiter adhibiti indigent ipsius auxilio, & ipse pariter intonet in officijs minoribus, in quibus non adsunt eiusmodi officiales peculiariter constituti. Nam cum isti adsunt, & munus suum rectè peragunt, non est opus, vt Præcintor, qui omni cantui ex officio præest, se tunc immisceat, sed ipsis designatis relinquat sui muneris exercitium; quando verò non adsunt specialiter constituti, vel nõ sufficiunt, tunc id muneris illi incumbit, vt intonet partes officij in his regulis illi assignatas, siue officia solemnia sint, siue ferialia.

Cap. 13. [f] *Cum gestabantur cappa*, & infra, *Capitium cappæ*. Hoc loco Cappæ nomen non sumitur vt in alijs plerisq; locis horum monumentorum pro pluuiali, sed pro illa quam cappam magnam vocant, & est vestis propria Canonicorum & Cardinaliũ, qua in choro, capella Pontificia, alijsque quibusdam Ecclesiasticis functionibus vtuntur, & cuius capitio pellibus suffulto, quod aliàs ad humerum pendet, caput aliquando tegunt, vt Cardinales in equitatu solemni Stationum Vrbis. Pluuialia verò quamuis antiquo fortassis more caputia sibi assuta haberent, quibus indutorum capita tegerentur, vt subindicat Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 24. num. 17. Doctissimus Dominus meus Cardinalis Bona his verbis: *Est autem cappa, pro vt sumitur hoc loco, vestis Ecclesiastica à sola parte anteriori aperta, ab humeris vsque ad pedes protensa, quam recentiores pluuiale vocant, quia olim pluuiæ tempore sumebatur, vt Ferrarius lib. 1. de re vestiaria cap. 39. suspicatur; & hinc fortè emanauit, vt à parte posteriori capi-*

tis

tis tegumentum assutum haberet, quod caputium vocamus, cuius quadam forma seu vestigium in hodiernis pluuialibus remansit. Nempe segmen illud inferiùs rotundum, quod à scapulis retrò pendet. Simile quid in Fratrum Minorum caputij forma contigit, cum eius excessiuam latitudinem, & piramidalem cuspidis longitudinem, & pileoli, nunc vulgò *calot*, gestandi consuetudinem, quorundam relaxatione introducta S: Bonauentura reformare vellet: Nam vt ablegato pileolo illo seculari, regularem habitus formam retineret, pileolum ipsum rotundum cum piramidali caputio consui voluit, quod nunc rotũdum capitis tegumentum est, & laxam illam longamq; caputij priorem formã deorsùm pendere iussit; ex quo remãsit retrò piramis illa quæ à collo ad cingulum per scapulas pẽdet, & amplitudo ad humeros & pectus pendẽs collarium rotundum format: de quo ipse Sanctus Doctor & zelantissimus ordinis reformator, in speculo disciplinæ ad Nouitios sic loquitur, par. 1. cap. 25. *Amplitudo vel longitudo vestimenti superflua siue in manicis, siue in caputio, siue in collario caputij, est admodum fugienda*. Sic nec absonum est, illud quod diximus segmentum è pluuialis scapulis pendens seu formam esse seu vestigium caputij veteris ipsi pluuiali superiùs olim assuti, quo tegerent à pluuia caput, qui reliqua Cappa reliquum corpus ab ea contegebant. Sed vt vt olim fuerit, nec Limæ, nec alibi tempore Toribij Mogroueji in Ecclesia Latina mos erat, vt pluuialia haberent caputia quibus indutorum capita tegi possent. Cum ergo in hac regula præscribitur, quòd *Hebdomadarius aliquando demittat angulos cappæ*, & quòd *cùm illa indutus procedit à sacristia ad chorum cum ministris, debet capitium cappa in sua capite gestare*, non potest intelligi de pluuiali, quum non habeat caputiũ, quod in capite gestari possit, sed de cappa magna chorali, quo indutus Hebdomadarius finita in choro tertia cũ ministris procedit ad sacristiã se paraturus ad Missam cantandam, eaq; cantata, casulaq; & alba spoliatus, iterum cappa indutus cum eisdem ministris procedit ad chorum, ad absoluendas horas Sextam & Nonam. Et hæc ad eos præcipuè dicta sint, qui cappam vbiq; vocant, cum non idem vbiq; significet, ne vernaculi exemplaris lector in hoc verbo decipi confundiq; contingat.

Cap. 17. § & infra cap. 45. ex Concilij Prouincialis Act. 3. cap. 27. *Salue quod dicitur diebus Sabbathinis*. Hanc piam consuetudinem in totam Prouinciam dimanasse indicat diploma Pauli Quinti Pont. quo concedit aliquas indulgentias illis, qui interfuerint decantandis huic Antiphonæ, & certis Litanijs in laudem Beatiss. Virginis ad instantiam Fr. Ludouici Hieron. Orerij Ord Minorum tunc in Vrbe Procuratoris Ecclesiæ Cuzquensis, mox Episc. Imperialis Chilæ. Sed quoniam & Indulgentiæ temporariæ fuerunt, & ipsæ Litaniæ singulares sunt, vt hęc deuotio in Deiparam perpetuetur, & propagetur ampliùs, placuit omnia hic describere ex Rituali Peruano eiusdem Fr. Ludou. cuius ante meminimus in notis ad Litanias recommendationis animæ pag. 119. & 123. supra.

PAVLVS PAPA QVINTVS.

Ad futuram rei memoriam.

De salute Dominici gregis, curæ nostræ diuinitùs commissi sollicitè cogitantes ad ea ipsis fidelibus, præsertim in remotioribus illis partibus constitutis concedẽda: per qua ipsorum pietas & deuotio, per qua æterna salus faciliùs comparatur, augeri posse speramus: paterna charitate intendimus. Cum itaque sicut accepimus in Ecclesijs parochialibus in Indiarum partibus existentibus Christi fideles, tam Indi, quam Hispani, singulis diebus Sabbathi post Completorium ad audiendam antiphonam Beata Mariæ Virginis, Salue Regina, *& Litanias in laudem eiusdem Beata Maria, quas ipsarum Ecclesiarum Parochi maxima cum eorundem Christi fidelium deuotione decantant, congregari consueuerint. Nos vt ipsorum Christi fidelium erga Beatam Virginem deuotio in dies magis augeatur, De omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius Auctoritate confisi; supplicationibus quoq; dilecti filij Ludouici Hieronymi Procuratoris* Eccle-

Ecclesiæ Cuzquensis nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati: Omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, tam Indis quã Hispanis, qui singulis diebus Sabbathi ipsis laudibus in prædictis Ecclesijs, *vt præfertur decantandis in toto, vel in parte, genibus flexis deuotè interfuerint: & ibi pro Christianorum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris* Ecclesiæ *exaltatione pias ad Deum preces effuderint, centum quinquaginta dies, ijs verò qui supra dictis diebus coronam, seu vnã partem Rosarij eiusdem Beatæ Mariæ, cum meditatione mysteriorum sacrorum piè recitauerint, vtq; præfertur orauerint, tres annos & totidẽ quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis, pœnitentijs in forma* Ecclesiæ *consueta relaxamus. Præsentibus ad quindecim annos dumtaxat valituris. Non obstantibus nostra, de non concedendis Indulgentijs ad instar, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Datis Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die secunda Decembris M D C V. Pontificatus Nostri anno primo.*

M. Vestrius Barbianus.

Incipit Litania in laudem Beatissimæ Virginis MARIÆ.

AVe MARIA.	ora pro nobis.
Aue filia Dei Patris.	ora.
Aue Mater Dei filij.	ora.
Aue Sponsa Spiritus Sancti.	ora.
Aue Templum Trinitatis.	ora.
Sancta MARIA.	ora.
Sancta Dei Genitrix.	ora.
Sancta Virgo virginum.	ora.
Sancta Mater Christi.	ora.
Quem Tu peperisti.	ora.
Mater purissima.	ora.
Mater castissima.	ora.
Mater inuiolata.	ora.
Mater intemerata.	ora.
Mater charitatis.	ora.
Mater veritatis.	ora.
Mater amabilis.	ora.
Mater admirabilis.	ora.
Mater diuinæ gratiæ.	ora.
Mater sanctæ spei.	ora.
Mater dilectionis.	ora.
Mater pulchritudinis.	ora.
Mater viuentium.	ora.
Filia Patris luminum.	ora.
Virgo fidelis.	ora.
Dulcior fauo melis.	ora.
Virgo prudentissima.	ora.
Virgo clementissima.	ora.
Virgo singularis.	ora.
Stella maris;	ora.
Virgo sancta.	ora.
Fructifera planta.	ora.
Virgo speciosa.	ora.
Pulchra velut rosa.	ora.

Speculum Iustitiæ.	ora.
Causa nostræ lætitiæ.	ora.
Gloria Hierusalem.	ora.
Altare Thimiamatis.	ora.
Ciuitas Dei.	ora.
Luminare Cœli.	ora.
Vas spirituale.	ora.
Vas honorabile.	ora.
Vas insigne deuotionis.	ora.
Thronus Salomonis.	ora.
Fauus Samsonis.	ora.
Vellus Gedeonis.	ora.
Pulchra vt Luna.	ora.
Inter omnes vna.	ora.
Vt Sol electa.	ora.
Deo dilecta.	ora.
Stella matutina.	ora.
Aegris medicina.	ora.
Cœlorum Regina.	ora.
Rosa sine spina.	ora.
Rutilans aurora.	ora.
Valde decora.	ora.
Lux meridiana.	ora.
Flos virginitatis.	ora.
Lilium castitatis.	ora.
Rosa puritatis.	ora.
Vena sanctitatis.	ora.
Cedrus fragrans.	ora.
Mirrha conseruans.	ora.
Balsamum distillans.	ora.
Terebinthus gloriæ.	ora.
Palma virens gratiæ.	ora.
Virga florens.	ora.
Gemma refulgens.	ora.

Oliua

Oliua speciosa. ora.
Columba formosa. ora.
Viris fructificans. ora.
Nauis abundans. ora.
Nauis institoris. ora.
Mater Redemptoris. ora.
Hortus conclusus. ora.
Rubus incombustus. ora.
Gloria Sæculi. ora.
Nutrix Paruuli. ora.
Radix Gratiarum. ora.
Leuamen molestiarum. ora.
Puteus viuentium aquarum. ora.
Mater orphanorum. ora.
Auxilium Christianorum. ora.
Salus infirmorum. ora.
Refugium peccatorum. ora.
Consolatrix afflictorum. ora.
Mater pia Minorum. ora.
Regina Angelorum. ora.
Regina Seraphin. ora.
Regina Cherubin. ora.
Regina Patriarcharum. ora.
Regina Prophetarum. ora.
Regina Apostolorum. ora.
Regina Martyrum. ora.
Regina Confessorum. ora.
Regina Virginum. ora.
Regina Sanctorum omnium. ora.
Ab omni malo, & peccato. libera nos Domina.
A cunctis periculis. lib.
Nunc & in hora mortis nostræ. lib.
Per immaculatam Conceptionem tuã. libera nos Domina.
Per sanctam natiuitatem tuam. lib.
Per Præsentationem tuam. lib.
Per cœlestem vitam tuam. lib.
Per admirabilem annunciationem tuã. libera nos Domina.
Per Visitationem tuam. lib.
Per fælicem Partum tuum. lib.
Per Purificationem tuam. lib.
Per dolorem de Christi passione. lib.
Per gaudiũ de illius resurrectione. lib.
Per gloriosam Assumptionem tuã. lib.
Per Coronationem tuam. ora.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Vt illos tuos misericordes oculos ad nos conuertere digneris. Te rog.
Vt veram pœnitentiam nobis impetrare digneris. Te rog.
Vt cuncto Populo Christiano pacem, & salutem impetrare digneris. Te rogamus audi nos.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiẽ æternam imperrare digneris. Te rogamus audi nos.
Vt nos exaudire digneris. Te rogamus audi nos.
Mater Dei. Te rog.
Genitrix Dei. Te rog.
Aue de Cælis alma. Succurre nobis Domina.
Aue de Cælis pia. Fer opem nobis Domina.
Aue de Cælis Dulcis. Intercede Domina.

Antiphona.

Recordare Virgo Mater, dum steteris in conspectu Filij, vt loquaris pro nobis bona, & vt auertas indignationem suam à nobis. ℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.* ℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oremus.

Preces nostras quæsumus Domine apud tuam sanctissimam Clementiam Dei Genitricis, semperq; Virginis Mariæ commendet oratio: quam idcircò de præsenti sæculo transtulisti, vt pro peccatis nostris apud Te fiducialiter intercedat.

Cordibus nostris quæsumus Domine benedictionis tuæ rorem, meritis,& intercessione B.Barbaræ Virginis & Martyris tuæ benignus infunde, vt qui eius imploramus auxilium, celerem tuæ propitiationis sentiamus effectum. Per Christum Dominum nostrum, &c. Dominus vobiscum, &c. Benedicamus Domino. Deo Gratias.

Cap.31. [h] *Iunciq; virides & rami*. Templa ramis & viridi folio sternere etiam Romanis mos est, iuncis non itē. Hiberni domorum pauimenta Dominicis & festiuis diebus æstatis, nō sparsim sternunt, sed fultim omninò contegunt iuncis, ad virorem & refrigerium, inspersis floribus & herbis odoriferis, quibus saluberrimis abundat Insula. Iunci autem huic vsui apti non sunt fluuiatiles illi, vel lacustres longi & crassi, ex quibus tegetes, seu storeæ & sportæ conficiuntur, sed minores, qui in terra quidem cultili, sed aquosa crescunt, & ex quibus Romæ parua canistra texunt, quibus includunt lactarium illud quod ab ipso vase *giuncatam* vocant. Atque his iuncis vti Limanos existimo, ad pauimenta Templorum Hibernico more sternenda: in quibus vt Hiberni, sic nec Limenses vllum anguem ratere timent. Nam vtraq; terra Dei, vel naturæ beneficio ab eis libera est.

Cap.34. [i] *Recle & patitur*. Sunt notæ quibus punctator chori, signat sibi causas absentiæ Præbendariorum ab horis canonicis. Quid autem significet *patitur*, ex ipso textu satis intelligitur esse, quando aliquis abest à choro propter infirmitatem vel indispositionem corporis, quam patitur. Et quia huiusmodi indispositio vel fingi, vel insufficiens esse possit, propterea prouisum est remedium per pœnas hoc capite contentas.

Recle verò significat quod absens vtatur priuilegio vacantiæ trium mensium anni, quam Præbendarijs summam permittit sacra Synodus Tridentina, sess.24. cap.12. de reformat. *Saluis nihilominus*, inquit, *Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius seruitij tempus requirunt*. Et iuxta hanc exceptionem Tridentini, Concilium Prouinciale Limense anni 1583. Act. 3. cap. 28. ad vnius tantummodò mensis tempus restrinxit, *atq; hoc interpolatum, ac per dies, non per horas computandum*. Cum ergo per hæc satis de hac absentia dispositum esse videretur, ideò de *Recle* in hac regula consueta nihil ampliùs ordinarum est. Nam liberum Præbendarijs fuit interpolatos dies illius mensis pro suo arbitrio & commoditate sibi assumere ad vacationem.

Nunc autem intelligo rem hanc per S.Congregationem Eminentissimorum Cardinalium Interpretum S. Concilij Tridentini, & Alexandri VII. Pont. authoritatē, ad terminos ipsius Concilij Trident. reductam esse, exceptis quibusdam diebus festiuis & quadragesimalibus, in quibus ea vacatione vti non licet.

Cap.39. [k] *Expectationis*. Est festum Hispanis peculiare, per quod celebrant desiderium, quo expectant pártum Beatissimæ Virginis Mariæ, die 18. Decembris, postridie quam Vniuersalis Ecclesia solemnes illas eiusdem expectationis Antiphonas canere cœpit. *O Sapientia: O Adonai: O Radix Iesse, &c.* quæ cantantur ad Magnificat à vesperis diei 17. Decembris inclusiuè, vsque ad vigiliam Natiuitatis Domini exclusiuè. Dies autem ille 18. specialiter apud Hispanos festiuus est, & propriū suum habet integrum officium Ecclesiasticum inter alia officia propria Hispanorum per Sedem Apostolicam approbata per Bullam Gregorij XIII. à nobis supra descriptam pag. 64. quæ incipit, *Pastoralis officij*.

CON-

CONCILIVM PROVINCIALE LIMANVM TERTIVM.

QVOD

Clemente VIII. Romano Pontifice, & Philippo III. Hispaniarum Rege, Noui Orbis Domino, celebrauit

D. Toribius Alphonsus Mogrouejus, Archiepiscopus Limensis, in ipsa sua Ciuitate Lima, Anno Domini MDCI.

NOn est, quòd ex annorum periodo quisquam hic in limine Toribium Archiepiscopum reprehendendum suspicetur: quasi vt minus iustus deesset officio, vel charitate minutus non prouideret Pastor gregi, vel Maiorum Decreta negligens, neque Concilij Tridentini precepto parens Concilium Prouinciale post triennium à proximo antecedenti celebrauerit, vel saltem Gregorij XIII. Pont. Indulto vsus, septennij terminum obseruarit; quin vir alioquin obseruantissimus Concilium istud ab anno 1591. in annum 1601. toto decennio distulerit: Quoniam ratio, quæ in Concilij Tridentini Decreto cum Toribio dispensandum, & Indultum concedendum suasit Pontifici Gregorio, eadem obstitit, vt neutrum seruaretur hac vice, nempe necessitas non habens legem. Toribius enim seruato septennij tempore Concilium indixit in quintam diem Martij anni 1598. & simul Indictionis literas ad omnes Episcopos sibi Suffraganeos misit: quo termino transacto nullus Episcoporum comparuit, tanta est itinerum in ea regione difficultas & longitudo, maximis periculis expositorum, vt cap. 9. nostri apparatus historici supra, & in eius notis ampliùs declarauimus: Vnus etiam dum se itineri accingeret, obijt, & alius morbo detentus, quo eum etiam obijsse suspicor, se excusauit. Expectauit ergo patienter etsi dolenter Archiepiscopus, & nouas literas indictionis expediuit, donec tertio post primum terminum anno accedentibus tantum duobus Episcopis Quitensi & Panamensi, omnibus visum est, Concilium non ampliùs in spem aduentus aliorum differendum esse, atque idipsum sequenti ipsorum Decreto declaratum est, quò facit etiam nostra nota ad Concilii I. Prouinciale supra: vnde reddita ratione dilationis, omnis negligentiæ suspicio vel querela cessat.

DECRETVM PRÆPARATORIVM.

IN Ciuitate Regũ, vndecima die mẽsis Aprilis, anni millesimi sexcentesimi primi, congregati simul in aula Archiepiscopali, videlicet, Illustriss. Dominus D. Toribius Alph. Mogrouejus Archiepiscopus huius Ciuitatis, & Reuerendiss. Dominus Magister D. [a] *Fr. Ludouicus Lopez* Episcopus Quitensis, & Reuerendiss. Dominus Doctor, D. [b] *Antonius Calderon* Episcopus Panamensis, attendentes, quòd secundum dispositionem S. Concil. Trident. & Breuiũ Summi Pontif. Prælati, Episcopi cõprouinciales vniuersæ huius Prouinciæ fuerint conuocati per duas conuocatorias expeditas ad omnes Episcopos, & quòd Reuerendissimus Episcopus Paragayanus volens adesse & venire ad celebrationem dicti Concilij prouincialis è vita decesserit, & Reuerendissimus Tucumansis D. [c] *Ferdinãdus de Trejo Sanabria* accinctus ad veniendum ad dictum Concilium inciderit in morbum dissenteriæ, cum fluxu sanguinis, cum quo si se itineri commisisset, periclitaretur eius vita, quemadmodum per ipsos nuncios, & litteras, quæ præsentatæ fuerunt, apparuit: Et re communicata cum viris doctis, & cognito quid in alijs præteritis Concilijs actum sit, & exspectato completo termino conuocatoriæ, qui fuit decima quinta dies Martij anni 1590. vsque ad præsentem diem dati huius, qui est vndecimus mensis Aprilis anni 1601. & non habentes notitiam, quòd vllus absentium esset venturus, aut venerit, ac desiderantes debitam executionẽ dare celebrationi dicti Concilij prouincialis, conuocati iuxta dispositionem S. Conc. Trident. & Breuium Apostolicarum, & Schedularum Domini nostri Regis: Dixerunt quòd per viam maximè expedientem, & quantum permittant iura, declarabant, ac declararunt, quòd se constituebant, & constituerunt legitimos ad inchoandum, prosequendum, & absoluendum dictum Concilium, & in eo ordinandum, ac decernendum cætera omnia, quæ Cõcilijs prouincialibus legitimis concedunt iura & laudabiles consuetudines, & sic decreuerunt, & subscripserunt ad finem dicti Concilij.

Sess. 24. cap. 2. de reform. Gregor. XIII.

Cur dilatũ hoc Concilium vltra septennium

Toribius Archiepiscopus Ciuitatis Regum.
Fr. Ludouicus Episcopus Quitensis.
Antonius Episcopus Panamensis.

Coram nobis, de quo fidem facimus.

Licentiatus Michaël de Salinas.
Licent. Osorius de Contreras Secret.

ACTIO

ACTIO PRIMA

Celebrata in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Regum, die ij. Aprilis, Anno MDCI.

DECRETVM PRIMVM.

Declaratur inchoatio Concilij.

NOs D. Toribius Alphonsus Mogrouejus miseratione diuina, & S. Sedis Apostolicæ Archiepiscopus Metropolitanus huius Ciuitatis Regum, Domini nostri Regis Consiliarius, vnà cum comprouincialibus Dominis Episcopis Magistro D. Fr. Ludouico Lopez de Soliz, Episcopo Ciuitatis S. Francisci *de Quito*, & doctore D. Antonio Calderon Episcopo Panamensi, declarat Concilium Prouinciale cõuocatum per nos dictum Archiepiscopum in hac Ciuitate Regum, die festo S. Leonis Papæ, qui est vndecimus Aprilis, ad honorem & gloriam Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis, pro felici statu, & reformatione huius Prouinciæ, & Ecclesiarum ipsi Suffraganearum inchoari, & inchoatum esse.

DECRETVM SECVNDVM.

Loci competentia præcauetur.

HOc sacrum Concilium statuit, vt omnibus in eo præsentibus, & absentibus, tam Reuerendissimis Episcopis, quam Procuratoribus comprouincialibus, cuiuscunq; status vel conditionis existant, declaretur, nullum illis præiudicium parare loca in hoc Concilio assignãda: imo potiùs, quòd ipsorum iura & prærogatiuæ salua, integra, & secura ipsis relinquantur, secundum quod, & eo modo, quo ante hoc Concilium erant, eaq; tenebant, & gaudebant illis. Et ad procedendum in eo nominarunt officiales, Licentiatum Michaëlem de Salinas, Prouisorem, & Vicarium generalem huius Archiepiscopatus; & Licentiatũ Franciscum Osorium de Contreras, Prouisorem Episcopatus Terræ firmæ pro Secretarijs eiusdem Concilij, & Licentiatum Melchiorem Ruiz de Bustos pro Fiscali. Et interrogati dicti Reuerendissimi, an consentiant his decretis, & ipsis placeant, dixerunt, & responderunt *placent*. Et publicatis istis decretis, eisque lectis vnà cum capite secundo sess. 24. Concilij Trid. de reform. quod incipit *Prouincialia Concilia*. Et cap. 1. quod incipit, *Eadem Sacrosancta Synodus*. Et secundo, quod incipit, *Episcopi inferiores* sess. 6. de reform. Et cap. 1. quod incipit, *Cùm præcepto diuino*, sess. 23. de reform. de residentia Prælatorum: Et c. 2. quod incipit. *Cogit*, sess. 25. de reform. absolutum est hoc Decretum, lectis pariter canonicis regulis quorum fit mentio cap. *Sicut olim*, de accusationibus.

Instituuntur officiales Concily.

Leguntur aliqua capita Concily Tridentini

TERTIVM DECRETVM.

De professione Fidei.

STatuitur etiam & præcipitur, quòd iuxta Decretum S. Con-

 cil.

cil. Trid. sess. 25. cap. 2. de reform. omnes Episcopi comprouinciales emittant professionem fidei,& dicti Concilij,eius vestigijs inhærendo iuxta Constitutionem Pij Papæ IV. quæ incipit *Iniunctum*; quæ professio facta est in forma consueta.

ACTIO SECVNDA

Celebrata in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Regum, die xviij mensis Aprilis, Anno MDCI.

DECRETVM PRIMVM.

De Iudicibus Synodalibus.

SEcundum quod in S. Concil. Trident. prouisum est sess. 25. c. 10. de reform. Hoc sacrum Concilium pro Iudicibus, qui cognoscere possint, & cognoscant causas spirituales, & Ecclesiasticas pertinentes ad forum Ecclesiasticũ, quæ in istis partibus commissæ fuerint per Sũmum Pont. vel per quemuis Legatum, vel Nuncium, in hoc Archiepiscopatu nominarunt Doctorem D. Petrum Muniz Decanum, Doctorem D. Ioannem Velasquez Archidiaconum, Doctorem D. Matthæum Gonzalez de Paz Scholasticum, Doctorem D. Stephanũ Fernandez voz Medianum Cantorem, D. Christophorum Medel Thesaurarium, Dignitates huius S.Ecclesiæ Cathedralis Regum. Et in Episcopatu Quitensi Decanum D. Franciscum Galecis, & Archidiaconum Magistrum Ioannem deOuando, & Cantorem D. Georgium Ramirez de Arellano, & Canonicum D. Alphonsi. de Aguilar. In Episcopatu Panamensi D. Ioan. de Luque Decanum. D. Cyprianum Fernandez de Sea Thesaurarium, Licentiatum D. Alphonsi. Armyo Altamirano, Cantorem, Baccalaureum Hernandum Guerrero Canonicum. Et reliquis Episcopis Suffraganeis per idẽ Concilium iniungitur, vt in suis districtibus nominẽt personas idoneas ad eundem effectum cõformiter ad sacrum Concilium Tridentinum.

DECRETVM SECVNDVM.

De Testibus Synodalibus.

RAtio propter quam Sancti Patres iustè & sanctè constituerunt, vt singulis annis cogerentur Synodi, fuit, vt in eis tractetur de corrigendis excessibus, & de reformatione & moderatione morum, vtq; in eis fiat, quod bono regimini animarum, & rerũ episcopatus concernentium expedit. Et,vt quod in eisdem Synodis constitueretur & fieret, cum maiori efficacia compleatur, & ad effectum perducatur, statuerunt,vt in singulis Episcopatibus sint, & nominentur testes Synodales viri boni & idonei, qui diligenti studio per vniuersum Archiepiscopatũ inquirant, quisq; in districtu sibi assignato, quomodo obseruetur, & compleatur, quod in Synodis constitutum & præceptum est. Et, vt tam

tam sancta Institutio sortiatur effectum, nominati sunt testes sequentes: In hoc Archiepiscopatu, Parochi, qui sunt, vel fuerint huius sanctæ Ecclesiæ Cathedralis, & Parochiarũ, & Visitatores totius Archiepiscopatus qui item sunt, vel pro tempore fuerint. In Episcopatu Quitensi etiam Parochi Cathedralis & Parochiarum & Visitatores. In Episcopatu Panamensi similiter Parochi Cathedralis & Visitatores. Et reliquis Episcopis iniungitur, vt personas idoneas ad hoc munus in suis Episcopatibus eligant.

DECRETVM TERTIVM.

Forma Interrogatorij ad Roman. Pontificem mittendi, circa promouendos ad Episcopatus, iuxtà Decretum sacri Concilij Trident. sess. 25. c. 1. de reformatione.

IMprimis an cognoscant N. & quanto hactenùs tempore, & an habeant notitiam Ecclesiæ Cathedralis talis loci, in tali regno?

Item an sciant, an à decem, viginti, vel triginta annis huc vsq; perpetuò in ea Ciuitate fuerit, & sit illa Ecclesia Cathedralis, cum titulo & inuocatione Sancti N. & quòd in illis diuersis temporibus aliqui promoti fuerint ad quatuor vel quinq; dignitates, &, quòd earum prima & magis principalis post Pontificalem sit illa Decani, vel alterius maioris de numero Canonicorum; & an habeat Sacrarium decenter ornatum, & instructum bonis ac diuitibus ornamentis, & amplam magnamq; Diœcesim, cum alijs signis & insignijs, quæ monstrant & faciant eam notabilem Ecclesiam Cathedralem; & quòd hoc fuerit, & sit publica vox & fama?

Item an sciant, quòd in eadem Ecclesia Cathedrali fuerit, & resederit tanquam proprius eius Episcopus Reuerendissimus D. N. & quòd fuerit vltimus Episcopus & Pastor illius, & quòd per ipsius mortem iam careat Episcopo, & vacet?

Item si cognouerint, vel notitiam habeant N. & N. parentum N. & incolarum quondam loci N. & an sciant, quod fuerint matrimonio coniuncti & velati, & quòd durante tali matrimonio habuerint, & procreauerint N. tanquam legitimum filium, & an sciant, quòd pro legitimo filio fuerit, & sit habitus, & communiter reputatus ab omnibus, qui ipsum cognoscebant?

Item an sciant quòd Parentes dicti N. & ipsius maiores fuerint omnes Christiani, & filij puri sanguinis, sine mixtione Iudæorum vel Maurorum, & quòd non pœnitentiati per officium S. Inquisitionis, & quòd fuerint personæ principales Ciuitatis aut oppidi talis regionis, & dictus N. pariter eorum filius?

Item si sciant, quòd dictus N. sit, ætatis tot annorum, & talibus ordinibus initiatus, vt constat per testimonia ipsius ordinationis?

Item si sciant, quòd idem N. sit graduatus ad talem gradum in tali facultate, vt constat per testimonia ipsius promotionis?

Item an sciant, quod idem N. habuerit Cathedram, officium, vel præbendam in tali loco, vel fuerit Collegialis, Prior, aut Prouincialis, vel habuerit alia officia, gubernia & administrationes, & an illis bene fu-

ctus

ctus fuerit; & an vitam abstractam, laudabilem, & exemplarem duxerit, succurrẽdo necessitatibus proximorum, illis cum omni charitate compatiendo, & quòd sit pacificus, mansuetus, non sequax lucri, nec amicus cumulandi thesauri, sed benignus, sobrius vir, virtute præditis benè affectus, & virtutum suasor, abstinens, & per omnia temperans, & qui habetur pro deuoto seruo Dei?

Item an sciant per quot leucas extenditur districtus Ecclesiæ & Episcopatus N. ad quem præsentatus est dictus N. & an terra cultilis, vel aspera sit, & quam qualitatem, vel temperiem habeat, & per quot leucas idem Episcopatus ab Archiepiscopatu, cui Suffraganeus est, distet, quotq; sint eius cõprouinciales Suffraganei, per quos celebrari possint Concilia Prouincialia?

Item an sciant, quòd dictus N. non sit valetudinarius, nec impotẽs, aut impeditus ad visitandum Episcopatum, & exercenda Pontificalia, nec ætate grauis; vt per hoc se excusare possit, ne exerceat?

Item an sciant quòd idem N. in rebus Indicis peritus sit, & quanto tẽpore resederit & adstiterit in illis, & an Indigenarum linguam calleat, vt illis prædicare, & sancta Sacramenta ministrare, eosdemq; circa ea catechizare, & instruere possit tã in sacramento confirmationis, quam in reliquis?

Item an sciant, quot Beneficia & Doctrinas habeat Episcopatus, & an in illis desint, vel suppetat Rectores?

Item an sciant, quòd omnia prædicta, & eorum singula sint vera, publica, & notoria, per publicam vocem & famam?

DECRETVM QVARTVM.

Renouatio Concilij Prouincialis anni 1583.

QVandoquidẽ in Concilio Prouinciali, quod celebratũ fuit in hac Ciuitate Regum anno iam præterito 1583. multa Decreta sancita fuerint ad reformationem Cleri, statum Ecclesiasticum, Indorum instructionem, & Sacramentorum administrationem; & habeatur veridica relatio, quòd in multis partibus non obseruentur, nec effectu compleantur, & quòd ad negociationes, & contractus Clericorum cum Indis, ludos item & alias res pertinet, magna sit corruptio, & quòd interim, donec reprimantur abusus, & reprobæ ac perniciosæ consuetudines, quæ reuera corruptelæ vocari possunt, non poterit inter Indos fieri fructus: Et quoniam animus quo dictum Concilium congregatum, & celebratum est, is fuit, vt in illo statueretur, quòd ad obsequium Dei, & spirituale bonum Ecclesiarum, huius Prouinciæ, augmentum cultus diuini, conuersionem & instructionem Indorum, morum reformationem, correctionem & perfectionem Ecclesiastici status: Et quia dictum Concilium eiusq; Decreta tanta ponderatione & consensu sancita sunt, & Sua Sanctitas constituit, ordinauit & præcepit, vt impleantur & executioni mandentur, Præsens Concilium Prouinciale statuit, ordinat, & præcipit, vt obseruentur, & compleantur omnia Decreta dicti Concilij Prouincialis anni supradicti, idq; inuiolabiliter absque diminu-

nutione vllius rei, quæ in illis dispoſita & prouiſa eſt, vt in eiſdem continetur, & vt Sua Sanctitas ordinat & præcipit, & vt Sua Maieſtas per Schedulas ſuas Regias ad hoc expeditas, & in eodem Concilio inſertas iniungit: Ac omnes Epiſcopi Suffraganei huius Archiepiſcopatus monentur, & in Domino obſtringūtur, vt recolendo obligationem muneris, quod gerunt Paſtorum & Prælatorum, quorum conſcientias dictum Concilium onerat tanquam qui ſtrictam rationem reddituri ſint ouium ſuæ curæ commiſſarum, vt ſeruent & obſeruent, ac ſeruari & obſeruari faciant, & in ſuis Eccleſijs publicari, quiſq; in ſuo diſtrictu omnia Decreta dicti Concilij celebrati dicto anno 1583. faciendo, vt in omnibus & per omnia compleantur & ſeruentur, vt dictum eſt; non obſtante quacunque conſuetudine in contrarium; & quòd omnes peculiarem curam in hoc ponant, renouando, vt renouat hoc ſacrum Concilium omnia Decreta dicti Cōcilij anni 1583. & præcipit, vt ſeruentur, & compleantur, & ad debitam executioné cum effectu perducantur: Ita vt in toto fiat, quod expedit exonerationi conſcientiarũ & obſequio Dei Domini noſtri. Præcipit etiam hoc idē ſacrum Concilium omnibus Parochis tam Hiſpanorum, quam Indorum, & omnibus Iudicibus Eccleſiaſticis, ad quos quoquo modo pertinet, vt ea penès ſe habeant, intra duos menſes, poſtquam in vno quoque Epiſcopatu publicata fuerint, vel intra aliud tempus, quod Ordinarius in ſuo Epiſcopatu aſſignauerit, ſub pœnis ipſis imponendis: Iniungitur pariter omnibus Epiſcopis Suffraganeis, quòd cum omni poſſibili breuitate faciant publicari in ſuis Epiſcopatibus hæc decreta, idemque fiat in Cathedrali huius Archiepiſcopatus, vt perueniat ad omnium notitiam, & nemo prætendat eorum ignorantiam.

DECRETVM QVINTVM.

Omnia Decreta huius Concilij prouincialis, & eorum quodlibet ſubiecta ſint cenſuræ & correctioni ſanctæ Sedis Apoſtolicæ.

Ego T. Archiepiſcopus Ciuitatis Regum diffiniens ſubſcripſi.
Ego Fr. Ludouicus Epiſcopus Quitenſis diffiniens ſubſcripſi.
Ego Antonius Epiſc. Panam. diffiniens ſubſcripſi.

In quorum fidem infraſcripti Secretarij Concilij ſubſcripſimus.

Ego Licentiatus Michaël de Salinas Regum Prouiſor ac Vicarius generalis, & Concilij ſancti Secretarius;
Ego Licentiatus Franciſcus Oſorius de Contreras ſancti Concilij Secretarius, Prouiſor, ac Vicarius generalis Panamen.

Quod

Testimonia approbationis, & publicationis Concilij.

Quod sacrum Concilium Prouinciale absolutum est ad honorem & gloriam Dei, Domini nostri, die Mercurij sancto, mane, decimo octauo mensis Aprilis huius anni 1601. *& Ceremonijs ex praescripto Pontificalis Romani peractis, publicatum est in Ecclesia Cathedrali huius Ciuitatis Regum, dictis die, mense, & anno, alta & intelligibili voce in pulpito Ecclesiae per Bacalaureum Ioann. de Salazar clericum Presbyterum, Collectorem huius sanctae Ecclesiae Regum, praesentibus Illustrissimo Domino D.Toribio Alphonso Mogrouejo Archiepiscopo Metropolitano huius Ciuitatis Regum, & Domino Magistro D. Fr. Ludouico Lopez de Soliz, Episcopo Ciuitatis Sancti Francisci de Quito, & Domino Doctore D. Antonio Calderon, Episcopo Panamense, Suffraganeis huius Metropolis. Testibus Doctore Fernando de Guzman, & Licentiato Bartholomaeo Menacho, & Christophoro de Leon Canonicis huius sanctae Ecclesiae. Et tunc statim dictus D. Archiepiscopus interrogauit dictos Dominos Episcopos Quiten. & Panam. Reuerendissimi Patres, Placentne vobis haec Decreta? & Responderunt* Placent. *Et his dictis D. Archiepiscopus dissoluit dictum Concilium simul cum dictis DD. Episcopis Quitensi, & Panamensi, dicens.* Ite in pace, *finitum est Concilium. Et horum fidem facimus.*

Licentiatus Michaël de Salinas Secretarius.

Licent. Osorio de Contreras Secretarius.

Ego Licentiatus Ioannes de Salazar, Presbyter, Collector generalis huius Archiepiscopatus, & Notarius publicus eiusdem legi & publicaui Decreta huius sacri Concilij prouincialis in dicta sancta Ecclesia, voce alta & intelligibili, vt supra memoratur, existentibus testibus Doctore Fernando de Guzman, & Licentiato Bartholomaeo Menacho, & Christophoro de Leon, Canonicis dictae huius sanctae Ecclesiae, & alijs multis personis Ecclesiasticis & Secularibus. Et vt de eo constet, subscripsi. In Ciuitate Regum die 18. Aprilis anni 1601.

Licentiatus Ioannes de Salazar Secretarius.

Nota

Nota in Concilium III. Prouinciale.

IN Decreto præparatorio, [a] *Fr. Ludouicus Lopez de Soliz*. Hic assumptus est ex Ordine Eremitarum S. August. in quo Magistri titulum adeptus, deinde illius Prouinciæ Peruanæ bis Prior Prouincialis. Hinc Episcopatui Quitensi Præfectus isti Prouinciali Cōcilio interfuit. Posteà, non Argiropolitano, vt Cyprianus de Herrera loquitur, sed Argentinopolitano Archiepiscopatu, vulgò, *de la Plata*, & *de las Charcas* donatus, ad quem cum migraret, Limæ videns ordinis sui Cœnobium à se fundatum, quasi mortem præsagiens, in nidulo, inquit, meo moriar. Idq; factum: nam in eodem Limensi Conuentu defunctus mense Iunij anno 1604. ibidem sepultus est, doctus & sanctus Pastor, vt Herrera eum vocat, in Præfatione Vitæ nostri Toribij.

In eodem Decreto [b] *Antonius Calderon*. Hic S. Theologiæ, nescio, an Iuris Doctor, Portus locupletis primū, vulgò, *Puerto-rico*, Episcopus fuit sub Archiepiscopo Insulæ S. Dominici. Posteà Panamen. Ecclesiam in Prouincia Limensi adeptus, pro ea huic Prouinciali Concilio interfuit; nec aliud de ipso scire potui.

Ibidem. [c] *Ferdinando de Trejo Sanabria*. In Paraguaya & Ciuitate Assumptionis nobili genere natus, & Ordinem Minorum Reg. Obseru. in Prouincia Peruuiæ duodecim Apostolorū deinde professus, præcipui Cœnobij Limensis Præfectus, & anno 1588. totius Prouinciæ Minister electus est. Initio autem anni 1589. vel principio sequētis Episcopus Tucumanen. creatus est, quam sedem laudabiliter gubernabat dum vixit, ibique mortuus & sepultus est.



FINIS
CONCILIORVM PROVINCIALIVM.

SYNODI

SYNODI DIOECESANAE.

QVAS

Venerabilis Seruus Dei D. Toribius Alphonsus Mogroueius, Archiepiscopus Limens. in sua Diœcesi celebrauit, ab anno 1581. quo Ecclesiæ possessionem iniuit, vsq; ad annum 1606. quo in Cælum abijt.

Toribius Archiepiscopus, vt alibi diximus, statim vt Ecclesiæ suæ possessionem adeptus est, se totum eius regimini consecrauit, & mensibus deindè non integris decem, post domus & familiæ, post Ecclesiæ Cathedralis, & aliarum Vrbis res benè dispositas, post visitatam per se personaliter vastissimæ diœcesis non paruam partem, rebusq; ad Synodum diœcesanam dispositis, cognitisq; tùm ex visitatione, tum ex reliquo studio in eam rem impenso, quibus rebus rectè dirigendis, quæ regulæ aptæ forent, sequentia Decreta concepit, & in prima sequenti à se celebrata Synodo Diœcesana constituit. Quæ non tantùm tempore præuia, sed & materia ipsa præparatoria fuit ad primum Concilium Prouinciale ab ipso celebratum, vt conferenti manifestum est. Cum enim deinceps percepisset, easdem viuendi regulas per vniuersam Prouinciam necessarias esse, quas ipse propriæ suæ Diœcesi idoneas iudicauit, proinde quidquid ferè in hac Diœcesana Synodo constitutum fuit, id anno sequenti in Concilium Prouinciale translatum est, vt nostris ad Synodi margines notis indicabimus. Qua propter cum Concilium Prouinciale tanto applausu acceptum, & Apostolicæ Sedis oraculo approbatum sit, non parua inde authoritas in hanc Diœcesanam Synodum deriuatur.

SYNODVS I.

Celebrata in Ciuitate Regum, die x. Martij, an. MDLXXXII.

NOS D. Toribius Alphonsus Mogrouejus, Dei & S. Romanæ Ecclesiæ gratia Archiepiscopus Regum, Regiæ Maiestati à Consilijs, &c. Admodum RR. Fratribus nostris, Decano & Capitulo huius nostræ sanctæ Ecclesiæ Regum, & RR. admodum Prælatis Religionum, ac Vicarijs, Parochis, & Clericis huius nostri Archiepiscopatus, & reliquis personis in eo existentibus, & habitantibus salutem in Domino nostro Iesu Christo, &c.

Trid. sess. 24. cap. 2. de reformat.

Vobis benè notum est, qualiter per sacros Canones, & iam vltimò per Concilíú generale Trident. constitutum sit, quòd Prælati, quisq; in suo Episcopatu, singulis annis celebrent Synodú, propterea quòd hæc res magni ponderis & momenti sit, ac plurimum conferat ad reformationem, viciorumq; extirpationem: Propterea, vt nos huic parti satisfaciamus, & propter necessitatem quã nobis instare videmus ad prouidendum aliquibus rebus momenti, conuocauimus ad dictam Synodum dictos nostrum Decanum, & Capitulum, & Vicarios, ac Parochos huius nostri Archiepiscopatus, omnesque alios, ad quos de iure, vel consuetudine vocari spectabat; cuius Synodi conuocatio fuit ad diem S. Matthiæ proximè præteritum. Et cùm simul congregati essemus, & postquam tractauimus de aliquibus negotijs ad bonú regimen huius nostri Archiepiscopatus pertinentibus, statuimus capitula sequentia, quæ hinc imposterum obseruari & compleri volumus, & mandamus sub pœnis, & prouisionibus in eisdem contentis.

Cap. I.

Qui in Doctrinis, & alijs Ecclesijs constituti sunt, non se absentent.

CONdecet, vt qui in Ecclesijs ac Doctrinis nostri Archiepiscopatus inseruire debent, in eisdem resideant, nec se ab illis elongét, propter multa incommoda quæ inde nasci possunt: Proinde præcipimus, vt in-posterum nullus per nos Ecclesijs prouisos possit se ab illis absentare, sed vt in hoc obseruetur dispositio iuris, & sacri Concilij Tridentini, & constitutionis vndecimæ vltimi Concilij prouincialis, sub pœnis circa hoc stabilitis. Et nostris Vicarijs etiam præcipimus, vt eandem pœnam exequantur: quòd si in hac executione remissi fuerint, incurrant ipsi pœnam duplicatam. Et nostris Visitatoribus pariter præcipimus, vt hoc inter capita visitationis notent, quatenus eius executio nobis innotescat.

Sess. 7. cap. 1. Trid. de reformat. & sess. 24. cap. 12. Concil. Prouin. anni 1567. constit. 11. & sess. c. 4. & an. 1583 act. 2. cap. 41. act. 3. c. 14. & 18. & act. 4. c. 17.

Cap. II.

De habitu Clericorum.

VIcarijs nostris, Beneficiatis, Parochis, & Clericis sacris ordinibus initiatis præcipimus, ne quisquam ipsorú vtatur veste holoserica villosa, damascena, rasa, tafletana, neque colorata, neque laciniata, nec ornata, nec manicas thoracis gerant oculis expositas, aut lactucatas, seu crispas; nec indusia acu picta, nec femoralia rugata, nec alias res ex contentis in constitutione septuagesima octaua primi Concilij prouincialis, in hac Ciuitate celebrati, nec amplos pileos, quales solent supra bireta gestare, nec fimbrias seu caudas ad terram tractas, si non sint Præbendarij in Ecclesijs Cathedralibus, prouisor, aut Vicarius. Nec possint gestare stolas, vulgò *Becças*, si non fuerint ex personis contentis in dicta Constitutione prouinciali, seu Licétiati, vel Doctores graduati in iure Canonico, vel Theologia, vel Magistri saltem in Artibus, sub pœnis in eadem Constitutione contentis: quam cóstitutionem declaramus intelligi de omnibus personis in illa comprehensis, & Præbendarijs, quã-

Concil. Prou. act. 3. cap. 16.

Vide hæc omnia hispanicè prolata supra pag. 56. col. 1.

uis Ecclesiarum Cathedralium, in illa non comprehensis.

Cap. III.
Clerici non ludant.

Concil. Prou. I. supra. act. 3. c. 57.

ORdinamus & præcipimus, quòd imposterū nullus Clericus, siue in sacris, siue in minoribus ordinibus cōstitutus, aut etiam prima tonsura initiatus, si Beneficium Ecclesiasticum obtinuerit, vllo ludi genere ludat, sub pœnis in constitutione septuagesima octaua Concilij prouincialis primi contentis.

Cap. IV.
Clerici non exerceant prædia, negociationes, aut mercimonia.

Recensentur supra pag. 52.

PRopter incommoda quæ sequi possunt ex eo quòd Clerici, qui in Doctrinis resident, habeant prædia, vel exerceant negociationes & mercimonia, ordinamus & præcipimus, quòd Clerici qui in Indorum doctrinis fuerint, talia imposterum non exerceant, siue in vineis, siue in segetibus, vel armentis, aut alijs rebus, nec per se, nec per interpositas personas, præterquàm in permissis per constitutiones prouinciales, quæ de his loquuntur, sub pœna amissionis tam fundi seu principalis, quam fructus, applicandorum iuxta Constitutionem generalem pœnarum, quæ est octuagesima prima: Itemq; præcipimus, quòd hinc deinceps nullus Clericus, cuiuscumq; qualitatis vel conditionis fuerit, habeat opificia, sub pœna amissionis laboris & instrumentorum, panniq; & lanæ quæ in dicto opificio reperientur, vel quæ per possessorem vendentur intra terminum à nobis assignandum.

Concil. Prou. I. act. 3. c. 4. & 5.

Cap. V.
Clerici non comitentur fœminas.

QVoniam indecens est, quod Clerici in sacris constituti, cuiuscunq; sint qualitatis, associent mulieres vllas, vel manu sustentando, vel in equis retrò vehendo; propterea ordinamus & præcipimus dictis Clericis, ne mulierem vllam quantumuis matrem vel sororem comitentur, sub pœna constitutionis septuagesimæ sextæ Concilij primi prouincialis. Hortamurq; omnes, & quascunque, & cuiusuis qualitatis vel conditionis mulieres, vt non consentiant vel permittant, se à dictis Clericis associari, nec præmissa obsequia præstari, memores se, si aliter fecerint, rationem Deo reddituras.

Limitatur in Concil. Prou. I. vt supra pag. 49

Cap. VI.
De Vita & honestate Clericorum.

Trid. sess. 22. cap. 1. de refor. Concil. Prou. I. act. 3. cap. 15. & seqq.

QVoniam non est quod magis instruat ad pietatem, & obsequium Dei, quam eorum vitæ exēpla, qui diuinis ministerijs peculiariter dicati sunt, & tanquam speculum cæteris expositi; statuimus & iubemus, vt Clerici omnes cuncta sibi per Summos Pontifices, & sacra Concilia præscripta obseruēt, quoad ipsorum vitam, honestatem, cultum, doctrinam, luxum, victum, choreas, ludos, vestitum, delectamenta, & negotia sæcularia: Quidquid legum in vsu non est in vsum reducendo, prout reducimus, eadem præcipientes, prout præcipimus, sub pœnis in iure statutis, vel etiam maioribus pro nostro arbitrio infligendis.

Sa-

Cap. VII.

Sacellani & Clerici intersint officijs & processionibus, & qualiter se gerant in funeralibus.

Concil.Prou.1. act.3. c. 25. & 26.

STatuimus & mandamus, quòd Sacellani qui obtinuerint Capellanias in hac sancta Ecclesia, vt & Parochi & Beneficiarij eiusdem singulis diebus assistant Missæ maiori, & Dominicis & festiuis, tam eidem Missæ, quam primis & secundis Vesperis, iuxta constitutionem tertiam & sub pœnis in ea statutis. Et Clericis sacrorum ordinum pariter præcipimus, vt festiuis diebus eisdem Missæ & vtrisq; vesperis intersint.

Regula consueta cap.20 & 47 Concil.Prou.1. act.4. cap.11.

Iubemus itẽ & volumus, vt diebus processionum tam generalium quam particularium Clerici omnes supradicti eisdem cum suis superpelliceis interueniant, & in eis cum silentio procedant, & quòd similiter accedant ad matutinas Natiuitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, & Assumptionis, ac Natiuitatis Dominæ nostræ, & Sancti Ioannis Euangelistæ, & S. Petri sub pœnis eiusdẽ constitutionis tertiæ, vnius monetæ regalis quantum ad Sacellanos, & alios Clericos.

Statuimus item & præcipimus, quòd Clerici, qui interfuerint sepulturis, incedant cum silentio, & gestẽt candelas accensas vsq; ad finem officij, sub pœna perdendi candelas, applicandas Ecclesiæ, in qua sepelietur defunctus.

Cap. VIII.

De cantandis Missis & Vesperis in Ecclesijs Parochialibus, & alijs.

ORdinamus, & præcipimus, vt omnes Parochi, & Beneficiarij huius Ciuitatis, & Oppidorum Hispanicorum diebus Dominicis & alijs festiuè colendis cantent Missas, & Vesperas; & intra septimanam, vbi cantari non poterunt, recitentur in tono, sub pœna quatuor Regalium pro singulis vicibus omissionis, applicandorum Ecclesiæ.

Cap. IX.

Parochi recitent doctrinam, & qui in doctrinis sunt, eam personaliter doceant.

Concil.Prou.1. act.2. cap.5. Concil. Trid. sess. 24. cap.4. de reform.

PRæcipimus etiam, quod omnes Parochi doceant doctrinã Christianam diebus Dominicis & festiuis, et in Quadragesima bis in septimana, iuxta constitutionem decimam septimam primi Concilij Prouincialis, sub pœna in eadem contenta. Sub qua pœna præcipimus etiam Clericis residentibus in doctrinis Indorum, vt personaliter eam recitent in diebus, quibus ad id obstricti sunt, iubentes eis, vt diebus operarijs id manè præstent, vt auditores deinde ad suos labores ire possint, sub pœna quatuor Regalium nummûm suis Ecclesijs applicandorum singulis vicibus quibus eam omiserint.

Cleri-

Cap. X.

Clerici penes se habeant casus Prælato, & in Bulla Cœnæ reseruatos.

Bulla Cœnæ, §. finali, exterum Patriarchę, &c.

STatuimus & ordinamus [a] *Clericis Confessarijs vt habeant casus in Bulla Cœnæ*, & alios nobis reseruatos, itemq; libros & summas, ex quibus discant occurrentia consciẽtiarum dubia diffinire, sub pœna quòd contra negligentes procedatur iuxta iuris dispositionem.

Cap. XI.

Parochi Parochianos suos infirmos visitent.

ORdinamus & præcipimus, quòd Parochi huius nostri Archiepiscopatus, & qui in doctrinis fuerint, visitent infirmos suæ Parochiæ, & cum vocati fuerint, studeant illis in mortis articulo præsentes esse, vt eos animent, & iuuent ad benè moriendum, in quo conscientias ipsorum oneramus.

Cap. XII.

Non fiant repræsentationes vel Comœdiæ non prius probatæ.

Concil. Colon. an. 1536. par. 3. cap. 26. Innoc. III. cap. Cùm decorem, de vit. & hon. Clericorum. Concil. Mediol. 2. par. 2.

STatuimus & præcipimus nostris Vicarijs, Beneficiarijs, Parochis, Clericis, & Sacristanis, vt in Ecclesijs, Eremitorijs, & Xenodochijs non permittant, neque consentiant fieri vllas [a] *repræsentationes, choreas, vel ludos*, cuiuscunq; qualitatis quæ sint vel fuerint huiusmodi; neque comœdias vel interludia, nisi priùs per nos, vel nostrum Prouisorem examinata; & vt prohibeãt præcipiantq; actoribus sub arbitrarijs pœnis, ne eiusmodi comœdias non priùs, vt dictum est, examinatas exhibeant, & secundum iura contra eos procedant; ad quod faciendum plenariam illis potestatem conferimus.

Cap. XIII.

Parochi petant Eleemosynas pro pauperibus verecundis.

COnstituimus & præcipimus, quòd Parochi in suis Parochijs diebus Sabbathinis, & in vesperis festorum Paschalium petant eleemosynas pro pauperibus verecundis: & in locis in quibus erunt Vicarij, Vicarius & Parochus simul illas petent, in reliquis autem locis Parochum comitabitur persona, quam ipse elegerit. Et habebunt librum computus Eleemosynarũ quas percipient, & quomodo eas distribuerint, vt extent earum rationes, sub pœna contrafacientibus ad arbitriũ infligenda.

Trid. sess. 23. cap. 1. de refor.

Trid. sess. 22. cap. 9. de refor.

Cap. XIV.

Ne laicos aut pueros in Sacristiam ingredi patiantur.

NOstris Vicarijs, Beneficiarijs, Parochis, Clericis, & Sacristanis præcipimus, quòd [a] *nullum laicum cuiuscunq; qualitatis*, dum diuina officia in Ecclesia persoluuntur, in Sacristiam intrare permittant: nec eãdẽ ingrediantur Clerici, nisi causa celebrandi Missas, & tunc obseruent silentium sub pœna vnius nummi Regalis singulis vicibus à Sacristano in Ecclesiæ vsum soluendi.

Regni Consuet. cap. 28. §. Non permittant. Concil. Mediol. IV. de sacristia, & Concil. I. de offic. sacristani.

De

Cap. XV.
De officio Sacristarum.

Clem.I.Epist.2. ad Iac.Fr Dom. post princip. Conc.Salisbur. sub Vrb. VI. Concil.Frising. sub Eugen. IV. Conc.Mediol.2 par.2.

NOstrarum etiam Ecclesiarum Sacristanis præcipimus, si sacris ordinibus initiati sint, quòd corporalia singulis mensibus, & purificatoria singulis hebdomadis lauent, vel per Sacerdotes lauari faciant. Itemq; pannulos altaris, & calicum pallas semel in septimana, & semel in mense albas et amictus, et mappas altarium. Et quòd casulæ, stolæ, manipuli, dalmaticæ, pluuialia, antipendia, et reliqua omnia ornamenta sint consuta, plicata et parata, nec male tractentur; et quòd in armarijs, calicibus, ornamentis, et libris earundem Ecclesiarum seruent magnam munditiem: quod si neglexerint, mulctabuntur summa quatuor pesorum impendenda in opera piæ eiusdem Ecclesiæ: eosque prætereà monemus, quòd resarcire debeant omnia damna, diminutiones, et abusus, quæ dictis ornamentis ipsorum culpa acciderint, et quòd contra illos procedetur vsque ad priuationem officiorum.

Cap. XVI.
Sacristani doceant pueros chorales legere, scribere, & cantare.

MAndamus insuper eisdẽ Sacristanis, quòd semel quotidie doceant pueros chori cantare, legere, et scribere, sub pœna vnius nummi regalis applicandi dictæ Ecclesiæ toties, quoties id omiserint.

Cap. XVII.
Clerici non visant Moniales absque licentia.

QVoniam ex frequenti accessu Cœnobiorum Sanctimonialium plura detrimenta Clericis euenire possunt, præsertim tẽporis quod in visitationibus deperditur, quod non parui momenti dispendium est in personis quæ eodem tempore suis functionibus benè impendendo egent: quod prætereà superiores offendit. Propterea ad hæc euitanda ordinamus et præcipimus, quòd inposterum nullus Clericus in sacris ordinibus vel beneficio constitutus visitet moniales, absque expressa nostra licentia in scriptis obtenta, sub pœna sex pesorum arbitrio nostro pijs operibus applicandorum pro singulis vicibus, quibus contrarium fecerint.

Concil. Mediol. VI. tit. Quæ ad Moniales pertinent. Concil. Limen. an. 1583 Act. 3. cap. 35.

Cap. XVIII.
Clerici filios domi non habeant.

VT Presbyterorum incontinẽtiæ, turpi et scandaloso crimini remedium apponamus, et nequè ipsius extet memoria, statuimus et præcipimus, quòd Clerici suos filios vel filias domi suæ non habeant, nec illos comitentur, vel iuuent ad Missas, nec in ipsorum sponsalibus vel matrimonijs præsentes sint, nec Missis, vel cænis nuptialibus eorundem; sub pœna sex pesorum operibus pijs applicandorum, et quòd contra violatores procedatur vsque ad priuationem bonorum: quæ tamen intelligi debent de filijs acquisitis postquã patres cœperant ordinibus initiari.

Concil. Basil. sess. 20. Concil. Trising. sub Eugen. IV. tit. de cohabit. cler. & mulierum.

Concil. Palent. in Hisp. tit. de vit. & honest. clericor.

Seruo-

Cap. XIX.

Seruorum, seu Sclauorum Domini curent, vt illi benè viuant, nec peccatis inseruiant.

Conc. Basil. sess. 20. Conc. Coloni. p. 13. c. 3.

QVia multi seruas habent, qui non solum negligenter, sed quod peius est, volenter & gaudenter consentiunt, & permittunt eas in concubinatu viuere, propter lucrum, quod ipsis ex partu seruarum accrescit, nullius pensi habētes obligationem, qua tenentur eas Dei legem docere, & ad eius obseruantiam hortari: Et quoniam nobis vt ipsorum Pastori & Prælato expedit obuiare huic malo, hortamur & commonemus, vt illicò remedium adhibeant, vt ipsorum seruæ benè viuant, omnem peccādi occasionem eis penitùs auferendo; præsenti prouisione eosdem præmonentes, quòd cum omni rigore contra ipsos procedemus tanquam extra fautores & participes illius delicti. Nostrisq; Vicarijs & Parochis præcipimus, vt eorum vnusquisque in loco suæ curæ hoc nostrum synodale capitulū populo palàm legant, vt eius ignorantia à nemine prætendi possit: Hortamurq; Prædicatores & Confessarios, vt huiusmodi seruarum Dominos admoneant.

Cap. XX.

Nemo Clericorum habeat Nigros vel Nigras ad lucrandum.

QVoniam intelleximus, quòd tùm in hac Ciuitate, tùm extra illam in hoc nostro Archiepiscopatu aliqui Clerici habeant Nigros & Nigras ad lucrandum pecunias, rem non tantùm Sacerdotibus, sed etiam laicis prohibitam, vt quæ occasionem præbeat, quòd eiusmodi Nigri vel Nigræ, cum pecuniam quam Dominis contribuere coguntur, non possint honestè & licitè acquirere, eam cum offensione Dei & illicitis inhonestisq; modis quærant. Nos huic malo prouidere volentes statuimus & præcipimus omnibus Sacerdotibus huius Ciuitatis, ac totius nostri Archiepiscopatus, cuiuscunq; status vel conditionis existant, cæterisq; Clericis sacri ordinis, quòd posthàc eorum nemo habeat Nigrū, vel Nigram ad eiusmodi lucrum, sub pœna perdendi, quidquid eiusmodi Negrita sic lucrabitur, ac insuper quinquaginta pesos pro quolibet Nigro vel Nigra, quem ad id genus lucrum duxerit, applicanda iuxta constitutionem octuagesimam primam primi Concilij prouincialis.

Cap. XXI.

Sæculares tempore diuini officij non ingrediantur Chorum.

PRæcipimus pariter, vt, dum officia diuina celebrantur, nemo laicorum intret Chorum, sed in hoc obseruetur constitutio decima Concilij Prouincialis, sub pœnis in eadem contentis.

Synod. 2. Turon. cap. 1. n. 4. Bracaren. 1. c. 1. n. 13. Conc. Rom. sub Ioan. XII. in fine.

Cap. XXII.

Clerici in Choro non sedeant in sedilibus Prebendariorum.

ORdinamus et pręcipimus, quòd nullus Clericus vel Religiosus sedeat in choro in sellis Præbendariorum, nisi tales sint, quibus ratio suadeat exhiberi debere aliquam reuerentiam.

Vide Regulam consuetam c. 2. supra pag. 144.

Cap. XXIII.
Synodalium personarum libertas.

VOlentes tollere occasiones per quas quis ad Synodum venire prætermittat, statuimus, & præcipimus, quòd nemo illorum, qui ad Synodum accesserint, seu clerici siue laici sint, possit coram nobis, vel nostro Prouisore, pro ciuili debito, vel delicto conueniri, donec ad suam domum redierit; nisi eiusmodi delictum in ipsa Synodo cōmiserit, vel nisi sufficiens informatio, seu verosimilis præsumptio fugæ de illo habeatur pro grauitate delicti.

Cap. XXIV.
Sacramenta Eucharistiæ & Extremæ Vnctionis Indis administrentur.

Concil. Prou. an. 1583. act. 2. cap. 21. & c. 28. supra.

ORdinamus & præcipimus, vt Indis, iuxta constitutiones octuagesimam octauam, & octuagesimam nonam postremi Concilij prouincialis capacibus, in posterum administretur Sacramentum Eucharistiæ, prout in eisdem constitutionibus iussum & prouisum est, obseruata per omnia dispositione earundem constitutionum, & habita nostra licentia, vt in ijsdem continetur.

Eisdem pariter dabitur Sacramentum Extremæ vnctionis, prout in constitutione septuagesima quinta eiusdem Concilij prouincialis prouisum est, quas dictas constitutiones Parochi penès se habeant.

Cap. XXV.
Nominantur examinatores pro Beneficijs & Doctrinis vacantibus.

IVxta Decretū sacri Concilij Tridentini, quo iubetur, vt in Synodis diœcesanis nominentur sex examinatores pro Ecclesijs vacantibus; vt id executioni mandemus, designamus in hac Synodo huiusmodi sex examinatores. Sess. 24. cap. 18. de reform.

Cap. XXVI.
De Iudicibus Apostolicis.

ITem secundum idem Concilium Tridentinum, pro diffinitione caussarum Apostolicarum, quæ in his partibus committentur, in hac Synodo designamus quatuor personas, ex iuris dispositione qualificatas. Sess. 25. cap. 10. de reform.

Cap. XXVII.
De Testibus synodalibus.

RAtio propter quam Sancti Patres iustè & sanctè constituerunt, vt singulis annis fierent Synodi, fuit, vt in eis tractetur de corrigendis, emendandis, & in meliores reformandis malis moribus, & vt in illis tractetur, & agatur, quod animarum bono regimini, & rebus ad Episcopatum spectantibus expediat. Et vt quæ in eiusmodi Synodis ordinarentur & fierent, efficaciùs ad effectum perducerentur, prouiderūt, vt in singulis Episcopatibus nominentur & instituantur testes Synodales boni & idonei, qui per totum Archiepiscopatum magna diligentia inquirant, quisq; in districtu sibi assignando, qualiter obseruentur & adim- Concil. Prouin. anni 1583. act. 4. cap. 21.

adimpleantur constitutiones synodales, Et nos vt institutionem tam sanctam exequamur, designamus in hac Synodo eiusmodi personas, quales in cæteris, quas Deo dante celebrabimus, intendimus designare, vt per nostrum Archiepiscopatũ inquirant, vt prædictum est; quod sine scriba, Notario, & strepitu iudiciali, & simpliciter, ac de plano perficient; quia non habent iurisdictionem aliter faciendi, nec eam ipsis concedimus: Et quod sic secretò perquisierint, notando testes qui rem nouerint, vel denunciauerint, tam circa defectus & culpas Vicariorum, & Clericorum, quam etiam laicorum, sine testium iuramento, sed per viam informationis, id ad Synodum deferent, & nobis secretò tradent, Vt nos eo viso prouideamus remedium meliori modo quo Domino seruiatur: & quidquid in huiusmodi visitatione expenderint, Nos iubebimus illis ad quos de iure vel consuetudine spectabit, vt id ipsis rependant. Qui tamen, tum in hac Synodo, tum in alijs quas celebrabimus debent præstare iuramentum, secundùm dispositionem Iuris.

Cap. XXVIII.

De applicatione generali pœnarum.

ORdinamus & volumus, quòd pœnæ in his capitulis & constitutionibus synodalibus non applicatæ distribuantur, & applicentur secundùm quod, & eo modo, quo disponit constitutio octuagesima prima primi Concilij prouincialis supradicti.

Cap. XXIX.

De declaratione & authoritate Constitutionum.

VOlumus item & est nostra voluntas, quòd si dubietas aliqua contigerit circa sensum alicuius ex præmissis constitutionibus, eius declaratio nobis reseruata sit.

Hortamur, proinde, requirimus, & iubemus omnibus & quibuslibet personis Ecclesiasticis & secularibus existentibus & habitantibus in hac Ciuitate, & in alijs Ciuitatibus, oppidis, & locis huius nostri Archiepiscopatus, vel qui pro tempore deinceps extiterint, & habitauerint, quòd ab hac die hodierna publicationis harum cõstitutionum Synodalium, in posterum ea habeant, teneant, obseruent, compleant, & exequantur tanquam constitutiones synodales huius nostri Archiepiscopatus, in omnibus, & per omnia, & secundum formam, quæ in ipsis continetur, nec earum tenorem & formam excedant vllo modo, sub pœnis in ijsdem cõtentis, & alijs arbitrio nostro reseruatis. Et monemus omnes qui contumaces extiterint, vel vllo modo illis contrarij fuerint, vel contrauenerint, quod contra ipsos ad earundem executionem cũ omni rigore procedemus. Et præcipimus, quòd eædem constitutiones publicè legantur, & publicentur in hac nostra sancta Ecclesia huius Ciuitatis coràm dictis congregatis & reliquis fidelibus Christianis, qui dictam Ecclesiam ad officia diuina accesserint, & vt habeant vim & vigorem constitutionum synodalium; quia Nos ea illis tribuimus, quantum ad earum validitatem de iure requiritur.

Absolutæ sunt istæ Constitutiones synodales ad gloriam & honorem Dei Domini nostri, die decima Martij anni millesimi quingentesimi octuagesimi secundi.

T. Archiepiscopus Regum.

Istæ Constitutiones publicatæ sunt in hac sancta Ecclesia maiori Ciuitatis Regum, præsentibus Illustrissimo Archiepiscopo, & Præbendarijs, & aliquibus Prælatis Religionũ, & alio multo populo, die decima octaua mensis Martij 1582.

Ego Ioan. Rodriquez de Victoria Clericus Presbyter Secretarius dictæ Synodi fidem facio, quod præsens fuerim toti dictæ Synodo & Constitutionibus in ea consentis, earumque publicationi vt dictum est. Et pro veritate meum nomen subscripsi, testibus, qui fuerunt eidem publicationi præsentes, Doctore Muñez Archidiacono Cuscano, & Canonico Alphonso Martin, & Doctore Ioan. de Roca Parocho huius S. Ecclesiæ, eas publicauit Baccalaureus Christophorus Sanchez de Renado Parochus dictæ Ecclesiæ.

Ioan. Rodriguez de Victoria Secret.

Notæ in Synodum Diœcesanum I.

CAp. 10. [a] *Clericis Confessarijs vt habeant casus in Bulla Cœna &c.* Hoc præceptũ quoad casus Bullæ Cœnæ Domini, in ipsa Bulla positum est, vt *Presbyteri sæculares, & quorumuis Ordinum regulares ad audiendas peccatorum Confessiones, quauis authoritate deputati transumptum præsentium literarum*(idest ipsius Bullæ) *penès se habeant, easq; diligenter legere & percipere studeant*. Ergo Confessarij Archiepiscopalis Diœcesis Limanæ duplici ligamine, tum, scilicet, generalis præcepti Pontificis, tum peculiaris huius decreti suæ Diœcesanæ Synodi obstricti sunt singuli huius Bullæ exemplar penès se habere. Neque excusari possunt per hoc, quòd, vt in eorum Priuilegijs supra post Catechismum insertis habetur, per Pauli III. Indultum possint absoluere ab omnibus casibus, etiam Summo Pontifici reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis; tum quia Pontifex in Bulla non distinguit inter habentes & non habẽtes tale priuilegium, sed omnes indifferenter obligat ad habendũ, legendum, & percipiendum Bullam: tum quia Bulla quæ singulis annis publicatur, posterior est illo priuilegio, & expresè eam obligare vult Pontifex, non obstantibus, priuilegijs, Indulgentijs, Indultis &c. tùm quia non obstante Priuilegio Synodus Diœcesana ipsos obligat: tum denique quia priuilegium absoluẽdi à casibus Bullæ, cœteris etiam paribus, non liberat à lege præcipiente vt habeant ipsam Bullam: Non enim ideò iubentur habere Bullam, vt possint absoluere, sed partim vt sciant se non posse, & partim, vt qui possunt, etiam discant quibus requisitis absoluere possint, ac discernant lepram à lepra & grauiori morbo remedium efficaciùs adhibere, salutarem iniungendo pœnitentiam, ipsosq; pœnitentes grauiter hortando & commonendo, vt à tàm grauibus peccatis, ac à tam grauis censuræ reti se cautiùs contineant, iuxta aliam notam nostram ad cap. 17. act. 2. Concil. 1. Prouinc. Toribiani, in quo conceditur omnibus Parochis & Confessarijs Indorum, vt eos absol-

absoluere possint ab omnibus Casibus Episcopis reseruatis. Et tamen non obstante hoc ipso Indulto Cõcilij prouincialis, tenentur ex hoc loco Synodi diœcesanæ habere penes se casus Episcopo reseruatos.

Vt ergo nos illos saltem ad vtrumque præceptum seruandum inuenimus, quibus huius libri copia fuerit, ipsam Bullam Cœnæ Domini eodem tenore quo per Sanctissimum D. N. Clementem X. promulgata est, & Romæ ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ anno proximo præcedenti 1671. prodijt, ad calcem harum Synodorum integram dabimus. Casus autem, seu peccata, censuras, pœnas, declarationes, &c. quas in his ipsis seu Prouincialibus seu Diœcesanis Synodis Antistibus reseruatas aduertemus, vno loco in Indice dabimus verbo *Casus reseruati*, & aliqui collecti in vnum caput habentur infra Synodo Diœcesana vltima cap. 15.

Cap. 12. * *Repræsentationes, choreas, vel ludos*. Inter Neophitos Indos cùm fidei puritati cùm pudicitiæ morum conseruandæ Decretum hoc necessariũ fuit, non minus quam initio Christianæ Religionis, quãdo Patres spectacula vniuersim fugere suadebant. Et quod ad fidem pertinet, vniuersam spectaculorum paraturam ex Idololatria constare, affirmat Tertullian. de spect. cap. 4. & seqq. & Cyprianus cap. 3. & 4. etiã idololatriam ludorum omnium matrẽ esse euidenter demonstrat. nam & religionis nomine à Gentilibus instituta sunt, & diebus festis ac in Tẽplis Deorum reputabantur, & certi singulorum tituli certis Dijs & Idolis honorandis consecrata fuisse testantur, vt & reliqua omnia adiuncta, quæ Tertull. eruditè & eloquenter, vt solet, prosequitur. Diaboli ergo pompæ erant, quibus Christiani in Baptismo renunciarũt, & ceremoniæ cultus Idolorum. Sed quoniam aliqui Christiani decipi possent, putantes esse ludos recreationis tantùm causa institutos, & ideò scripsit Tertull. illum libr. de Spectaculis ad cautelam Christianorum, vt se abstinerent: Ne, vt ipse loquitur, aut ignorando aut dissimulando quis peccet. Habebant similiter Indi Gentiles choreas, cantilenas, clamores, compotationes, aliaque spectacula in Idolorum suorum cultum exhiberi solita, quibus ne vel Hispani tanquam recreationis ludis ignorando deciperentur, vel Indorum superstitiones dissimulãdo peccent, vel ipsi Indi Neophiti antiquis suis superstitionibus sub pallio ludorũ assuescerent: Nam, vt Cyprianus ait, ita Diabolus artifex quia idololatriam per se nudam sciebat horreri, spectaculis miscuit vt per voluptatem posset amari, per hoc superiùs Decretum Synodi à sacris locis arcentur. Et Synodo 3. inferius cap. 45. prohibentur Indi alere animalcula, vulgò *Cuyes*, & cap. 48. interdicitur potus, vulgò, *Azua* ex *Sora* vel *Tuca*, quia nimirum his pro gentilicijs ritubus ad cultum Idolorum, & solemnes ebrietates vti solebant, & cap. 51. prohibentur eis in festo Corporis Christi, vel eius octaua, aut alio quouis tempore ceremoniæ, cantica, clamores, vel instrumenta rituum suæ gentilitatis seu ludi, quam *Taques* vocant. Et alia similia cap. 74. 75. 76. & 77. 78. eiusdem Synodi 3. & Synod. 6. cap. 9. vt Idololatriæ fibræ his putationibus euellerẽtur, & nulla ampliùs eius restarent vestigia, quibus excitaretur memoria, multò minus affectus pristinæ superstitionis.

Nunc ad alteram partem, cùm corrumpant bonos mores colloquia praua, si sola lectio comœdiarum & Bucolicorum Virgilij adeò reprehensibilis est, vt Hieronymus eã in Sacerdote *voluptatis crimen* appellet. dist. 37. cap. Sacerdores. quanto magis actio viua, quæ cordis intima penetrat, & animi affectus, omnesq; corporis humores cõmouet. Nam vt Clem. Alexandrin. lib. 3. Pedagog. cap. 11. scribit; *Dum lasciuiunt oculi, calescunt appetitiones, & oculi proximos impudentiùs respicere assuefacti, quòd concessum ocium habeant, intendunt cupiditates. Quod turpe factum non ostenditur in theatris? quod autẽ verbum impudens non proferunt, qui risum mouent scurræ & histriones?* Alexandrino præiuit Tertullianus cap. 17. *Impudicitiam omnem amoliri iubemur. Hoc igitur modo à theatro separamur, quod est priuatum*

natum Consistorium impudicitiæ, vbi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. Ita summa gratia eius de spurcitia plurimum concinnata est. Cyprianus mira breuitate copiosus, Tertullianiq; opus tribus chartæ paginis complexus, retenta sententia suum sensum sic exprimit: *Sed vt ad Scena iam sales inuerecundos transitum faciã; pudet referre quæ dicuntur, pudet etiam accusare quæ fiunt: Agentium strophas, Adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, scurriles iocos, parasitos sordidos.* & post plura. *Quid inter hæc Christianus fidelis facit? Discit facere dum consuescit videre.* Seueriùs legem promulgat Clemens Alexandrin. loco priùs indicato: *Probibeantur ergo spectacula & acromata, quæ nequitia, verbisq; obscænis, & vanis temerè profusis plena sunt.* Nec mirum si Christiani Patres ea fugere monent, cùm id in Ethnicis laudet Ethnicus. Valer. Max. lib. 2 cap. 1. de Masiliensibus loquens: *Eadem Ciuitas*, inquit, *seueritatis custos acerrima est, nullum aditum in scena mimis dando, quorum argumenta maiori ex parte stuprorum continent; ne talia spectandi consuetudo etiam imitandi licentiam sumat.* Finem imponet Cyprianus vt omnia comprehendam. *Cur loquelas Comicas inutiles curas? quid illas magnas tragicæ vocis insanias? quid neruos cum clamore missos? Hæc etiamsi non essent simulacris dicata, obeunda tamen spectacula non essent Christianis fidelibus; quoniã etsi non haberent crimen, habent in se & maximam, ac parùm congruentem fidelibus vanitatem.* & pòst. *Fugienda sunt ista Christianis fidelibus, vt tam frequenter diximus, tam vana, tam perniciosa, tam sacrilega spectacula.*

Propter hæc Toribius noster. priscis illis Patribus, vel morũ castimonia, vel religionis ardore, vel gregis cura non impar, mala ista Dæmonis inuenta resecare studẽs, examinari priusquam exhiberentur voluit, ne sacrilegij quicquã vel impudicitiæ haberent. Sunt etiam hodie Christiani, qui nouo Sathanæ artis additamẽto, quòd turpia nudè præsentata horreri sciant, velatis conceptibus verborũ vtantur, qui quo subtiliores sint, eo perniciosiùs penetrant mẽtes, & vehementiùs delectãt, & appetitiones fortiùs mouent; à quibus tanquam à venenatis sagittis cauendum est. Voluit etiam furtiua hæc sacrilegia à sacris locis amoliri, secundum exemplar sac. Concil. Lateranensis in quo Innoc. III. Pontifex sic decreuit. *Interdum ludi fiunt in Ecclesijs theatrales, & non solum ad ludibriorum spectacula introducuntur in eis monstra laruarum, verum etiã in aliquibus festiuitatibus Diaconi, Presbyteris & Subdiaconi insaniæ suæ ludibria exercere præsumunt.* & infra. *Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs, ne per huiusmodi turpitudinem Ecclesia inquinetur honestas, prælibatam ludibriorũ consuetudinem, vel potiùs corruptelam curetis à vestris Ecclesijs extirpari:* 3. de vit. & honest. Clericorum. cap. cum decorẽ. Vnde iterum Toribius Synodo 3. c. 51. *Quod si ijdem Indi saltationes aliquas, vel Cantica in festis instituere voluerint, eas prius examinent Parochi*, vt nimirum, quod Cyprianus cauit; *Nabla, æra, Tibiæ, & Cithara, Deum canerent non Idolum.* Nec sub specie honestæ festiuitatis prouocetur turpitudo libidinis.

Laudandum sanè & omni modo promouendum quorundam religiosorum recens inuentum exhibendi in Scena Diuinæ potentiæ, misericordiæ, iustitiæque opera mirabilia, peccatorum pessimas mortes, Martyrum de Tirannis triumphos, Virginum pro pudicitia victorias, & in Sanctis Cõfessoribus pulcherrima virtutum omnium exempla, quæ castas Christianorum mentes suauiter sanctèq; erudiunt, & aures, oculosq; vehementer oblectant, atque ad imitandum fortiter cõcient. Et vt Cyprianus concludit: *In his tamen maius videbit spectaculum, diabolum illum, qui detriumphauerat mundum, sub pedibus Christi iacentem. Quam hoc decorum spectaculum? quam iucundum? quam necessarium? intueri semper spem suam, & oculos aperire ad salutem suam. Hoc est spectaculum quod videtur etiam luminibus amissis. Quod theatrum humanis manibus extructum istis operibus poterit comparari?* Vide gloss. in cap. Cum decorem de vit. & honest. Cler. Arcendæ autem sunt & penitùs exterminandæ, Histrionum turpiloquia, & lasciuæ gesticulationes, Circulatorum præstigia, & fal-

& fallaces Mimorum nugæ: nec noctibus præsertim vllatenus permittenda; nam cum sint filiæ tenebrarum, in illis faciliùs delectant, perniciosiùs attrahuntur, & attractæ perpetrantur audaciùs. Hos etiam non pudet Clericos & Monachos ad contemptum Ecclesiæ in Scenicis & mimicis ludis agere: Quod noster Toribius in Concil. 1. Prouinc. Act. 3. cap. 20. prohibuit de quo plura in gloss. ad cap. cum decorem de vit. & honest. Cleric. vt in Synodo Diœcesana 3. cap. 57. quod diebus festiuis non fiant torneamenta, nec illis spectandis Clerici vllo tempore intersint.

Cap. 14. *Nullum laicum cuiuscunq; qualitatis*. Hic etiã comprehendit pueros, quos in titulo capitis expressit, de quorum petulantia S. Carolus acerbè queritur Concil. V. Mediolanensi par. 13. tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent. His temporibus*, inquiens, *tanta puerorum licentia est, atque adeò effrenata, vt, cum peccandi materiam afferat, tum disciplinæ Christianæ detrimenta importet non leuia. Hinc in scholis nimia petulantia, in Ecclesijs irreuerentia, turbulenta foris concitatio, atque in omni loco sese offerens impudentia, & penè proiecta audacia*. Et in Concil. IV. tit. de Sacristia: *In Sacristia ipsa silentium seruetur accuratè, neq; in eam pateat aditus laicis, nisi necessariò*. Et Concil. 1. Mediolanensi par. 2. de offic. Sacristani. *Eiusdem officium erit, operam dare, vt in Sacristia sermones de inanibus, profanisq; rebus, multoq; magis iurgia, rixæ, & turbæ omnes arceantur, laicos ibidem versari ne patiatur*. Et ipse Toribius tum hic, tum in Regula consueta ipsis Clericis, seu Sacerdotibus silentium in Sacristia sæpius inculcat. Quòd si ipsi Sacerdotes in Sacristia silentium seruare teneantur, si pronectis & grauioribus laicis omnis in eam aditus nõ necessarius intercludi debeat, ne sacra profanis misceantur; ideò enim Sacristia, seu latiniùs Sacrarium dicitur, quia nihil non sacrum in ea, vel esse, vel tractari debet, meritò etiam cautiorum sæcularium confusæ inambulationes, & otiosæ stationes & sessiones, multò magis mundanæ confabulationes, & bellicorum noualium rumores exulare debent, vbi Sacerdotes animũ suum plusquam vllo loco, vel vllo tempore silenter in Deũ colligere debent, vt tremendo Sacrificio dignè dispositi sint: quanto magis pueri inde arcendi sunt, qui vbique inquieti & libros, & sacras vestes inuertunt: Vbique Garruli non nisi nugas tractant, clamant, rident, rixantur cum socijs, insultant clericis, orantes turbant; & dum Sacerdotes ijs delectantur, nimia familiaritas parit contemptum, & sibi licere putant quod Clericis licere vident, audaciores quotidiè fiunt, nec plus reuerentiæ sacro loco quam profano foro seruant, nec sacris personis quam domesticis famulis. Quidquid ibi vident leuitatis, quidquid audiunt ridiculi, totum domi referunt, & parentes ac familia ex puerorũ simplici relatione clerum reuerẽtur minùs, & indiès magis contemnunt. Quæ quanta peccata sint, vtinam considerent, qui causam & occasionẽ illis præbent. Sed & alia multa sequũtur incommoda, quæ experientia quotidiè docet.

SY-

SYNODVS II. DIOECESANA.

Celebrata in Ciuitate Regum, die viij. Februarij, anno MDLXXXIV.

NOS D. Toribius Alphonsus Mogrouejus, Dei, & sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ gratia Archiepiscopus huius Ciuitatis Regum, Regiæ Maiestatis Consiliarius &c. Volentes satisfacere obligationi, quam nobis imposuit sacrum Conciliũ Tridentinum, celebrandi singulis annis Synodum diœcesanam, conuocauimus admodum RR. nobis dilectos Decanum & Capitulum huius nostræ Ecclesiæ, & Vicarios, & Parochos huius nostri Archiepiscopatus, ad quos de iure vocari pertinet: cuius Synodi Indictio fuit ad diē S. Andreæ anni proximè præteriti 1583. in qua ordinauimus cõstitutiones sequentes, quas volumus & præcipimus obseruari, & effectu compleri, sub pœnis in eisdem contentis, & alijs nostro arbitrio imponendis.

Sess. 24. c. 2. de reform. Matr.

Cap. I.

Quomodo & quando faciendæ sint matriculæ confessionum.

OMnibus Parochis totius huius nostri Archiepiscopatus præcipimus, quòd singulis annis cõficiant matriculas omnium personarum suæ Parochiæ, quæ per ætatem idoneæ fuerint ad sacramentalē confessionem, neminem omittendo. Quām matriculam facere incipient à Septuagesima, & absoluent ante Dominicam primam Quadragesimæ. Et ex illa die incipient monere populum, vt iuxta ipsorum debitum accedant ad confessionem, & monere patresfamilias, vt ab omnibus suis domesticis exigant schedas confessionum: Qui patresfamilias teneantur per octo dies à Dominica *Quasimodo* eiusmodi schedas exhibere eisdem Parochis, non exspectato, quòd Parochi eas petant: Et Confessarij pœnitentibus dabunt huiusmodi schedas testimoniales exceptarum confessionum, vt eas ad Parochum deferant. Et ipsi Parochi in margine matriculæ scribent vnũ c. ad nomina eorum qui confessi sunt, & duo c.c. ad eorum qui confessi sunt, & communicarunt. Dicti quoque Parochi intra quindecim dies post Dominicam *Quasimodo* mittēt ad Nos vel nostros Vicarios prædictas matriculas proprijs ipsorũ nominibus subscriptas, cum certa & vera relatione personarum, quas apparebit non fuisse confessas & communicatas Dominica *Quasimodo*, iuxta præceptum Ecclesiæ, vt prouideamus quod expedierit. Et totum hoc, vt rem tanti momenti, dictis nostris Parochis præcipimus vt magna diligentia & cura perficiant, sub pœna quinquaginta pesorum, quos vulgò *insayados* vocant, & alijs nobis arbi-

Concil. Tolet. an. 1339. 5. cum nonnulli.

cap. Omnis vtriusque sexus, de pœn. & remiss.

arbitrariis, ad nostram dispositionẽ applicandis, quas incurrent omittendo quodcunque præmissorum. Dictos Patresfamilias monemus, quod si non collegerint schedulas, easq; tradiderint Parochis, prout illis præceptum est, contra ipsos cum omni rigore procedetur: ipsorumq; conscientias oneramus, vt curent quòd suarum familiarũ singuli prodicta Dominica *Quasimodo* sua peccata confiteantur, iuxta præceptum Ecclesiæ, cum tanta obligatione teneantur familiarum suarum curam agere: Ipsis quoque Parochis præcipimus, vt intra dictos quindecim dies cum magna diligentia recuperent schedulas confessionum, in quã rem omnem curam & solertiam necessariam impendent, etiam discurrendo per domos illorum qui confiteri debent.

Indorum autem Parochis, & qui Doctrinarum curam gesserint, ordinamus & præcipimus, vt magna diligentia inuigilent, quòd omnes Indi ipsorum curæ pastoralis, qui per ætatem confiteri debent, confiteantur intra Quadragesimam; quòd si casu omnes tùm confiteri non possint, vel propter populi multitudinem & paucitatem Sacerdotum, vel talium qui ipsorum linguam non calleant, non propter aliam causam (quam non admittant) in tali casu obseruetur consuetudo in hoc Archiepiscopatu hactenùs vsitata, vt cõfiteri possint à Dominica Septuagesimæ vsque ad octauam Corporis Christi inclusiuè: & quod Indi qui communicare debent, communicent intra tempus reliquis fidelibus Christianis ad communionem assignatũ, hoc est, à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam *Quasimodo*. Et quoad matriculas, volentibus dictis Indis confiteri intra Quadragesimã, obseruabitur forma superiùs præscripta, sub pœnis ibidem contentis: & cum oportebit ipsos confiteri à Septuagesima vsque ad octauam Corporis Christi, incipient Parochi facere matriculam vno die post festũ Regum, & eam absoluent ante Dominicam Septuagesimæ, & ab ipsa Septuagesima monebunt eos, vt cõfiteantur: & confessionum termino transacto describent matriculas, & suis nominibus subscribent, cum certa & vera relatione eorum qui confiteri & cõmunicare ommiserint, ad hoc, vt ea per Nos, vel nostros Vicarios, aut visitatores visa, prouideatur, quod expediet. Et omnia præmissa circa matriculas facient, & opere complebunt sub pœnis supra expressis.

Cap. II.

De Missis quas Parochi & Beneficiati pro populo celebrare tenentur.

Præcipimus item Beneficiatis & Parochis, vt singulis diebus Dominicis, & festiuè seruandis celebrent Missas pro populo, [a] *non accipiendo vllam pitantiam* pro ipsis. Et Indorum Parochi celebrabunt Missas pro populo Dominicis, & diebus festiuis per Indos obseruandis, iuxta statutum vltimi Concilij prouincialis anno 1583. celebrati: & in Ecclesijs Indorum vel Hispanorum, in quibus consuetudo fert, vt pluribus diebus celebrentur. Omnesq; dictos Parochos & Beneficiatos hortamur, eisq; iniungimus, vt in omnibus omnino Missis, quas celebrauerint, ha-

Concil. Mediol. II. tit. 2. decr. 4. Concil. Mediol. IV. tit. Quæ ad Missæ sacrific. pertinent.

Act. 4. cap. 9.

beant specialem memoriã propriorum suorum Parochianorum,& eos Deo commendare curent.

Cap. III.

Notarij in fine cuiuslibet actus adnotent iura quæ perceperint, & in summa ad finem processus.

Concil. prouin. an. 1583. act. 4. cap. 15. &c. Edict gener. I. tit. 4 § Et præcipimus, & in fine Edicti.

QVia multum interest, vt clara sint iura quæ Notarij percepernt, & ne excedant stipendia taxata; præcipimus, vt ijdem Notarij in fine cuiuslibet actus eiusmodi iura particulatim adnotent, & omnia summatim ad finem processus, sub incursu pœnarum, quas sacrũ Concilium prouinciale in hac Ciuitate anno proximè præterito 1583. celebratum imponit Notarijs, qui in processibus & instrumẽtis quæ confecerint, non adnotant iura quæ inde percipiunt, & sub alijs pœnis ad nostrum arbitrium.

Cap. IV.

Quòd pulsetur campana ad meridiem.

Vide Notas.

PRæcipimus omnibus Sacristanis tàm sanctæ Ecclesiæ Cathedralis huius Ciuitatis, quàm aliorum locorum huius Archiepiscopatus, quòd hora duodecima meridiana pulsent campanas,[a] *vt omnes orare possint.*

Cap. V.

Vt habeatur tabula festorum quæ obseruari debent.

ORdinamus itẽ & præcipimus, vt in omnibus Ecclesijs huius Archiepiscopatus habeatur tabula festorum, in qua designentur omnia festa, quæ sacrum Concilium prouinciale proximè præteriti an. 1583. obseruari præcipit tã per Hispanos, quam per Indos, & festa quæ ex cõsuetudine in singulis Ecclesijs,& populis obseruantur, & festa quæ hæc ipsa Synodus Diœcesana in hac Ciuitate seruari iubet. Declaramus insuper quod festa quæ sacrum Concilium prouinciale seruari præcipit, per omnia loca tam in oppidis quã in agris obseruari debeant: & in festis consuetudinalibus obseruetur ipsa consuetudo quæ erat & est circa ipsorum obseruantiam. Dictã autem tabulam Parochi in suis Ecclesijs appendant intra quindecim dies, postquam ista constitutio ad ipsorum notitiam peruenerit, monentes eosdem quòd si in eius executione negligentes fuerint, cum omni rigore castigabuntur.

Act. 4. cap. 9.

Cap. 8. infra.

Cap. VI.

Nominantur Examinatores promouendorum ad Beneficia & Doctrinas.

SAcri Concilij Tridentini iussis parentes,quibus præcipit, quòd in Synodis Diœcesanis nominentur Examinatores pro Beneficijs. Nos pro Doctrinis & Beneficijs nominauimus Examinatores, qui debent præstare iuramentum secundum idẽ Concilium Tridentinum.

Trid. sess. 14. c. 18. de reform.

Cap. VII.

Nominantur Testes synodales.

IVxta Decretum Concilij prouincialis proximè præteriti nominamus testes synodales, qui diligenter inquirant res necessarias & vtiles

Act. 4. cap. 15.

les

les ad corrigendum, emendandum, & reformandum; absq; iurisdictione vel strepitu iudiciali, sed designãdo, & simpliciter memorando testes rei conscios, sine Notario vel accepto iuramento. Debent autem specialiter inquirere, & scire, quomodo obseruetur sacrum Concilium Tridentinum, & Concilia prouincialia, & reliquæ constitutiones huius Archiepiscopatus: & debent iuxta iuris dispositionem præstare iuramentum officio suo benè & fideliter fungendi, postposito quocunque humano affectu. Et quod sic didicerint deferẽt ad Nos, & primam Synodum quam celebrabimus, vel ad Concilium prouinciale proximè futurum.

Cap. VIII.

De festis in hac Ciuitate seruandis.

IVstis rationibus, & multis considerationibus moti præcipimus, vt obseruentur festa sequentia SS. Sebastiani, Marcelli, Bernardi & Blasij in hac Ciuitate: & in agro Conuersio Sancti Pauli.

Cap. IX.

Omnes habeant istius Synodi exemplar.

ORdinamus pariter & præcipimus omnibus Parochis, Vicarijs, & Beneficiatis totius nostri Archiepiscopatus, vt istam Synodum penes se authenticatam habeant, vt eam videant, obseruent, & opere compleant, prout in ipsa continetur; eosdem commonentes, quòd, si illam transumere neglexerint, contra eos cum omni rigore procedetur. Vel ad minus eorum quisq; habeat eam eius partem, quæ ad ipsum pertinet.

Cap. X.

Parochi Nos moneant de illis, qui versantur in peccatis publicis.

STatuimus, quòd Parochi gerant peculiarem curã monendi Nos, vel nostros Vicarios de publicis concubinarijs, & alijs, qui versantur in peccatis publicis, ac de illis qui sponsalibus tantùm initiati ducunt vitam maritalem, non accepta nuptiali benedictione; vt cognita causa disponatur quod expedierit.

Cap. XI.

De publicatione quorundam capitum Concilij Tridentini.

QVoniam sacrum Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de refor. & sess. 6. cap. 1. & 2. in quibus agitur de residentia Prælatorum & Parochorum, præcipit vt illa publicentur, vt & Concilia prouincialia & Episcopalia, eisdem parentes præcipimus vt in præsenti Synodo dicta capita publicentur. Actum in Ciuitate Regum octaua die mensis Februarij anno 1584.

T. Archiepiscopus Regum.

De Mandato S. Illustrissimæ Dominationis.

Baccalaureus Gonzaluus de Trejo de la Cerda Secretarius.

IN maiori templo huius Ciuitatis Regum, sub offertorio Missæ maioris, die Dominica, nona mensis Februarij anni 1584. *ex pulpito ad populum legi & publicaui supradictas constitutiones sanctæ Synodi Diœcesanæ, de mandato Illustrissimi Domini D. Toribij Alphons. Mogrouejo huius sanctæ Ecclesiæ Archiepiscopi. Et statim immediatè legi duo Decreta sac. Conc. Trident. vnũ quod agit de residentia Episcoporum, & alterum de residentia Parochorum, in præsentia Suæ Illustrissimæ Dominationis, & testium præsentium Licentiati D. Bartholomæi Martinez, Archidiaconi, & D. Petri Villaruerche, Scholastici huius sanctæ Ecclesiæ, & Licentiati Ramirez de Carthagena, Auditoris Audientiæ Regiæ, & multorum aliorum: Et in fidem subscripsi, vt de eo constet, Actum in hac Ciuitate Regum die decima octaua Martij, anni* 1584.

Baccalaureus Gonsaluus de Trejo de la Cerda
Secretarius.

Notæ in II. Synodum Diœcesanam.

CAp. 2. a *Non accipiendo vllam pitantiam*. Antiquam hanc esse obligationem in aliquibus Ecclesijs, indicat Scotus, Quodlib. 20. n. 16. his verbis: *Tertia applicatio, scilicet media, aliquando, vt determinata est ex institutione siue ordinatione Ecclesiæ, quæ in diuersis Parochijs instituit diuersos Sacerdotes parochiales, qui tenentur officiare Ecclesias, & celebrare specialiter pro suis parochianis. Consimiliter in diuersis Collegijs partialibus sunt diuersi Sacerdotes instituti ad offerendum Sacrificium altaris, & specialiùs semper pro illis, qui sunt in tali Collegio. Nec tantùm requiruntur Rectores in Ecclesia ad correctionem faciendam, sed ad reconciliationem peccatorum per orationem Ecclesiæ & hostiam salubrem*. & n. 17. clarè asserit, ac docet, illos, quorum orationes & oblationes sunt sic determinatæ cæteris personis ratione prouisionis & sustentationis, id est, fundationis & dotationis Ecclesiæ vel Monasterij, teneri ex iustitia non offerre ad libitum pro alijs, ea specialitate, quæ prioribus obligantur: *quia*, inquit, *facerent iniustitiam subtrahendo debitum illis, quibus iam sunt obligati*. Cum igitur in Peruuia Parochi & Beneficiarij, viuant ex decimis & primitijs parochianorũ, per hoc Decretum iustè monentur suæ obligationis, vt Missas Dominicalium, & Festorũ dierum teneantur applicare pro eis parochianis qui ipsos sustentant, & quòd non possint easdem Missas applicare vllis particularibus, nec pitantiam ab ipsis pro eis accipere: Nam si Missa cederet particulari, tunc parochiani priuarentur debito suo, quod iniustum est. Vel si Missa cederet parochianis, tunc particularis contra iustitiam priuaretur pitantia data pro Missa cuius fructum non percipit. Propter hæc in ordine nostro S. Francisci, præter Missas conuentuales, & speciales orationes singulorum dierum, applicantur etiam pro Benefactoribus & Fratribus defunctis cunctæ Missæ Dominicales singulorum Sacerdotum totius ordinis, vt habetur in statutis Generalibus Barchinonensibus cap. 9. de suffragijs defunctorum S. Et vltra speciales.

Cap. 4. b *Vt omnes orare possint*. Quam orationem tunc orent, hoc loco non docetur, & mihi ambiguum est: posset enim ex vsu communi intelligi, quòd ad pulsum meridianum debeat recitari ter, *Aue Maria*, cum tribus antiphonis, *Angelus Domini, &c.* versu, *Dignare me*, & oratione, *Gratiam tuam, &c.* ad lucrandas Indulgentias, de quibus paulò inferiùs. Sed superiùs in Regula consueta

ſueta videri poſſet aliam orationem indicari diuerſam ab illa tertiò repetita ſalutatione Angelica: Ibi enim cap. 1. n. 4. ordinatur vt vna ex magnis campanis ordinariè pulſetur ad præfationem Miſſæ maioris dando tres ictus, & in meridie nouẽ, & ad *Aue Maria* alios nouem; vbi videri poſſet aliam orationem meridianam deſignari diſtinctam ab *Aue Maria*. Sed ab expertis & peritis rituum Limẽſium intelligo, quòd Author Regulæ velit per pulſum meridianum intelligi ſignum ipſius Angelicæ ſalutationis, quæ meridie fit, & per *Aue Maria* illam quæ veſperi, vel etiam manè diluculo recitatur. Sanctus Carolus Borromæus Concil. 4. Mediolanen. tit. de oratione, præter illam communem ſalutationem Angelicam, diſertè conſtituit aliam orationem manè & veſperi, ad quam populus campanæ ſonitu vocatus omni die cum Sacerdote conueniat ad Eccleſiam Parochialẽ, vel aliam à Parocho vel Epiſcopo aſſignandam: nec ob vllam cauſam à tam ſalubri orationis inſtituto, & multiplicibus Apoſtolicæ Sedis priuilegijs cõmendato, vllo die populus deſiſtat. Et cùm priùs de veſpertina diſpoſuiſſet, hæc addit: *Norint porrò fideles, quòd etiã Concilio Aurelianenſi quarto olim iuſſum eſt, ſibi ſæpiùs ſingulis diebus orandum eſſe; quòd ſi aliquando frequentiùs nõ poſſunt, ſaltem non veſperi ſolùm, ſed etiam manè id à ſe præſtari oportere. Quare Epiſcopi cura ſit, illum veſpertinæ orationis quotidianæ communis vſum, manè etiam, paulò, ſcilicet ante auroram, vel ſub ortum Solis, id quod in pleriſquè huius Prouinciæ locis iam ſeruari cœptum eſt, vbiq; locorum cùm in Vrbe, tùm in Diœceſi ſua paulatim introduci, atque ea ratione inſtitui, ut vel in Eccleſia, vel ſuæ quique domi cum familia certo loco, vel in officinis, tabernisuè, vel in ipſis etiam agris, atque adeò in itinere, vel in alijs denique locis, vbicumq; vt illo Concilio cautum eſt, ea matutina horã fiat, & patresfamilias & liberi, & famuli, & artifices, opificesuè, & operæ, inſtitoresuè, & cæteri, quicumque ſunt, ſiue mares, ſiue fœminæ, huius matutinæ orationis officio, antequam artificium, negotium, remuè vllam aggrediantur, precibus, litanijs, omnique orationi, ac toto animo, menteq; vacent, ſicq; quotidianarum actionum, operum, & negotiorum initium, à Deo faciant, finemq; itidem.* Deinde quid orare ac meditari tunc debeant, & indulgentias ita facientibus à Gregor. XIII. conceſſas eſſe docet Concil. III. tit. *quæ ad matrimonium pertinent.* Verſ. *Vna omnium optima*. Meridianum verò pulſum à Calixto III. Pont. contra Turcas inſtitutum fuiſſe nonnulli ſcribunt apud Frãciſcum Magium diſquiſ. 1. Opuſculi de campana precaria veſperi, manè, & meridie in Deiparæ Virginis honorẽ pulſanda. Ego in Germania, & ſuperiori præſertim Auſtria iter aliquando agẽs audiebam in templis circumquaq; pulſari campanas per ſpatium vnius quadrantis horæ, idq; hora circiter vndecima diei, id eſt, vna hora ante meridiem: Interrogabam indigenas, quos tunc orare notabam, quid hoc ſibi vellet? & reſpondebant id ſignum orationis contra Turcas eſſe, & orantes lucrari Indulgentiam Papalem. Quod à Calixti Pont. inſtituto dimanaſſe non ambigo.

Cæterùm cùm nunc ex peritis, vti dixi, mihi conſtet in his Archiepiſcopi Limani monumentis non aliam orationem ad pulſum campanæ in Auroræ, meridie, vel crepuſculo noctis intelligi, quam ipſam tertiò repetitã ſalutationem Angelicam, cum ſuis Antiphonis, verſiculo, & oratione, ſicq; in vſu eſſe per totam Peruuiam, de ſola hac oratione mihi agendum eſſe video. Franciſcus Magius in Opuſculo iam indicato de campana precaria, huius cultus Deiparæ Virginis, & Incarnationis Verbi diuini originem, Authores, inſtitutionis motiua, orandi formulas, & conceſſas Indulgentias, aliaq; multa huc ſpectantia prolixè diſquirit. Nos ſpirituale hoc lucrum indulgentiarũ, & fructum deuotionis reſpicimus, quæque conditiones ad has indulgentias lucrãdum requirantur, de quibus in praxi non rarò dubitatum vidimus. Sed quoniam exiſtimo Magium ipſum rem ſatis diſcuſſiſſe, & quia libri eius non vbique reperiuntur, viſum eſt, vt populus Chriſtianus in tam frequenti & vſitato ritu certi aliquid ſtatutum habeat, ipſius Magij verba deſcribere.

Is ergo postquã disquisit.4. varias precandi formulas, directiones intentionis, ac meditationes in hac prece ex varijs Authoribus præmisisset, numero demum quinto sic ait.

Sed cum statutas ab Ecclesia preces haud cum laude liceat immutare; Franciscus à Cruce, in Viridariolo Mariæ Virg. Italicè reddito à Ludouico Horio è Soc. Iesu, in quadr. 4. cap. 1. Antiphonas ipsas Annuntiatæ Deiparæ, in Christi etiam passionis & Resurrectionis memoriam, præscripsit, & ait: *Consuetudo seruanda est, ter in singulos dies, scilicet manè, meridie, ac vesperi, ternas salutationes Angelicas recitandi, cùm campana pulsatur, dicendo primùm ante Aue* Maria, *ternos eos versus, Angelus Domini*: Ecce *Ancilla Domini*: *& Verbum caro factum est, in trium principalium mysteriorum honorem*: *Vesperi, Incarnationis*: *meridie, Crucifixionis*: *maneq; Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi*.

Difficultas est tamen, num Paschali tempore, Antiphonis illis cum salutatione Angelica prætermissis, Antiphona solùm, *Regina Cæli*. sit vsurpanda; quam in triclinio, dato signo, apud multos Religiosos, vt audio, aut Acolytus, aut Lector mensæ decantat; sicuti nos in 6. disquisitione dicemus; Omnesq; passim, & sæculares, & etiam viri Religiosi persoluunt, si non breuitate precationis illecti, an mysterij saltem recurrentis memoria, vt arbitror excitati. Quod quidem mihi nec probandum nec laudandum videtur: quippe ad hunc pulsum, vt Angeli salutationẽ vel etiam in Paschate non omittam, præter institutionis causam quam dixi, facit grauium Scriptorum authoritas, qui præscribentes *Aue Maria*, cùm Antiphona, *Angelus Domini*, de *Regina Cæli*, non meminerunt. Sic D. Bonauentura, vt ait Beyerlinckius in loco cit. cum *Romani concessu Pontificis egit, vt fratres ac Monachi populum publicè priuatimq; hortarentur, ad Virginem flexis genibus salutandum verbis illis Aue* Maria, *signo campani æris audito*. Tum recitatam à nobis in prima disquisitione orationem subiungens, ait: *Ita iubendi & attinendi causa illa fuit, quod plerique fidelium sibi persuaserint, illa ipsa hora lucis desinentis, Mariam Virg. à Paranympho Gabriele Aue illud audiuisse*. Et de primo omnium vsu ac ritu sic habet: *Qui profectò mos paulatim inter Christianos corroborari cœpit, sonanteq; cymbalo, in ipso aditu noctis, atq; vestibulo, Maria Virgo trina salutatione Angelica vbique ita locorum ac gentium, à sinceris fidei cultoribus, honoratur*. Coluenerius in Kalendario gen. commem. cap. 3. num. 2. *Datur pulsus campanæ*, inquit, *ad honorem intemeratæ Virginis, & Aue* Maria *tertiò repetitur*. Ioannes Ferus Ordinis Minorum de Obseru. in suis precationibus, testatur hoc signum vocari pulsum ad *Aue Maria*. Henricus Henriquez in Summa morali lib. vlt. cap. 10. scribit ter quotidie pulsari, ad *salutationem Angelicam*. Ignatius à Cornago Capucinus in Ciu. Refugij lib. 1. par. 2. cap. 4. dec. 7. formulam præscribit, his verbis: S. *Ecclesia à diuino spiritu gubernata ter quotidie campano ære, mane, ac vesperi signum edit, vt cuncti fideles deuotè Deiparentem salutent, & in eius amorem ac memoriam accendantur, toties hæc orantes*: *Angelus Domini, &c. & postea semel Aue Maria. Ecce Ancilla Domini, &c. Aue Maria, & Verbum caro, &c. Aue Maria*. Marcus de Masellis in Exerc. spirit. pro Nouitijs Venerabilis Cœnobij Montis Virginis, in signo illo, solito post officium dari; B. Virginis, vt aiunt, vigilia post Completorium dicta, & *cantata Salue Regina, seu alia Antiphona pro diuersitate temporũ, recitatisq; secretò Pater noster, Aue Maria & Credo*, sic addit: *ter tintinnabulũ pulsatur à Nouitio in signum salutationis Angelicæ de cõsuetudine nostræ Congregationis; & dicitur ter Aue Maria, cum Oratione Gratiam tuam*: Eandem orationem addi docet Canisius de B. Virg. lib. 3. cap. 3. & cum eundem pulsum audimus: *Dicimus*, ait, *Angelus Domini, &c. Vbi præter Angelicam salutationem, etiam Dominica precatio recitari, vel sequens Ecclesiæ collecta, vt veteres appellarunt, à multis annecti consueuit: Gratiam tuam, &c.* Sed omissis Authoribus, quos in sequenti disquisitione percenseo, satis erit, officium B. Mariæ ab Vrbano Octauo recognitum, in exercitio quotidiano recitandum præscribere, *Cùm mane, meridie, ac vesperi, salutationis Angelicæ*

gelicæ

gelica signum datur, Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto, Aue Maria gratia plena, &c. ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuũ, Aue Maria. Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Aue Maria. Oratio. *Gratiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde, vt qui Angelo nunciante Christi filij tui Incarnationem cognouimus, per passionem eius & crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur, per eundem Christum D. N. Amen. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.* hæc ibi.

Deinde disquisit. 5. de corporis habitu quo trina hæc salutatio Angelica recitari debet, vt quis lucretur Indulgentias, ita loquitur: Communior hodie ritus est, Dominicis ac Paschæ diebus, hanc salutationem erecto corpore recitare: reliquis tamen anni diebus, ea non astantibus, sed flexis humi genibus vsurpatur: Et id quidem religiosiores hodie viri præstant; plerique enim, aut prætermittunt, aut curuare genua dedignantur, cum vehuntur ipsi equo, vel curru, aut cùm pedites iter agunt, & ambulant, aut aliter reperiuntur, & in foro, & in via. Eundemq; ritum video præscripsisse, ex Castaldo in praxi lib. 2. sect. 1. cap. 4. n. 6. Quartum, è nostris, in tract. de Benedict. tit. 2. §. 3. vbi sic ait: *Ad tria tempora, manè, videlicet, vesperè, & meridiè, quibus campanarum sono datur signum salutationis Angelicæ flexis genibus orare oportet, excepto tempore Paschali, & diebus Dominicis à vespera Sabbathi.* Quod, vt obseruo, Angelus Roccha de campanis cap. 17. docuit, hisce verbis: *Salutatio Angelica tribus vicibus recitari solet genibus quidē flexis, Paschatis, Resurrectionis, & Pentecostes diebus exceptis, atque item Dominicis, & vespere Sabbathi totius anni, quæ Resurrectionis diem repræsentant: in his diebus omnibus salutatio Angelica absque genuflexione recitatur.* Eundemq; morem amplexi sunt Clerici Regulares Minores in Cæremoniali par. 1. cap. 12. Eremitæ Augustinienses Excalceati in suo item cærem. Ecclesiast. lib. 2. cap. 5. §. 1. Minores Conuent. S. Franc. in cærem. p. 4. cap. 11. num. 23. Minores obseru. par. 4. cap. 6. Corsettus in Prax. tract. 2. par. 1. sect. 1. num. 80. & Arnaudius in Epit. tract. 2. par. 4. tit. 13. num. 12. Et si, lector, rationem exposcis, id ipsi probare possent, ex Concilij Niceni 29. Canone, qui sic ait: *Quoniam sunt in die Dominica genua flectentes, & in diebus Pentecostes, vt omnia in vniuersis locis consonanter obseruentur, placuit sancto Cōcilio, à Paschate vsque ad octauas Pentecostes, stantes Domino vota persoluere, vel Deo orationes effundere.* Sic habetur cap. Quoniam, & id Brucardus lib. 13. decret. cap. 3. ac Iuo Carnotensis lib. 2. cap. 182. ex Aurelianensi Concilio fusiùs explicarunt; scilicet, *vt Presbyteri plebibus annuncient, quòd Quadragesima, & in ieiunio quatuor temporum, tantummodo ad Missarum solemnia genua flectere debent. In Dominicis è contra diebus, & in cæteris festis, à vespera vsque in vesperam, non flectant genua, sed stantes incurnati orent, &c.*

Præter hanc multorum sententiam, mediam alteram in Fantonio hoc est, in cæremoniali Patrum Carmelitarum inuenio lib. 1. 2. par. rubr. 9. nu. 6. quod de salutatione Angelica hæc ait: *Ad cuius pulsationem, fratres, etiam Paschali tempore genuflectant, exceptis Dominicis diebus, à primis vesperis, in quibus non genuflectent, sed stabunt.* Quod Lezana in Summa. V. Indulgentia quoad Regul. num. 20. ad omnium fidelium documentum ac vtilitatē proponit, iuxta Romanæ Ecclesiæ vsum. Eidemq; cæremoniali plurimum tribuit Georgius Gobat è Societ. Iesu in thesauro Ecclesiast. Indulgent. par. 2. cap. 30. sed rationem nullus adducit: ideòque vt dicam quod sentio, eam opinionem non laudo. Vel enim hæc salutatio, vt aliæ orationes, communi ritu Ecclesiæ habenda est; & tunc Paschate ac Dominica die sine genuū flexione, recto corpore dici debet: vel est adoratio, in magni illius mysterij veneratione gratamq; memoriam instituta; & tunc nō solùm Paschali tempore, sed & Dominicis diebus ac Sabbathis, cum genuū flexione debet obiri; similiter ac in Symbolo ad *Incarnatus est*, in S. Ioannis Euangelio ad *verbum caro*, & ad *Te ergo quæsumus* in hymno, aliaque eiusmodi verba, quæ tantum beneficium me-

memorant, vel ipsa die Dominica Paschatis, flexo statim humi vno vel vtroque semper genu prosternimur. Non enim video posse rationem adduci vllam, cur genu Dominicis diebus ac Sabbathis, non verò Paschali tempore, eo in salutatione flectantur.

Itaque, vt syncerè fatear, sententiã & consuetudinem meam, hanc ego salutationem, vt dixi, non quidem orationem, sed adorationem existimo, in Diuini verbi pro nobis in vtero Mariæ Virginis humanitatis reuerentiam institutam. Ideòq; cùm solus sum, aut cùm me inferiores comites habeo, genua mea, audito salutationis signo, quocunq; in loco reperior, humi flecto. Quia tamen ad id, vitandi laboris causa, Paschali tempore, & Dominicis diebus ac Sabbathis, haud facilè homines inducuntur, cùm ego coràm maioribus atque dignioribus adsum, & eam ipsi precationem erecto corpore inter confabulandum impendunt, ne tunc eos reprehendere videar, aut vllam in me singularitatem ostendam; eorundem ritui (nec sine conscientiæ aliquando scrupulo) me conformo. Miraris aliud me sentire & ob aliorum exemplum atq; respectum quandoq; aliud agere? At hoc ipsum in Gauanto tom. 2. sect. 6 cap. 13. animaduertes, qui num. 28. de eadem salutatione, sic habet: *Si orationem eam esse putas, stare debes; si adorationem, genua flectere. Ego existimo adorationem esse Incarnationis verbi Diuini: sed quia cõmunis est hodie sensus, & vsus, quòd ea sit oratio, nec ego genua flecto cum alijs.*

Ad hæc obseruo, Pontifices, si tamẽ fides multorum testimonio non neganda, prorsus instituisse, vt ea semper in salutatione (Paschali, aut diei Dominico tempore non excepto) genua flecterentur. Gregorius enim nonus Maracio in fundatoribus Marianis cap. 53. narrante, decreuit, *vt salutatio eiusdem (Virginis) tum manè tum vesperi, dato signo campanæ, ab omnibus genu flexo repeteretur.* Et Polydorus Virgilius, è Ioannis XXII. Papæ ordinatione manasse adstruit institutum, *vt hodie vbique gentium, audito tentinnabili sono, cuncti confestim in vestigio genua flectant, atque orent.* Eandemq; genua flectendi causam, quam dixi, Petrus Canisius de Maria Deip. Virg. lib. 3. cap. 3. disertissimè insinuat, hunc in modum. *Laudabilis ille mos, qui apud Sectarios quidem exoleuit, apud autem Catholicos passim durat, vt multi dicta campana audito sono, ab omni negocio seuocent animos, caput aperiãt, humi procumbant, manus iungant, ipsoque demisso corporis habitu, summam & ineffabilem demissionem commonstrent, quam Deus propter homines limus sine homo factus ostendit. Quæ omnia non solùm ob Virginis meritò salutandæ fiunt reuerentiam, sed ad illius etiam honorem cum primis pertinent, de quo tum cogitamus, sæpè dicimus: Angelus Dñi nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Tum eos supra redarguens, qui Dei Matri salutationem irreuerenter exsoluunt, hæc addit, in rem nostram: *Vt mihi sanè pudendum videatur, has sacra verba tum parùm à Christianis expendi, adeòq; à multis fœdè negligi, velut ea ioco, vel aliud agens dixerit Angelus, nihilq; ad nos illa voluerit pertinere: atqui longè secus res habet, quoniam præterquam quod officium ille suum egregiè præstitit, simul & nobis præstandi reliquit exemplum, cùm adeò reuerenter, atq; admiratione plenus, ad hanc ipsam salutationem accessit.* Ita ex Sophronio. Nec piam illorum opinionem reijciendam existimo, qui Angelum, vt refert Aloysius Nouarinus in vmbra Virg. lib. 4. num. 959. putant flexis genibus, magnaq; cum submissione ac reuerentia salutasse Mariam. Immo benè Syluera tom. 1. in Euang. cap. 5. q. 11. expendens, cur Deiparam Gabriel non ex aëre salutarit; *Agnoscebat*, inquit, *Virginem vt Dominam, ac Reginam Angelorum: si ab aëre loqueretur, esset veluti in loco eminentiori; domum ergo ingreditur, ac coram ipsa genuflectit, vti explicat Ecclesia pictura, vt ipsam tanquã Imperatricem ac Domini sui matrem veneraretur, atque adoraret. Et ideo Abrahamo loquitur ex aere* (Gen. 22. nu. 11.) *at verò Virgini genu flectens.* Ita Syluera. Cui ergo Angelus accidit, cur vilis humuncio, vt ab ea quotidiè præsidium poscat, humillimè genua prosternere dedignabitur.

Sed,

Sed, vt ad propositum redeam, laudandus hic mihi est, noster Paulus Cardinalis Aretius, primò Placentinus, dein Neapolitanus Antistes, qui cùm populorum olim desidiam obseruasset, qui audito salutationis signo genua nō flectebant, decreuit, vt quotidiè vesperi, cùm idem signum pulsandū esset, quolibet in foro, è viciniori templo editū Christi Domini pendentis è cruce simulacrum, inter collucentes faces, exhiberetur; vt omnes vehementiùs hoc aspectu commoti cruci affixum Dominum, eiusq; Virginem Matrem, salutandi gratia, faciliùs in genua prosilirent: quam ingeniculationem, obseruo, ita ab Dino Carolo constitutam, vt acta Mediolanensis Ecclesiæ par. 4. fol. 488. à sacris Concionatoribus exigant, subinde populum admoneri: *vt cùm datur & vesperi, & mane, & meridie, signum salutationis Angelicæ; genibus flexis, vbi sit oret*: nec Dominicos aut Paschæ dies, aut Sabbathinos excepit.

Lego tamen vsu inductum in Gallia, vt vnum tantùmodò genu, salutandæ Virginis gratia, flecteretur. Nam Robertus Gaguinus in Compendio de Gestis Francorum lib. 10. hæc ait: *Introducta quoque est, authore Ludouico, consuetudo campanam hora meridiana, vt in noctis crepusculo solet, pulsandi, quo tempore populus, vno poplite humi deflexo, Angelicam Diuæ Mariæ salutationem, obtinendæ publicæ pacis gratia religiosè exhiberet: qui mos hactenùs diligenter à plerisque obseruatur*. Sed vnum, vt ego arbitror, genu dixit, non quòd multi vtrumque humi non ponerent, sed vt communiorem populi vsum ac consuetudinem indicaret. Vt vt sit, promptiores ad salutandam honorandamq; Deiparā cōuenit, vt nos Itali simus, si nolumus omninò esse degeneres à pietate maiorū, qui olim Hæreticos hoc indicio discernebant, si cùm signum salutandæ Virginis audiretur, non vtrumque ipsi genu, vel etiam in luto deflecterent: testatur id Georgius Coluenerius in suo Kalendario gen. comm. cap. 4. num. 2. hisce verbis: *Id ipsum, nostro tempore, perfectissimè obseruatur in Italia, & tali cum reuerentia & rigore, vt quisque vbicunque inuentus fuerit, siue in foro, siue in plateis, quantumcunq; lutosis, genua flectat, & dictam salutationem recitet; si quis non faceret hæresis suspitionem incurreret*. Eandem Italis laudem attribuit Petreolus Locrius in Maria Augusta lib. 7. cap. 16. & obseruationis huius summoperè studiosos appellat: vnde Iustinus Miechouiensis ex Ordine Patrum Prædicatorum in discur. prædic. super Litanias tom. 2. disc. 245. *Parum pius est*, inquit, *qui non solet tunc caput aperire, in genua procumbere, etiam in vicis, plateis, foro, venerando hanc sacratissimam Matrem, eique summum Incarnationis Christi mysterium ac beneficium in memoriam reuocando, his verbis, Angelus Domini, &c.* Ludouicus tamen Nonus Galliæ Rex hanc etiam sibi laudem promeruit; narrat quippe Petrus Auratus in libro Gallico de Beata Maria, cui titulus, Imago Virtutis, cap. 49. *Audito pulsu meridiano, ex equo eum descendisse, & flexo vtroque genu, capite nudato, Beatam Virginem salutasse*: Quod etiam Coluenerius in Kalendario refert.

Sed & vnum genu flectendi morē, lego apud Bruchardum, & Iuonem citato in loco, Aurelianense Concilium proscripsisse, hunc in modum. *Nec quisquam vno genu solo tenus impresso orare præsumet, sicut Iudæi irridentes Dominum in passione eius fecisse leguntur; sed vtraque genua terra figet*. Ait enim Apostolus: *Flecto genua mea ad patrem*. Vnde S. Carolo minimè satis fuit ab Concionatoribus populum adhortari ad Virginem salutandam, sed ab ijs etiā exigebat, vt illum instruerent, quem corporis habitum in oratione teneret: vbi enim de salutatione decernit, subiungit hæc verba: *Docebit* (Concionator populum) *quomodo oret &c. & quo statu etiam corporis, tam in Ecclesia, quam domi, nempe genibus flexis, iunctis manibus. Tùm si quid in eo genere peccatur, vt ab ijs fit, qui vnum tantùm genu in oratione flectunt, aut certè quidquam id generis cōmittunt, quod precantis pietati non conueniat, id graui sermone coarguet: oratio enim humilem & religiosam corporis positionem requirit*. Ita Sanctus Antistes, qui, vt in eius vita describitur, & in Ciuitate Refugij lib. 1. par. 2. cap. 4. dec. 5. Ignatius à Carnago narrat: *Si casu lutosa es-*

set in via, & Angelicæ salutationis signum audiret, genua statim humi flectebat, aut si equo veheretur, ex illo extemplo desiliēs, cum omni reuerentia recitabat Aue Maria. Idem refert Iustinus Miechouiensis, in loco supra citato. *Quandocunq; campana sonum ad Angelicam salutationem audiebat, quocunque loco esset, in via etiam fracta & cœnosa, mox è rheda prosiliebat, vel ab equo descendebat; humi poplites figebat: & Reginæ cœli deuotè salutationem Angelicam recitabat.*

Hunc sanè pium atque laudabilem morem, & sacro cuilibet Antistiti, populos excitandi gratia, necessarium, noster præsertim Cardinalis Aretius, Archiepiscopus Neapolitanus, & multi alij Præsules obseruabant, vitæ etiam innocentia celeberrimi. De Isidoro Clario Brixiano, Monacho Cassinensi, ac Fulgineorũ Episcopo, vitæ Auctor, & ex eo Marracius in Antistit. Marianis hæc habet. *Tantam in Deiparentem Virginem Mariam pietatem præ se tulit, vt cùm, sub Solis occasum, per Vrbem iter ageret, salutationis Angelicæ consueto signo audito, in triuio vndequaque luculento, genua, statim illam recitaturus, submiserit.* Idemque de Iacobo Candido, Syracusano, Episcopo Laquedonensi in Apulia, virginitate, integritateq; animi cādidissimo, hæc ait: *Quando, consuetis diei horis, salutationis Angelicæ dabatur signum, statim, etiam si in via lutosa esset, genu flectebat, vt debitum Dei matri tributum laudis offerret, solitus nō prius surgere, quàm tria terræ oscula impressisset.*

Narrat citatus Ignatius ex Pelbarto in Stellario, & Segala in Arte mirabili, quendam Fratrum Minorum in Pannonia hanc consuetudinem induxisse, vt quotidie sub Auroram, signo Angelicæ salutationis audito, è lecto statim exsurgeret, flexisq; ter Deiparam genibus adoraret: qui semel tamen tædio affectus, ad signum iacens in stragulo, quamquam sub opertorio recitauit Aue Maria, solitas ingeniculationes omisit: cùm sibi visus est videre per somnium, templi rurrim ita inclinati ac deflecti, vt cacumine ac vertice rer ad ima prosterneretur. Neque id satis, sibi visus est hanc vocem audire: Hem miser, ad Angelicæ salutationis signum, insensibilis creatura prosternitur; & tu qui ratione præditus es, adhuc in cubili iacere, & Virginis genuflectiones omittere non vereris? Quod adeò ipsum affecit atque commouit, vt facti ac negligentiæ pœnitens, quoad vixit, hoc Deiparæ impendere obsequium non omiserit.

Disquisitionem hanc finio, & moneo ac rogo Lectorem meū, vt auctoris formulæ benè, pièq; auspicandi, transigēdi, finiendiquè diem, dictum audiat & adimpleat, qui fol. 652. sic habet: *In quocumque loco eris, cum & hunc* (vespertinum) *& matutinum, & meridianum audis pulsum, aperi in reuerentiam Domini caput tuum, & in genua procumbe, & mitte in cælum in conspectum Domini animum tuum, & ora, ne patiatur in te perditam suam pro humano genere passionem. Multos hìc pudet, videri pios ac deuotos, & Domino supplices, quòd eorum corda superbiæ parens Satan occupet: te non pudeat in omni loco, & coram toto Mundo talem videri, qualem esse hominem Christianum, & decet, & esse oportet. Non sunt enim frustra, nec sine magna ratione huiusmodi à Sanctis Patribus instituta in Ecclesia Domini*. hæc ille. audistin? non ergo detrectabis in posterum, hac salutatione quotidie humillimè, deflexoq; poplite recitata, confundere cacodæmonem, ac Deiparam adeò venerari, vt omnino opem in morte meritò ab ea sperare & habere possis. Ita Magius.

Postea quoque disquisit. 6. ad indulgentiam lucrandam necessariam esse genuflexionem sic ostendit. D. Paulus Maria Quartus, ex nostris, in tract. de benedictionibus tit. 2. & de campanarum vsu dub. 8. §. 3. cum ad salutandæ Virginis signum, Paschali tempore, non *Regina cœli*, sed *Angelus Domini*, cum terna salutatione Angelica, præscripsisset, *id necessarium videtur*, inquit, *ad lucrandas indulgentias*. Et Calendarium Romanum, quo vtuntur Fratres Eremitarum S. Augustini cap. 1. cùm docuerit primùm, vt fratres, hoc signo salutationis audito, easdem Antiphonas, & salutationes exsoluant, mandat, vt ipsi *semper genuflectant, etiam tempore paschali*: & subiungit: *propter indulgen-*

gentias, quat consequuntur. Hoc Eremitæ Augustinienses citati capitis initio statuunt; idemque iterum in progressu decernunt, ac fusiùs explicant, hisce verbis: *Pro signo Aue Maria, dum hac hora pulsatur, flexis genibus fratres, etiam tempore paschali, dicant, Angelus Domini &c. Aue Maria totum. Deinde subiungitur, ecce Ancilla &c. Aue Maria totum. Demum dicatur: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Aue Maria. Oremus. Gratiam tuam &c. & has orationes fundendo fratres consequuntur indulgentias. Qui quidem modus pulsandi pro signo Aue Maria, in multis locis seruatur, etiam in aurora diei ante Solis ortum, ac in meridie, & in huiusmodi pulsationibus, recitando genibus flexis easdem orationes, easdem indulgentias consequentur. In illis verò Prouincijs vltramontanis, talis pulsatio de mane, & meridie non est in vsu, nihilominus semper pulsatur, in principio diei, campana maior, vel, secundum Conuentuum consuetudinem, campana media, per aliquod notabile spatium temporis ante Solis ortum, quæ dicitur pulsatio ad auroram, & in illis Conuentibus, vbi pulsatur campana media, in duplici prima, & secunda classis, pulsabitur campana maior: & talem consuetudinem, & modum obseruare volumus in illis Conuentibus. Aduertendo, quod semper sint fratres admoniti, hoc signum fieri pro pulsatione Angelica, eo modo quo in principio noctis fit aliud signum; & in tali pulsatione recitando easdem orationes, easdem consequuntur indulgentias, quas consequuti sunt in principio noctis.* hæc ibi. Et cum codex ille vetustus ac rarus sit, & anno 1602. in lucem impressus, perspicuum planè est omnino Pontifices ordinasse, vt qui lucrari indultam delictorum veniam vellet, antiphonam *Angelus Domini*, & salutationes Angelicas, cum flexione genuum recitaret. Id etiam probo, ex Pelbarto Ordinis Minorum in suo Stellario lib. 12. par. 2. art. 2. & Ioanne Herolt Ordinis Prædicatorum, authore sermonum discipuli, in serm. de visitatione Deiparæ, qui est 22. de Sanctis, vbi sic ait: *Papa Ioannes XXII. statuit serò fieri pulsum campanæ, ad quem qui genuflectendo* (audin?) *tria Aue Maria dixerit, viginti dies indulgentiarum habebit.* Et quia superiùs illustre miraculum hominis à Deipara supplicio publicè decreto erepti narrauerat, addit hæc verba: *Et de illo miraculo, & de illis indulgentijs, habetur publicum instrumentum littera authentica.* Neque ego ambigere possum, immo omni procul dubio certum reor, alios quoscunque Pontifices, qui ad eundem pulsum aut stabiliendum aut instaurandum plures atque maiores indulgentias, post Ioannem XXII. impertiere eandem genuũ flexionem, ob honorandam Virginem, & incarnati verbi memoriam ordinasse. Miraculum verò illud, quod circiter Christi annum 1320. accidit, vt etiam Iustinus Miechouiensis super litanias disc. 245. refert, hoc fuit. In vigilia, inquit, Annunciationis B. Mariæ Virginis, duo propter iustitiam sæcularem sunt ad stipites manibus & collis ligati, vt cremarentur. Accenso igitur igne, vnus illorum crebrò nomen B. Mariæ Virginis inuocabat. Et ecce eidem vestibus, & corpore inustis, penitùs, sola colli & manuum vincula ignis cõsumpsit, & ab igne solutus exiliuit, socio suo totaliter ab igne consumpto. Reiectus est autem solutus secundò in ignem, & iterum permansit inustus, & ab igne exiliuit. Sicque ad Ecclesiam B. Virginis ductus est, & Papa Ioan. XXII. statuit serò fieri pulsum campanæ, ad quem, quicumque homo genuflectendo tria Aue Maria dixerit, viginti dierum indulgentiam haberet. Ita Iustinus.

Quæro tamen, ad pulsum hunc, Deiparam honorantibus, an plenariam indulgentiam Romanus aliquis Pontifex, & quo modo indulserit? Respondet Quartus, citato in loco S. 4. *Fideles, qui ad signum salutationis Angelicæ, quod vesperè datur in Solis occasu, recitant preces supra explicatas, præter meritum ex opere operantis, lucrari indulgentiam plenariam, ex concessione Summi Pontificis Adriani VI. qui meritò, ita liberaliter spirituales diuitias dispensauit ex thesauro Ecclesiæ, ad propagandam, & augendam deuotionem fidelium erga cæli Reginam, & Dei genitricem, & ad conseruandam in eis memoriam incarnationis filij Dei.* Hæc ille, & Dianam citat par. 10. tract. 16. resol. 1.

resol. 1. qui planè primus omnium inter Morales Theologos, hanc indulgentiam suis in lucubrationibus studiosiùs illustrauit. par. 4. tract. 4. resol. 24. vbi cum quæstionem instituisset, *An existens in gratia, si ad tria signa campanæ, post Solis occasum, recitet Aue Maria cum versiculis Angelus Domini, lucretur plenariam indulgentiam*; scripsit se pro certo supponere, Adrianum VI. talem indulgentiam concessisse, non solùm pro Regularibus, sed etiam pro omnibus Christi fidelibus. Citat præsertim Hieronymum Rodericū in Emmanuelis Roderici compendio resol. 99. num. 51. vbi ait, quod *indulgentia plenaria concessa ad tria signa campanæ post Solis occasum recitantibus tres Aue Maria, modo, & forma supra à nobis tradita num. 17. potest lucrari ab omnibus Christi fidelibus*. Dianam quoque sequitur Maria de Rheita Capucinus in Fasciculo sacrarum indulgentiarum; & ea de causa pulsum vespertinum, in omnibus Prouincijs, dici pulsum indulgentiarum, affirmat. Sentitq; cum Diana Escobar referens pro se Laymanum, quem citat & Quartus. Sed Gregorius Gobat in thes. Eccles. indulg. p. 2. cap. 30. num. 591. non reperit quidquam in Laymano hac de re.

Itaque plenariam Adriani indulgentiam in vespertina nos solùm salutatione lucrari, plerique ex nostro Diana Authores affirmant: cuius tamen authoritas tametsi pro viri solertia ac sapientia magna sit, Hieronymi Roderici fidei ac testimonio innititur. Sed cum ille gentilis sui, Emmanuelis Roderici verba, vt plurimùm compendio referat ac transcribat, miror hac in re non verba omisisse, vt in compendio & summa fieri solet, sed addidisse de suo, quæ in Emmanuelis Roderici articulo non habentur. Quippe quam Hieronymus Rodericus in vespertina solùm salutatione, post solis occasum, indulgentiam plenariam ponit; absolutè in sola Virginis salutatione refert Emmanuel; vt planè tam de vespertina, quàm de matutina, & meridiana loqui ipse ac intelligere videatur; eundem hic audiamus: *Adrianus VI. concessit, quòd qui dicit in pulsatione campanæ ad Aue Maria, ad primum signum, Angelus Domini, &c. & vnum Aue Maria; & in secundo signo, Ecce ancilla Domini &c. & aliud Aue Maria; & in tertio signo, Verbum caro factum est &c. cū alio Aue Maria, lucratur indulgentiam plenariā. Hoc concessit Adrianus Guardiano Burgensi Marchinæ petenti, vt est scriptum in tabula apud nos Minoritas, in Hispali ciuitate, & refert Veracruz in suo Compendio* M.S. Hæc Emmanuel tom. 1. quæst. 89. ar. 12. vnde ergo Hieronymus Rodericus verba illa, post occasum solis, intexuit? quæ si in concessione fuerant, Emmanuel cur omisit? Facilè ergo hanc plenariam indulgentiam tam Vesperi, quā manè, ac meridie ab Adriano impertitam, eruditissimè D. Ioseph de Thomasio & caro, Palmæ Ducis primogenita ac digna proles, existimabas: cum id præcipuè suaderet, opportuniùs ipsum orandi tempus, meridianis horis ac matutinis: maior in exercendo opere difficultas, cum somni torpor in salutanda Virgine excutiendus; & ipsa orandi necessitas, vt contra hostium technas, ad diem fœliciùs excurrendum, & obeunda negotia, ab Deipara auxilium imploremus; actionum nostrarum ab ea veluti initium auspicati; quam ipse etiā in Iustino Miechouiensi super Litanias sententiam ostendisti.

Sed vt hanc opinionem & difficultatem explodas, ex Hieronymi, & Emmanuelis verbis exortam, versatissimè adolescens obserua, quod nos superiùs annotauimus; pulsum videlicet *post Solis occasum* ab Hieronymo dici, quem *pulsationem campanæ ad Aue Maria* primùm Emmanuel appellauerat: quam plenariam indulgentiam nos solùm ad vespertinum signum lucrari, testantur, præter recitatos Authores, Georgius Coluenerius in Gen. Commem. sui Kalendarij, Augustinus Barellus in sacro horto Rosarij, clauis Thesauri Archiconfraternitatis Rosarij Gallicè excusa, Paulus Morigius Ordinis S. Hieronymi in horto spirituali; Paulus Maria Quarti de Benedict. tit. 2. fol. 219. Io. Baptista de Lezana in Summa. V. indulgent. num. 20. Ludouicus Bertrandus Loth Ordinis Prædicatorum in resolutionibus Theologicis tract. 20. q. 5. art. 3.

art.3. & Georgius Gobat in loc.cit. qui tres postremi Authores cæremonialis Carmelitani verba & authoritatem cōmendant, lib. 1. par. 2. rubr. 9. num. 6. *ad cuius pulsationem* (post occasum Solis) *fratres etiam tempore Paschali genuflectant &c.* & tres hos versus, *Angelus Domini &c. Ecce Ancilla Domini &c. Et verbum caro factum &c.* dicant, terque *Aue Maria*, cum oratione *Gratiam tuam, & Fidelium animæ &c.* quibus precibus indulgentiam plenariam (post Adrianum VI.) Paulus Papa III. concessit. Hæc Franciscus Magius.

Ex his ergo habemus quas pœnarum nobis debitarum indulgentias ex hac prece ter intra diem repetita percipimus. Quam orationem tunc orare debeamus, nempè ter *Aue Maria*, cū tribus antiphonis, *Angelus Domini &c.* vers. *Dignare me*, & oratione, *Gratiam tuam, quæsumus Domine &c.* nam quidquid præterea est, vel intentionis applicatio, vel expressio deuotionis, vel peculiaris inuocatio est; ex quibus hoc vltimum priuat orantem fructu indulgentiæ, quæ Deiparæ salutationi & incarnati verbi adorationi concessa est: nec adeò laudabiliter quisquam priuatus immutabit formulam orationis communi fidelium vsu receptæ, ac tot piorum doctorumque virorum testimoniis comprobatæ & Apostolicæ Sedis Indulgentijs commendatæ. Applicatio verò intentionis & expressio deuotionis in oratione ad indulgentiam lucrandum constituta & fixa, non verbis exercenda sunt, sed mente meditanda, vt inter psallendum facimus, non mutatis, vti tenemur omninò, verbis officij: sic nec verba huius orationis mutare licet, cui Indulgentia affixa est, quidquid interim vel piæ meditationis intellectus, vel pij affectus voluntatis versetur in mente. Habemus denique flexis genibus hanc precem fundendam esse, à qua regula an tempus Paschale vel dies Dominicæ vel crepuscula Sabbathinæ noctis excipiēda sint, ego lectoris iudicio relinquo. Atque hæc sunt quæ populum Dei scire expedit vt suam in Dei Matrem, & Filium pietatem vtiliter exercere possit. Cætera qui curiosiùs desiderat, Magius eum docebit: sed cauendus error historiæ dum ex alijs refert Sanctum Bonauenturam à Sixto IV. Pont. obtinuisse vt institueretur pulsus vespertinus; cùm Bonauentura ducentis annis ante Sixti Pontificatum obierit. Et in actis eius referatur quòd ipse vespertinum hunc pulsum instituerit: an id verò Pontificis cuiuspiam authoritate fecerit ego nondum didici. Optarē profectò vt tam nunc solemnis, & omniū fidelium pietatis & precationis forma cum adnexò indulgentiarū fructu recentiori oraculo Romani Pōtificis extra opinandi aleam eueheretur; ne vel non concessas, vel reuocatas quisquam dubitare possit, & inde forsan tepescat in cultu summi beneficij Incarnationis Verbi, quod Deus vnquam humano generi concessit, & illius purissimæ Matris per quam id beneficiū accepimus vt salui simus.

SY-

SYNODVS III.
DIOECESANA.

Celebrata in Oppido Sancti Dominici de Tungay, die xvij. Iulij, anno MDLXXXV.

Sess. 24. cap. 2. de reform. Matrim.

NOS D. Toribius Alphonsus Mogrouejus, Dei, & sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ gratia Archiepiscopus Regum, Regiæ Maiestatis Consiliarius &c. Obligationi, quam nobis imposuit sacrum Concilium Tridentinum, celebrandi singulis annis Synodum Diœcesanam satisfacere volentes, conuocauimus admodum RR. DD. nobis dilectos Decanum & Capitulum nostræ sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Regum,& Vicarios,& Parochos huius nostri Archiepiscopatus, ad quos de iure vocari pertinet: cuius Synodi conuotio fuit ad diem sanctissimæ Trinitatis proximè præteritum, huius præsentis anni 1585. in qua eadem Synodo ordinauimus, & statuimus constitutiones sequentes; quas volumus, & præcipimus obseruari, & opere adimpleri, secundum quod, & eo modo quo in eisdem continetur: sub pœnis in eisdem contentis, & alijs arbitrio nostro imponendis.

Cap. I.

De Matriculis Confessionum & Communionum.

Synodo præcedenti c. I.

PArochi omnes, tàm Hispanorum, quàm Indorum in conficiendis matriculis obseruent Constitutiones per Nos in Synodo Diœcesana anni 1584. editas designando diem, mensem,& annum,quibus eas inchoauerint, & absoluerint, & ita confectas, ac suis ipsorum nominibus subscriptas ad Nos, vel nostrum Prouisorem,aut Vicarios mittent intra quindecim dies à completo termino confessionum & communionum per eiusdem dictæ Synodi constitutiones declarato. Et mittent pariter veridicam relationẽ personarum, quas confessas & communicatas non fuisse nouerint: Tenebunturq; ijdem Parochi referre testimoniales schedas acceptæ matriculæ, à Nobis, vel nostro Prouisore, aut Vicarijs, quibus eam tradiderint subscriptas. Quod totum sic seruent & compleant sub pœna centum pesorum currentis monetæ, iuxta nostram dispositionem applicandorum, & sub alijs pœnis nobis arbitrarijs.

Cap. II.

Indorum Parochi diebus Dominicis petant eleemosynas pro pauperibus.

NOstri Archiepiscopatus Indorum Parochi singulis diebus Dominicis posthàc petent eleemosynas pro pauperibus Indis suæ curæ pastoralis, & collectam eiusmodi eleemosynam eisdem distribuent. Habeant — Concil. Mediol. IV. tit. Quæ ad pia loca pertinent.

beant etiam libros,in quibus eędem eleemosynæ, earumque distributio designatis die, mense, & anno, describantur: Ipsæque distributiones fiant coram dictis nostris Parochis, & Indorum Dynastis, vulgò Caciques, & primoribus viris. Itemque præcipimus,vt Hispanorum quoque Parochi singulis diebus Sabbathinis, & in Vesperis Paschalibus in suis Parochijs petant pro pauperibus verecundis. Et in locis, in quibus fuerint Vicarij, simul cum Parochis petent; vbi verò non fuerint Vicarij, ipsi Parochi assument sibi alium socium: Et omnes habeant computus & rationes descriptas in libro,in quo describantur eleemosynæ quæ prouenient, & qualiter distribuantur, sub pœna quòd contra transgressores procedetur.

Cap. III.
De cantando Salue in Vesperis Sabbathi.

Conc. prou. anni 1583. Act.3. cap. 27. & in Reg. consuet. cap.17. & notis ibid. Concil.Mediol. III. tit. de diuin. officio.

QVandoquidem Sabbathinus cantus *Salue* fidelium Christianorum, tam Hispanorum, quam Indorum deuotionem plurimũ promoueat: Ordinamus & præcipimus, quòd in posterum omnes vtriusque Nationis nostri Archiepiscopatus Parochi eam cantari curent singulis diebus Sabbathi,exhortãdo suos Parochianos, vt illi deuotè intersint.

Cap. IV.
Hispanorum Parochi recitent Doctrinam Christianam.

Conc. Mediol. I. par. 1, tit. de fidei instis à parocho tradẽdis.

OMnes Hispanorum Parochi doctrinam suæ curæ Pastoralis populum, singulis minimùm totius anni Dominicis diebus & festiuè colendis docebunt, eundemq; populum per proprias suas personas in fidei rudimentis instruent, iuxta Catechismum factum in Concilio prouinciali anni 1583. eisdem inculcando obedientiam, quam Deo & parentibus suis debent; trium pesorum pœnam singulis vicibus quibus id omiserint luituri: Et ad hunc effectum curabunt pulsari campanam finito prandio. Idipsum faciet etiam Indorum Parochi diebus Mercurij, & Veneris cuiusq; septimanæ, prout fieri consueuit; & eosdem Indos, tam ipsorum vernacula lingua, quam Hispanica docebunt.

Cap. V.
Vicarij procurent sacrum Oleum, & Chrisma pro toto suo districtu.

QVoniam expedit, vt in locis, vbi sunt Vicarij,habeatur modus prouidendi Parochis illius districtus Oleum & Chrisma,nec vt opus sit semper mittere ad Ciuitatem Regum, tam procul plerumq; distantem, deficientibus etiam fidis nuncijs qui mittantur: Propterea statuimus, quòd Vicarij habeant Oleũ & Chrisma in tribus magnis vasis, vt inde prouidere possint, clericis sui districtus. Et clerici qui acceperint, teneantur dati testimonium à Vicarijs referre, adnotatis die, mense, & anno,vt ab eisdem datum fuisse constet. Quod ita facient, vt alioquin seuerè castigandi sint.

Concil.Mediol. III. tit.Quæ ad sacramentalia

De

Cap. VI.

De custodiendis & renouandis sanctissimo Eucharistia Sacramento, & sacramentalibus.

Concil. Mediol. 4. tit. Quod ad SS. Eucharist. Sacram.

QVicunque in posterum ex nostris Vicarijs, vel Parochis fuerit Hebdomadarius vltima die septimanæ, debebit relinquere renouatum sanctissimum Sacramentum in sacrario, consecrando [a] *duas hostias maiores*, & sex particulas, aut plures, prout infirmorum vsui in totam septimanam opus fore indicauerit. Et singulis bimestribus visitabunt vasa Chrismatis & ampullas olei infirmorum; & cum vsus postulauerit [b] *sic eas nutriant*, vt non plus infundatur olei communis, quam fuerit quantitas olei sancti præcedentis in eisdem vasis chrismalibus. Renouabũt etiam fontem Baptismalem, & aquã benedictam, idq; totum cum magna decentia & reuerẽtia, sub pœna duorum pesorum à contrafaciente ad nostram dispositionem in pia opera pendendorum, toties quoties in hoc deliquerint.

Concil. Mediolanen. III. tit. Quæ ad sacramentalia.

Cap. VII.

Indorum Parochi instituant Processiones temporibus Litaniarum.

Concil. prou. I. Act. 2. cap. 23. & Act. 4. c. 11. & Nota nostra ibid.

INdorum Parochi hinc deinceps temporibus maiorum minorũq; Litaniarum instituant processiones, eo modo quo in Hispanorum locis fieri consueuit, sub pœna quinquaginta pesorum pro nostra dispositione soluenda, & alijs nobis arbitrarijs.

Cap. VIII.

Candelæ quæ apponuntur altari ad Missas nuptiales relinquantur Ecclesiæ.

Concil. I. Mediolanen. tit. de funerib. & exequijs.

QVoniam sponsi qui matrimonio iunguntur, & velantur, solent adferre candelas apponendas altari ad Missam nuptialem, & ex inaduertentia illas tollant sibi Parochi: Ordinamus, vt in posterum eiusmodi candelæ relinquantur Ecclesiæ, & habeatur ipsarum ratio.

Cap. IX.

Collector nominatus habeat curam eleemosynarum, & Missarum, & pitantiarum per pia testamenta relictarum.

STatuimus, & omnibus nostris Vicarijs, Parochis, & Clericis nostri Archiepiscopatus præcipimus, vt Collectori per nos nominando in vnaquaque Ciuitate, Oppido, vel loco eiusdem committant & committi faciant omnes eleemosynas Missarum, quæ dabuntur, tam votiuas, quam testamentarias, siue per viuos, seu per defunctos. Eisdemque Collectoribus præcipimus, vt librum habeant, in quo per ordinem descripta seruabunt omnia anniuersaria, Missas, Capellanias, oblationes votiuas ac testamentarias, & pitantiales, & omnibus ex anterioritatis ordine satisfieri curet: Clericis autem qui anniuersarijs & Capellanijs obstricti sunt, illa die nullam pitantiam, vel testamentariam eleemosynam dabit, sed Missas quæ reliquæ fuerint distribuet Clericis non obstrictis, & ijs qui melius inseruierint Ecclesiæ. Et om-

Concil. Mediolan. IV. par. 2. tit. Quæ pertinent ad Missæ sacrifie. & Synod. præced. cap. 2.

omnium computus & rationes habeat ipse Collector, eaque ad Nos in fine cuiusque anni transmittet, vt cognoscamus quòd anniuersarijs, Capellanijs, Testamentis, & pitantijs eiusmodi satisfactum sit.

Cap. X.

Indorum Parochis non famulentur mulieres.

Cap. Oportet dist. 81. & pluribus seqq.

AD occurrendum incommodis, quæ nascuntur,& nasci solent. ex eo quòd Indorum Parochi mulieres famulas adhibeant, & malis exemplis quæ inter ipsos Indos inde oriri possunt; statuimus, & præcipimus, vt in posterum nullus Indorũ Parochus habeat in suo famulatu, societate,vel domo vllam mulierem, cuiuscunque qualitatis sit iuuenis aut vetula, sub pœna centum pesorum, qui pro nostra dispositione applicabuntur, & sub alijs pœnis arbitrio nostro imponendis.

Cap. XI.

Nullus Clericus maiorum vel minorum ordinum vllo ludo ludat.

Cap. Clerici officia de vit. & honest. cleric. lib. 3. & cap. inter dilectos lib. 5. de excessibus prælat.

Gloss. ibidem. verb. voluptuosos.

VT multis, magnisque incommodis,& malis exemplis,quæ ex Clericorum ludis nasci consueuerunt, obuiemus, remedium applicare volentes, districtè statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, vt posthàc nullus Clericus in sacris ordinibus constitutus vllum ludum, ex illis etiam quos iura permittunt, ludat, pro maiori quantitate quam duorum pesorum currentium, singulorum valoris nouẽ Regalium, idq; pro ientaculo, cœnula, vel prandio, & semel tantùm intra viginti quatuor horas. Quod si plures clerici, vel cum ipsis etiam laici ludant, non licebit singulis dictos duos pesos ludo exponere, sed hæc ipsa quantitas inter omnes diuisa perdendo lucrandoq; seruetur; ita vt inter omnes nõ ampliùs ludatur, quam pro dictis duobus pesis, & ad præmissum effectum collationis, sub pœna perdendi quidquid sic lucrando perdendouè luserint,& reuincentibus duplum luendi, & prætereà centum pesorum, vulgò *ensayados*, & alijs pœnis ad nostrum arbitrium infligendis; quorum distributionem nostræ dispositioni reseruamus. Eosdemque, prout exhortamur, exhortando, vt recolant censuras per proximum Concilium prouinciale præteritum anni 1583. sibi impositas. Act. 3. c. 17. Et idipsum præcipimus, vt seruent & compleant Clerici minorum ordinum, aliquod Beneficium habentes,sub ijsdem præmissis pœnis. Et Vicarij & Iudices qui in earundem pœnarũ executione negligentes fuerint, easdem in duplum incurrent. Et tam ipsi, quam dicti clerici easdẽ luent, quantumcunq; longum tempus post ludum transierit.

Cap. XII.

Indorum doctrinales Parochi nihil omnino ludant chartis.

QVia plurimum refert, quòd Parochi,qui in Indorum oppidis resident,in id solùm intendant, vt bonæ suæ, seiunctæq; vitæ exemplis animas curæ suæ commissas ædificent,& in fidei mysterijs instruãt: cui rei cùm plurimum obsistat ludus chartarum, maximè si exorbitans sit: Nos volentes peculiare & exactũ Concil. prou. I. Act. 3. c. 17.

remedium adhibere, ordinamus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, quòd nemo deinceps Indorum Parochus vllam omninò rem seu magnæ, seu paruæ quantitatis ludat chartis, nec pro vllius generis collatione. Quod obseruent & compleant etiam in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna perdendi in duplum, quidquid eiusmodi chartarũ ludo lucrando, perdendo, vel reuincendo luserint; & præterea pesos vulgò *ensayados* ducentos ad nostrã dispositionem, & sub alijs pœnis arbitrio nostro imponendis; eosdemque hortamur, vt recolant pariter censuras in Cõcilio Prouinciali anni 1583. vt dictum est impositas. Et Vicarij qui in harum pœnarum executione negligentes fuerint, easdem ipsi duplicatas persoluent. Easdemque incurrent post quodcunq; spacium temporis transactũ, ab eiusmodi talium Clericorum lusu.

Cap. XIII.

Indorum Parochi in administratione sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ seruent conuenientem decentiam.

Concil. prou. I. Act. 2. c. 19.

INdorum Parochi in administrãdo sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ad infirmorum viaticum, maximoperè curent, vt præcedat crux, & cerei accensi; & vt locus in quo ministrandum fuerit Sacramẽtum, sit mundus & honestè compositus: habeantq; custodiam argenteam, in qua supra corporale ipsi *induti mozetta* ferant sanctissimũ Sacramentum.

Cap. XIV.

In locis in quibus fuerint duo Sacerdotes, vel concursus Hispanorum, poterit conseruari sanctissimum Sacramentum.

Concil. prou. I. Act. 2. c. 21.

QVoniam in quibusdam Indorum oppidis nostri Archiepiscopatus sunt duo vel plures Parochi, & in alijs in quibus vnus solus est, solent esse Hispani, & ipsorum concursus; statuimus, quòd in Indorum locis, in quibus erunt duo vel plures Sacerdotes Parochi, possit conseruari sanctissimum Sacramentum, modo Ecclesiæ habeant bonas portas, seras, & claues, cum reliquis necessarijs. Itemq; in locis vnius tantùm Sacerdotis Parochi, in quibus fuerit concursus Hispanorum residentium ac domicilium ibidem habentium, possit pariter conseruari sanctissimum Sacramentum cum conditionibus portarum, serarum, & clauium alijsque necessarijs rebus vt supra.

Cap. XV.

Quando in Oppidis Indorum possit includi sanctissimum Sacramentum, & in processione portari die Iouis sancto, & in festo Corporis Christi.

IN Oppidis Indorum in quibus, vt dictum est, fuerint duo Parochi, sanctissimum Sacramentum *poterit includi* die Iouis sancto, & portari in processione in festo Corporis Christi. Idemque pariter fieri poterit in oppidis vnius Parochi, in quibus fuerit concursus Hispanorũ ibidem residentium, qui illis diebus præsentes sint.

In

Cap. XVI.
In diuinis officijs non adhibeantur candelæ sebaceæ.

QVoniam inaudiuimus quòd in Indorum oppidis in monumento septimanæ sanctæ, & in tenebrarum, alijsque officijs diuinis apponi solent [a] *candelæ sebaceæ*, quod valde indecens est, & causat magnā irreuerentiam: Statuimus & præcipimus, quòd Parochi non permittant, vt dicta officia diuina celebrentur cum candelis sebaceis, vel butyraceis instrumentis, nec vt apponantur ad monumentum vel sepolturas, vel alias partes, sub pœna quòd Parochus permittens soluat quinquaginta pesos, & quòd illi qui apposuerint, per Iudices & Visitatores castigentur.

Cap. XVII.
Indorum Parochi habeant duos magnos libros, in quorum vno scribent baptizatos, confirmatos, & matrimonio copulatos, & in altero bona Ecclesiæ.

Concil. Mediolan. I. par. 2. tit. de sacr. Bapt. & tit. de conseru. bonorum Ecclesiæ.

PRopter multa & grauia incommoda quæ oriri solent ex incuria habendi libros Ecclesiasticos, seu matriculas, Baptismi, Confirmationis, & Matrimonij; vnde fit, vt non habeantur illorum nomina qui baptizantur, confirmantur, & matrimonio iunguntur, quæ res plurimi refert, maximè inter Indos adeò rudes, vt aliquando dicant se non esse baptizatos; ita vt ad sciendam veritatem necesse sit ad eiusmodi libros recurrere; vt tam graui incommodo remedium apponamus, statuimus, & præcipimus, vt in posterum omnes Indorum Parochi habeant duos magnos libros chartæ benè compactos, & charta pergamena, vel corio tectos, in quorum altero conscribant, omnes baptizatos, confirmatos, & nuptos, designando baptizatorum nomina, cognomina, parentes, patrinos, & ministrum per quē baptizati vel matrimonio iuncti fuerint, & regionem, vulgò *parcialidad*, & oppidum, diemq; mensis, & annum, & Ecclesiam, in quibus baptizatus, vel matrimonio iunctus quisque fuerit, ac testes tunc præsentes sacramento, qui debent esse viri & numero duo, vel tres; & an baptizati, vel nupti sint legitimè nati. Et quia nobis constat, quòd soleant in libro matrimoniorum exprimi patrini N. & N. sed non testes tunc præsentes, ideò præcipimus, quod hinc deinceps exprimant, & expressè scribant in libro: *Testibus N. & N.* Habeant etiam alium librum, in quo describant bona & facultates Ecclesiæ: quos libros Parochi semper teneant in arcta custodia sub claue, quam ipsi Parochi seruabunt, nec ipsam confidant Indis, vel alij cuicunque. Quod totum obseruent & compleant; & habeant eiusmodi libros factos intra duos menses post primam publicationem huius Synodi, sub pœna centum pesorum currentium, pro nostra dispositione applicandorum.

 Nul-

Cap. XVIII.
Nullus Hispanorum itineretur diebus Dominicis aut festiuis.

Conc. Mediol. III. tit. de festorum dierum cultu.

Conc. prou. I. Act. 3. cap. 40.

VSque adeò in oppidis Indorum progressa est Hispanorum licentia non obseruandi dies Dominicos & festiuos, vt ex eisdem ante summum sacrum itinerentur. Quæ res tantum scandalum causauit, & causat indigenis, vt nos ad remedium applicandum obstrinxerint; statuimus igitur & præcipimus, quòd posthàc nullus Hispanus, vel alius cuiuscunque qualitatis fuerit, diebus Dominicis vel festiuis obseruandis arripiat, vel prosequatur iter sine causa vrgentissima, ac tùm quidem post summum sacrum & concionē. Et contra transgressores fiet informatio ad Vicarium remittenda. Et parochi populum huius constitutionis admoneant, eamq; declarent Indorum Præfectis, ne ante id tempus cōcedant baiulos Indos iter acturis.

Cap. XIX.
Indorum Parochi non exerceant prædia vel mercimonia.

Concil. prou. I. Act. 3. c. 4. & 5.

INdorum ædificationi plurimum obest, quòd ipsorum Parochi, habeant contractus, mercimonia, & exercitia prædiorū inter ipsos; quia, præterquàm quòd tot iuribus, Concilijs, & Constitutionibus negotiatio clericis interdicta sit, est etiam maximum detrimentum Doctrinæ, & prædicationis, quæ tanto studio, desiderioq; prætenduntur. Proinde statuimus & præcipimus, vt nemo clericorum inter Indos animarum curæ præfectus exerceat vllum genus negotiationis aut contractionis, vel alat aut habeat pecora, vel iumenta vectuaria quæcūque, vel sationes, aut agriculturam; non vineas nec molendina, non machinas, vulgò *ingenia*; vel alia instrumenta conficiendi saccari, vel mineralia; aut huiusmodi rei rusticæ labores, aut operas habeat, aut exerceat per se, vel per interpositas personas, sub pœna perdendi omnia cum fructibus, & principali lucro: Eosdem hortantes, prout exortamur, vt attendant ad censuras ipsis interminatas per Concilium prouinciale proximè præteritum anni 1583.

Cap. XX.
Nullus Indorum Parochus absque licentia extrahat, vel transferat corpora, vel ossa defunctorum ab vna Ecclesia ad aliam.

Concil. Mediolan. IV. tit. de funerib. & exequijs.

STatuimus item & præcipimus, quòd nullus post hac Indorum vel Hispanorum Parochus, Visitator, vel Vicarius possit extrahere, vel extrahat corpora Defunctorum ex Ecclesijs vel clatris, vt illas transferant ad nouas Ecclesias sine expressa licentia ad petitiónem partiū in scriptis obtenta. Et quando cum eiusmodi licentia transferentur, tunc visitatores, & qui ea transferent illa ducent in processione, in qua eleuata cruce pueri scholares recitabunt doctrinam Christianam. Et singularem adhibeant curam, ne ligna vel alias res vllæ veteris Ecclesiæ transeant in vsus prophanos, sed omnia applicentur Ecclesijs nouis, vel Xenodochijs: & locus veteris Ecclesiæ occludatur saxis vel vallo, ita vt greges vel bestiæ in eum ingredi non pos-

possint, vel loca ipsa vllo modo prophanari: & intus erigatur alta crux, vt cognoscatur fuisse Ecclesiã. Casu verò quo non extrahantur corpora, claudatur Ecclesia, & crux ad portã eleuetur, sub pœna, quòd aduersus contrauenientes cum omni rigore procedatur. Dictisq; nostris Vicarijs præcipimus quòd si aliqui in eisdem veteribus Ecclesijs lanam, victualia, vel alias res incluserint, ipsi eas statim sine mora vlla eijci faciant, in quo ipsorũ conscientias oneramus.

Cap. XXI.

Indorum Parochis nil detur pro administratione Sacramentorum.

Concil. prou. I. Act. 2. c. 38. QVoniam Indorum Parochis pro ipsorum sustentatione stipendium sufficiens assignatũ est, non expedit vt Indi pro vllius sacramenti administratione quidquã ipsis tribuant: ordinamus ergò & præcipimus, quòd in posterum dicti Indorum Parochi pro Sacramentorum administratione ab eisdẽ Indis nulla iura percipiant, vel percipere possint, nec pro quibuscunq; sepulturis, quamuis ijdem gratis dent, vel consuetudo ferat contrarium: sed in his

Act. 2. c. 32. obseruentur Decreta vltimi Concilij Prouincialis præteriti anni 1583. Cum illis autem Indis qui habitationem & domicilium habent in oppidis Hispanorum qui plerumq; sunt magis instructi in fide, & quibus placet morem Hispanorum sequi, in sepulturis & reliquis obseruetur laudabilis consuetudo loci. Quæ dicti Indorum Parochi obseruẽt, & adimpleant, sub pœna perdendi, quidquid sic ab Indis, seu petitum, seu gratis datum acceperint, vt dictum est, cum quadruplo tanto, & alijs pœnis nostro arbitrio infligendis.

Cap. XXII.

Indorum Parochi curent construi Xenodochia.

CVm Hospitalium cura in Indorum oppidis ad colligendos & fouendos infirmos necessaria parùm agatur, statuimus & præcipimus, quòd Indicorum oppidorum Parochi deinceps curam gerant peculiarem, vt in locis in quibus Hospitalia non fuerint, in eisdem construantur; ita vt, quantum fieri possit, vbique habeantur. Et vbi fuerint, sint medicinis & reliquis necessarijs instructa, bene ornata, & munda, vt in illis sanctissima Sacramenta indigentibus decenter administrari possint: Et locorũ præfecti per pecunias ad Hospitalia spectantes assistere debeant. Concil. Nicæn. Alf. Pisan. l. 3. can. 70.

Cap. XXIII.

Parochi qui in casibus permissis alienos Parochianos matrimonio iunxerint, vel baptizauerint, mittant rei testimonia ad proprios ipsorum Parochos.

OMnes posthàc, tàm Hispanorum, quàm Indorum Parochi: qui permissu iuris, vel commissione, alienæ Parochiæ quempiam baptizauerint, vel matrimonio iunxerint, curam adhibebunt mittendi rei gestæ testimonium ad proprium baptizatorum vel copulatorum Parochum, vt illos in suo libro notet. Et hic vicissim eos ita notet, & scribat in suis libris, cùm eiusmodi testimonium acceperit: quod vterque præstabit, & perficiet, sub pœna centum In hac Synodo supra cap. 17.

tum

tum pesorum currentium pro singulis vicibus omissionis: admonentes, quòd contra omittentes cum omni rigore procedetur. Idemque sub ijsdem pœnis præcipimus Parochis, in quorum Parochia aliquis alienæ Parochiæ confirmabitur.

Cap. XXIV.

Indorum Parochi doceant Catechismum factum in Concilio Prouinciali.

Concil. prou. I. Act. 2. c. 3. & 4.

OMnes totius nostri Archiepiscopatus Indorum Parochos exhortamur, eisdemque in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, vt magna cura ac diligentia doceant suos Parochianos Catechismum ac Doctrinam factam in Concilio Prouinciali anni 1583. secundũ quod, & quemadmodum per idem Concilium ordinatum est, id ex animo faciendo tanquam rem, quæ obsequij Dei Domini nostri, & profectus Doctrinarum plurimum refert, occupando se in illo, & relinquendo omnes negotiationes sęculares & lusus, prout seruos Dei & sanctæ eius legis & Euãgelij pędicatores decet.

Cap. XXV.

Indorum Parochi doceant pueros Scholares legere per Catechismum.

Concil. prou. I. Act. 2. c. 43.

INdorum Parochi magnam deinceps curã adhibebunt, vt pueri Scholares suæ doctrinæ, & curæ pastoralis legant & discãt ex Catechismis, & libellis per sacrum Conciliũ prouinciale confectis; & quòd puerorum quisque, quantum fieri possit, habeat suum, adsintq; magistri, qui ipsos doceant, ipsiq; Parochi se, quantũ possint, in eosdem instruendo occupent, obsequium in hoc facturi Deo. Et cum locorum Rectoribus agant, vt iubeant ex bonis cõmunitatis solui stipendia magistrorũ, qui docebunt; cùm hoc sit bonum commune: itemq; de Catechismis & libellis prouideant ijdem Rectores pauperibus pueris, qui eos procurare sibi non poterunt.

Cap. XXVI.

Parochi designent personam quæ gerat curam, vt Indi frequententur Missas & doctrinam.

VT Indi posthàc Missas, vel doctrinam non omittant, & vt sciri possit, qui in eo seduli, quique negligentes futuri sint, expedit omnino, vt Indorum Parochi habeant personas designatas, ac diligentes ex ipsis Indis, quæ absentiæ rationem notent, assignato cuique certo numero, vel parte populi, prout expedire videbitur. Proinde eosdem Parochos hortamur, eisq; præcipimus, vt huiusmodi personas, vt dictum est, designent, quarum quæque assignatæ sibi partis rationem habeat & eisdem Parochis reddant, vt in omnibus seruiatur Deo, nec sit in eius obsequio defectus. Concil. prou. I. Act. 2. c. 4. & 5.

Cap. XXVII.

Parochi de Ecclesiarum, & Hospitalium statu moneant Antistites.

STatuimus & præcipimus, vt Indorum Parochi posthàc peculiarem curam gerent instruendi Nos de necessitatibus Ecclesiarũ, & Hospitalium, vt congruum remedium singulis apponere possimus.

Indo-

Cap. XXVIII.

Indorum Parochi moneant suos Parochianos de impedimentis matrimonij.

Concil. prou. I. Act. 2. cap. 34.

INdorum Parochi specialem deinceps curā gerent docendi suos subditos impedimenta matrimonij, ea ipsis declarando in Ecclesia, dum copulari cupientes instruunt. Deinde sic benè instructos, & regionum *Caziques* seu præfectos singulariter examinabunt, an iungendi habeant aliquod huiusmodi impedimentum: Et admonitiones in posterum publicè fient sub Missa maiori per tres dies continuos festiuè seruandos, & ad abundantiorem cautelam fient aliæ tres admonitiones particulares intra septimanam temporibus Catechismi, propter Indorum ruditatem, illæq; tres admonitiones quæ diebus festiuis faciendæ sint, fiant, tùm in oppido, in quo resederit Parochus, tùm etiam in quo coniungendi domicilium habuerint, in omnibus obseruando Decretum sacri Concilij Trident. Quod facient & implebunt, sub pœna quinquaginta pesorum negligentibus toties, quoties imponenda.

Sess. 24. cap. 1. &c. de sacram. Matrimonij.

Cap. XXIX.

Ne Clerici filios Domi habeant.

Filius ambulās super terrā testatur patris incontinentiam. Dist. 92. cap. Propofuisti, in glos. 6.

CVm indecorum sit, & mali exempli seminarium, iure & sacris Constitutionibus adeò prohibitū, vt Clerici filios domi habeant; Nos volentes obuiare incommodis quæ inde nasci possent, statuimus & præcipimus, ne vllus in posterum Clericus possit suæ domi filium suū, vel eius matrem retinere, sub pœna quinquaginta pesorum; quòd si nihilominus pertinaces extiterint, procedetur contra ipsos vsque ad suspensionem & priuationē Beneficij.

Cap. XXX.

In Indorum locis ad collectionem Decimarum Parochi præsentes assistant.

QVoniam, vt accepimus, ij qui decimas in Indorum locis colligunt, eosdem Indos varijs grauaminibus & extortionibus vexant, plus exigendo, quàm illi reddere tenentur, cùm minus capaces & miserabiles sint. Nos opportunum remedium tanti momenti malo prouidere volentes, statuimus & præcipimus, vt posthàc, dum in Indorum locis, decimæ colliguntur, loci Parochus præsens assistat, eique iniungimus; vt magnopere curet, ne Indi grauentur, vel vllam patiantur molestiam.

Cap. XXXI.

Parochi colligant tres Nouenas.

OMnes Indorum Parochi diligenter colligant tres nouenas quæ ex ipsarum institutione per Concilium prouinciale anni 1583. Ecclesijs & Hospitalibus applicatæ sunt, adhibēdo in ea collectione omnem diligentiam quæ in casu conueniat.

Act. 3. cap. 11. De his Nouenis infra Synod. IV. cap. 29.

Nullus

Cap. XXXII.
Nullus Sacerdos habeat plures equos quam duos.

QVoniam pluralitas equorum Sacerdotis plura damna & labores Indis adferre solet, statuimus quòd in posterum nullus Indorum Parochus alat plures equos quam duos, quemadmodum per constitutiones huius Archiepiscopatus ipsis ordinatum est, sub pœna reliquos quos habuerint, perdendi. Et duo, qui cõdemnatis relinquendi fuerint, designabuntur ad arbitrium Iudicis proferentis sententiam ex omnibus quos habuerit.

Cap. XXXIII.
Parochi non deserant residentiam sine licentia.

Conc. Trident. sess.6.cap.1. de reform.

PRopter multa incommoda quæ ex Parochorum absentia inter Indos accidere solet, cùm horũ plures interim sine sacramentis, & alijs necessarijs moriantur, magno Parochianorum detrimento. Nos districtum remedium adhibere volentes, ordinamus & præcipimus, quod nullus deinceps Clericus Hispanorum vel Indorum animarum curæ vel doctrinæ præfectus, se ad vllam partem ab illa absentet, sine expressa licentia Antistitis in scriptis obtenta, sub pœna quatuor pesorum, vulgò *ensayados*, & amissionis stipendij, quod lucraretur ex doctrina pro singulis diebus quibus absuerit ab eadem doctrina. Vicarij verò qui in harum pœnarum executione negligentes deprehensi fuerint, easdem ipsi duplicatas incurrent. Et perdent pariter stipendium quod lucrarentur tempore absentiæ si adessent, etiamsi alium sui loco relinquant. Et in has dictas pœnas incidunt propter inobseruantiam eorum quæ tam seriò illis iniunguntur, ne à suis doctrinis discedant absque licentia in scriptis habita. Nec nostri Vicarij possint huiusmodi licentiã concedere. Quoad absentiam autem quæ fit causa confitendi sua peccata, obseruetur Decretum Concilij Prouincialis anni 1567. Ipsisque iniungimus, quod quando sic absuerint, id fiat absque detrimento doctrinæ, & Parochianorum.

Cap. XXXIV.
Doctrinarum Parochi inde non recedant ad exigendum salarium.

INcommodis capite præcedente relatis, alijsq; prouenientibus ex eo quòd doctrinarũ Parochi ab Ecclesijs discedant ad æraria, vulgò *cajas*, & ad congressus, intuitu exigendi sua salaria, remediũ adhibere volentes, & quoniã ex huiusmodi congressibus non solùm sequuntur Parochianorum iam relata damna, sed quòd, vt percepimus, in illis se occupent in lusu, & contractationibus, & alijs rebus ipsorum officium & statum minimè decentibus. Statuimus ac districtè præcipimus, vt dehinc nullus Indorum Parochus recedat à sua doctrina vllo modo ad exigendum salarium, sub pœna quatuor pesorum, vulgò *ensayados* supradictorum pro singulis diebus absentiæ, ac prætereà centum pesorum, vulgò *ensayados*, pro singulis vicibus quibus abierint ad eiusmodi æraria, pro nostra dispositione applicando-

rum;

rum: Et Vicarij qui in dictis pœnis exequendis remissi fuerint, in easdem duplicatas incurrent: Quandoquidem illi Parochi salaria sua recuperare possint, mittendo mandatum & procuratoriam potestatem, cum aliquo alio ad ea exigenda, ad Sacerdotem doctrinæ loci in quo ærariū consistit, vel ad aliū quem voluerit.

Cap. XXXV.

Vicarij & Iudices Ecclesiastici non permittant, vt Clerici vel alij Iudices sæculares sumant informationes de debitis & absentijs Parochorum Indicorum.

Conc. Later. sess. 10. in Bulla Regimini Vniversalis.

QVoniam, vt percipimus, Indicorum oppidorum Præfecti seu Correctores contra omne ius instituūt probationes æris alieni, quod Indorum Parochi debent eisdem Indis, atque ipsis ea soluant, Parochorumq; salarijs tantundem subtrahant: Idemque circa eorundem Parochorum absentias faciunt, subtrahendo pariter ipsorum salario stipēdia temporis quo abesse deprehenduntur, adeò præter iustitiam & rationem, vt iam in consuetudinem id introductum videatur. Proindè, vt nos tanto præiudicio libertatis ecclesiasticæ remedium apponamus: Statuimus & præcipimus omnibus nostris Vicarijs & Iudicibus ecclesiasticis, vt nullo modo permittant, quòd dicti Correctores, vel alij Iudices seculares instituant eiusmodi probationes, aut informationes; nec propter Parochorum absentias salaria sua, vel Synodos ipsis retineant; cū omnium dictarum causarum, & applicationum, & defectus doctrinæ cognitio ad nos pertineat, & ad nostros Iudices Ecclesiasticos, & vt cōtra ipsos cum omni iuris rigore procedant. Quod vt perficiant & adimpleant præcipimus, commonendo quòd contra ipsos alioquin rigidè procedetur. Eosdemque Iudices sæculares, vti hortamur, exhortantes, vt meminerint cēsuras transgressoribus huiusmodi in iure impositas. Potestatemq; facimus, & committimus Parochis doctrinarum, in quibus erunt æraria communitatum, ex quibus penduntur ipsorum salaria, vt cognoscant debita, quæ Sacerdotes doctrinæ suæ Indis debuerint, & faciant ea solui. Et ad omnia hæc & reliqua illis annexa, vel ab eis dependentia, nostras vices illis cōmittimus, in quantum possumus, & iura permittunt; & vt ad eiusmodi cognitiones possint creare & nominare Notarios & reliquos necessarios ministros, non permittendo vt vllus Sacerdos ad dicta æraria, ad litigandum accedat; sed tantummodo mittat potestatem alicui personæ: quam facultatem, & commissionem nos damus etiam ipsis Sacerdotibus qui resident in locis ærariorum ad hoc, vt clarè compertis absentijs, & quòd alij Sacerdotes propter dictas absentias amiserint stipendia, quæ vocant defectus, eosdem Sacerdotes in tanto condemnent iuxta dispositionem iuris & S. Concil. Trident. & Constitutionū huius Archiepiscopatus, & voluntatem Regiæ Maiestatis, applicando stipendia sic propter residentiæ defectum amissa, vel fabricis ipsarum doctrinarum, vel pauperibus Indis earumdem, ordinando, vt ad hunc effectum in eisdem ærarijs remaneant, prout à Sua Maiestate iam ordinatum est, dictamq; applicatio-

Cap. XXXII.
Nullus Sacerdos habeat plures equos quam duos.

QVoniam pluralitas equorum Sacerdotis plura damna & labores Indis adferre solet, statuimus quòd in posterum nullus Indorum Parochus alat plures equos quam duos, quemadmodum per constitutiones huius Archiepiscopatus ipsis ordinatum est, sub pœna reliquos quos habuerint, perdendi. Et duo, qui cōdemnatis relinquendi fuerint, designabuntur ad arbitrium Iudicis proferentis sententiam ex omnibus quos habuerit.

Cap. XXXIII.
Parochi non deserant residentiam sine licentia.

Conc. Trident. sess.6.cap.1. de reform.

PRopter multa incommoda quæ ex Parochorum absentia inter Indos accidere solet, cùm horū plures interim sine sacramentis, & alijs necessarijs moriantur, magno Parochianorum detrimento. Nos districtum remedium adhibere volentes, ordinamus & præcipimus, quod nullus deinceps Clericus Hispanorum vel Indorum animarum curæ, vel doctrinæ præfectus, se ad vllam partem ab illa absentet, sine expressa licentia Antistitis in scriptis obtenta, sub pœna quatuor pesorum, vulgò *ensayados*, & amissionis stipendij, quod lucraretur ex doctrina pro singulis diebus quibus abfuerit ab eadem doctrina. Vicarij verò qui in harum pœnarum executione negligentes deprehensi fuerint, easdem ipsi duplicatas incurrent. Et perdent pariter stipendium quod lucrarentur tempore absentiæ si adessent, etiamsi alium sui loco relinquant. Et in has dictas pœnas incidunt propter inobseruantiam eorum quæ tam seriò illis iniunguntur, ne à suis doctrinis discedant absque licentia in scriptis habita. Nec nostri Vicarij possint huiusmodi licentiā concedere. Quoad absentiam autem quæ fit causa confitendi sua peccata, obseruetur Decretum Concilij Prouincialis anni 1567. Ipsisque iniungimus, quod quando sic absuerint, id fiat absque detrimento doctrinæ, & Parochianorum.

Cap. XXXIV.
Doctrinarum Parochi inde non recedant ad exigendum salarium.

INcommodis capite præcedente relatis, alijsq; prouenientibus ex eo quòd doctrinarū Parochi ab Ecclesijs discedant ad æraria, vulgò *cajas*, & ad congressus, intuitu exigendi sua salaria, remediū adhibere volentes, & quoniā ex huiusmodi congressibus non solùm sequuntur Parochianorum iam relata damna, sed quòd, vt percepimus, in illis se occupent in lusu, & contractationibus, & alijs rebus ipsorum officium & statum minimè decentibus. Statuimus ac districtè præcipimus, vt dehinc nullus Indorum Parochus recedat à sua doctrina vllo modo ad exigendum salarium, sub pœna quatuor pesorum, vulgò *ensayados* supradictorum pro singulis diebus absentiæ, ac prætereà centum pesorum, vulgò *ensayados*, pro singulis vicibus quibus abierint ad eiusmodi æraria, pro nostra dispositione applicandorum;

rum: Et Vicarij qui in dictis pœnis exequendis remissi fuerint, in easdem duplicatas incurrent: Quandoquidem illi Parochi salaria sua recuperare possint, mittendo mandatum & procuratoriam potestatem, cum aliquo alio ad ea exigenda, ad Sacerdotem doctrinæ loci in quo ærariũ consistit, vel ad aliũ quem voluerit.

Cap. XXXV.

Vicarij & Iudices Ecclesiastici non permittant, vt Clerici vel alij Iudices sæculares sumant informationes de debitis & absentijs Parochorum Indicorum.

Concil. Later. sess. 10. in Bulla Regimini Vniuersalis.

QVoniam, vt percipimus, Indicorum oppidorum Præfecti seu Correctores contra omne ius instituũt probationes æris alieni, quod Indorum Parochi debent eisdem Indis, atque ipsis ea soluant, Parochorumq; salarijs tantundem subtrahant: Idemque circa eorundem Parochorum absentias faciunt, subtrahendo pariter ipsorum salario stipẽdia temporis quo abesse deprehenduntur, adeò præter iustitiam & rationem, vt iam in consuetudinem id introductum videatur. Proindè, vt nos tanto præiudicio libertatis ecclesiasticæ remedium apponamus: Statuimus & præcipimus omnibus nostris Vicarijs & Iudicibus ecclesiasticis, vt nullo modo permittant, quòd dicti Correctores, vel alij Iudices sæculares instituant eiusmodi probationes, aut informationes; nec propter Parochorum absentias salaria sua, vel Synodos ipsis retineant; cũ omnium dictarum causarum, & applicationum, & defectus doctrinæ cognitio ad nos pertineat, & ad nostros Iudices Ecclesiasticos, & vt cõtra ipsos cum omni iuris rigore procedant. Quod vt perficiant & adimpleant præcipimus, commonendo quòd contra ipsos alioquin rigidè procedetur. Eosdemque Iudices sæculares, vti hortamur, exhortantes, vt meminerint cẽsuras transgressoribus huiusmodi in iure impositas. Potestatemq; facimus, & committimus Parochis doctrinarum, in quibus erunt æraria communitatum, ex quibus penduntur ipsorum salaria, vt cognoscant debita, quæ Sacerdotes doctrinæ suæ Indis debuerint, & faciant ea solui. Et ad omnia hæc & reliqua illis annexa, vel ab eis dependentia, nostras vices illis cõmittimus, in quantum possumus, & iura permittunt; & vt ad eiusmodi cognitiones possint creare & nominare Notarios & reliquos necessarios ministros, non permittendo vt vllus Sacerdos ad dicta æraria, ad litigandum accedat; sed tantummodo mittat potestatem alicui personæ: quam facultatem, & commissionem nos damus etiam ipsis Sacerdotibus qui resident in locis ærariorum ad hoc, vt clarè compertis absentijs, & quòd alij Sacerdotes propter dictas absentias amiserint stipendia, quæ vocant defectus, eosdem Sacerdotes in tanto condemnent iuxta dispositionem iuris & S. Concil. Trident. & Constitutionũ huius Archiepiscopatus, & voluntatem Regiæ Maiestatis, applicando stipendia sic propter residentiæ defectum amissa, vel fabricis ipsarum doctrinarum, vel pauperibus Indis earumdem, ordinando, vt ad hunc effectum in eisdem ærarijs remaneant, prout à Sua Maiestate iam ordinatum est, dictumq; applicatio-

cationem ac distributionem statim executioni mandando; ita vt illa pecunia in poenam subtracta statim expendatur. Nos prius, & [a] Antistitem certiores reddendo de quantitate existentis pecuniæ, ac de necessitate Ecclesiæ & ipsorum, vt prouideant de modo quo expendenda fit.

a Fortè Prouisorem seu Vicarium generalem vel etiam Archiep. pro tempore futurum.

Cap. XXXVI.

Vicarij singulis annis informent Nos, vel nostrum Prouisorem de vita, doctrina, & moribus clericorum sui districtus.

IVstissimum est vt Sacerdotes & Clericos honestè & laudabiliter conuersantes, ac litteris sufficientes, iuxta ipsorum bonam vitam & merita, remunerandi ratio habeatur, & vt ipsorum notitia ad hunc effectum apud nos existat. Hinc statuimus, & Archiepiscopatus nostri vicarijs præcipimus, vt singulis annis mittant relationem eiusmodi clericorum bonæ vitæ, famæ, & litteraturæ, vt dictum est, idque tam secretè, vt nullum scandalum, vel infamia resultet clericis qui aliter viuunt, vt ipsorum statui, actui, ac dignitati conuenit, & iustum est: eosdem vicarios monentes, quòd si in hoc præstando negligentes fuerint, contra ipsos rigidè procedetur. Similemque rationem secretissimè mittent de concubinarijs, lusoribus, & alijs personis, quæ publicè malè viuunt, & christianæ reipublicæ scandalum præbent, vt nos prouideamus quod conscientiæ nostræ puritati, & ipsorum animarum saluti congruere videbitur.

Cap. XXXVII.

Nominantur Testes Synodales.

IVxta decretum proximè præteriti Concilij Prouincialis anni 1583. nominamus Testes Synodales in ciuitate Regum, nostrum Prouisorem, & Doctorem D. Stephanum Vosmediano cantorem, Canonicum medel, & Doctorem Balbao, & Doctorem Roca: & in reliquis ciuitatibus, oppidis, & locis Prouinciæ, nostros vicarios. Qui debeant diligenter ac discretè inquirere res dignas correctione & reformatione, sine strepitu iudiciali, sed solummodò res eiusmodi remedio dignas notando, simul cum testibus qui eas nouerint, à quibus non sument iuramentum: & specialiter nosse & inquirere debeant, qualiter obseruentur sacrum Concilium Tridentinum, Concilia Prouincialia, & reliquæ constitutiones huius Archiepiscopatus. Ipsique testes Synodales debeant præstare iuramentum in forma iuris, & officium suum benè, fideliter, & perfectè adimplere, postposito quocunque affectu humano. Et quidquid sic fecerint, ferent ad nos pro prima synodo quam celebrabimus, & ad primum futurum Concilium Prouinciale.

Act.4.cap.15.

Cap. XXXVIII.

Examinatores Beneficiorum.

SAcri Concilij Tridentini præcepto parentes, quod in Synodis Diœcesanis nominentur examinatores beneficiorum, & curæ animarum, eos nominauimus, qui sufficientes nobis visi sunt, eosdem

Sess.14.cap.18. Conc. prou. I. Act. 4. c. 17.

dem qui nominati sunt in præterita synodo anni 1584. debentque præstare iuramentum officio suo benè & fideliter fungendi, iuxtà Decreta eiusdem Concilij Tridentini.

Cap. XXXIX.

Hispanorum Indorumque Parochi & Iudices Ecclesiastici habeant Catechismum & Concilia Prouincialia, ac Synodos huius Archiepiscopatus.

Conc. prou. 1. Act. 4. cap. 24. & Act. 5. cap. 2. & 3.

QVoniam vt Parochi & Vicarij, & Iudices Ecclesiastici tam Indorum, quam Hispanorum non possint prætendere ignorãtiam, & vt melius sciant, quid ipsos facecere oporteat, plurimum interest, apud se habere Synodos tam prouinciales, quam diœcesanas. Propterea statuimus & præcipimus, quòd omnes deinceps dicti Vicarij, Iudices, & Parochi habeant eadem concilia, & synodos, quantum ad ipsos pertinebit. Ijdemque Parochi habeant catechismum, sermones, & confessionariũ iussu Concilij prouincialis proximè preteriti anni 1583. composita, & impressa, ac iussa, vt in vsum inducerentur, nec ijs vel alio catechismo vel confessionario manuscriptis vtantur, vel alios vti permittant. propter errores quæ transcribendo irrepere possunt: idemque in sermonibus obseruetur, postquam impressi fuerint. Quod sic faciant & impleant in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna centum pesorum vulgò *ensayados* nostra dispositione applicatorum. Eosdemque monemus, quòd contra delinquentes cum magna demõstratione ad exemplarem castigationem procedetur; Illaque concilia & synodos habeant ijdem Parrochi, Vicarij, & Iudices Ecclesiastici intra duos menses à prima publicatione præsentis synodi sub pœna centum pesorum vulgò *ensayados* ad nostram dispositionem, & sub alijs pœnis nostro arbitrio imponendis. Et Parrochi pariter catechismum & confessionarium iam impressa, & sermones intra duos menses, postquam impressi fuerint, sub ijsdem pœnis habeant.

Cap. XL.

Præfecti Oppidorum non cognoscant causas Idololatriæ.

QVoniam secularibus Iudicibus prohibita est cognitio Idololatriæ, cæremoniarum, & superstitionum; ordinamus, & præcipimus, vt in posterum nostri vicarij, & Iudices ecclesiastici non permittant, quòd eiusmodi seculares cognoscant id genus causas, vel alias merè ecclesiasticas, cùm id sit ipsis tot censuris interdictũ. Quod si ea neglexerint, cum omni rigore contra eos procedatur.

Iul. III. constit. 2. licet à diuersis 1551.

Cap. XLI.

Clerici non visitent Moniales absque expressa licentia.

COnstitutione synodi huius Archiepiscopatus iam statutum est, vt nullus clericus in sacris ordinibus constitutus, vel etiam in minoribus ecclesiasticum beneficium habens, visitet moniales propter incommoda, & detrimenta quæ inde nascuntur, perdendo tempus quod non parum refert eorum, qui id melius impendere tenentur; Et quo-

Conc. prou. 1. Act. 3. c. 35. Synod. 1. diœcef. cap. 17.

niam instructi sumus, quòd non solum non obseruentur illæ constitutiones, sed quòd nimium etiam in aduersum excedatur, volentes huic malo necessarium remedium opponere, præcipimus in virtute sanctæ obedienriæ, & sub pœna quinquaginta pesorum dispositione nostra applicandorum, & alijs pœnis arbitrarijs, toties, quoties luendis, quòd nullus eiusmodi clericus visitet vllam monialem sine expressa licenria nostra, vel nostri Prouisoris in scriptis obtenta. Eisdemque monialibus in vitrute sanctæ obedientiæ præcipimus, quòd nulli tali clerico loquantur, nisi priùs visa & cognita tali scripta licentia. Nec præfectæ, vel Abbatissæ id permittant: quibus etiam iniungimus, nè facilè concedant licentiam, vt seculares eum ipsarum Monialibus colloquantur, præter ipsarum proprios genitores, & germanos fratres, nec hos etiam crebrò, nec eas absque auscultatrice ad crates dimittant; in quo ipsarum conscientias oneramus, vt in hoc obseruando seriam diligenriam, & sedulam curam adhibeanr, cùm ex aduerso Dei offensio, temporis perditio, & conscientiarum distractio dictis moniablibus oriri possint.

Cap. XLII.

Clerici diebus dominicis, & festiuis frequentent Ecclesias Cathedrales.

Concil. prou. 1. Act. 3. cap. 25.

HVius Archiepiscopatus Synodo constitutum est, vt clerici, quamuis sola prima tonsura initiati ordinariè frequentent Ecclesiam cathedralem, & Parochialem, superpellicеis induti, ad primas & secundas vesperas dominicales, & festiuas, etiamsi nullam in eis præbendam hadeant; & cum eiusmodi constitutio ea, qua oportet, cura non obseruetur. Nos districtius reremedium adhibentes, ordinamus, & præcipimus, quòd omnes post hac clerici, etiam vel sola prima tonsura initiati, intra ciuitatem Regum ad primas, & secundas vesperas, & ad tertiam, & summum sacrum diebus dominicis & alijs festiuè colendis accedant cum suis superpelliceis Ecclesiam cathedralem eiusdem; nec illis horis absque nostra, vel nostri Prouisoris licentia in scriptis vllatenus absint, sub pœna vnius pesi pro nostra dispositione applicandi, alijsque arbitrarijs, toties quoties abfuerint. In alijs autem partibus extra dictam ciuitatem eisdem diebus & horis sub ijsdem pœnis accedent Ecclesiam parochialem loci. Et iuxtà decreta Sac. Conc. Trid. clericos per nos ordinatos, & qui inposterum otdinati fuerint, adscribimus dictæ Ecclesiæ cathedrali Regum, & in alijs partibus Ecclesiæ Parochiali loci, vt in eisdem exerceant ordines, quibus initiati fuerint.

Cap. XLIII.

Prouisores Vicarij, & Parochi faciant, vt Clerici minorum Ordinum eosdem exerceant in Ecclesijs Cathedralibus, & Parochialibus.

HOrtamur & præcipimus nostro prouisori, Vicarijs, & Parochis, vt post hac prouideant, quòd clerici minoribus ordinibus initiati eorumque quilibet eum ordinem

Concil. Mediol. V. de initiandis.

dinem quem habet, & non alius, qui eundem non habet, exerceant in Ecclesijs cathedralibus, & parochialibus, quibus adscripti sunt, assignando illis ex fabrica iuxta facultates Ecclesiæ stipendium aliquod sui ministerij, in omnibus obseruando, & executioni mandando, quod Sacri Concilij Tridentini decreto constitutum est.

Cap. XLIV.
Hispanorum, Indorumque Parochi prædicent diebus Dominicis, & festiuis solemnibus.

Trid. sess. 24. c. 4. de refor.

STatuimus item, & præcipimus, vt omnes in posterum, tam Indorum, quam Hispanorum Parochi prædicent suis Parochianis, diebus ad minus dominicis, & alijs solemnibus per annum, atque in Quadragesima, & Aduentu, tribus saltem in hebdomada. & alijs quibus id expedire videbitur, sub pœna sex pesorum singulis vicibus lucrda, quibus in dictis diebus dominicis & festis solemnibus, ac tribus septimanæ id omiserint, alijsque poenis pro arbitrio nostro; præterquàm, quòd aduersus negligentes per censuras, & alias poenas procedendum sit; Quòd si ijdem Parochi legitimè impediti fuerint, huiusmodi prædicationis officium ab alijs ad id idoneis fieri sub ijsdem poenis faciant. Quæ prædicatio, & dicentis, & audirorum capacitati accommodari debet, docendo res ipsorum saluti necessarias, & cum breuitate & facilitate verborum declarando vicia quæ vitare, & virtutes quas amplecti debeant, vt se ab æterna poena liberent, & gloriam consequi possint. Moneantque Parochi suos parochianos, quòd sermonem in sua parochia audire teneantur. Hortenturque, vt easdem debito affectu prosequantur, & ad Missas in eis audiendas frequentent.

Cap. XLV.
Indi non alant animalia, vulgò Cuyes.

QVoniam vt inaudiuimus Indi cum animalia, vulgò *Cuyes*, alunt, certos ritus & ceremonias cum eis exercenr, & vt incommodis quæ inde nasci possunt, omninò occurramus, statuimus& præcipimus, vt Indorum Parochi deinceps iubeant, & omni possibili modo procurent, ne Indi in suis ædibus, vel extrà, hæc animalia vulgo *Cuyes* alant. In quo diligentem curam adhibeant, eosdem Indos exhortando, & charitatiuè monendo, vt sic faciant & adimpleant.

Cap. XLVI.
Non fiat potus, vulgò Azua ex Sora vel Yuca.

STatuimus item, & præcipimus. quod post hac nemo, vel Hispanus, vel Indus, cuiuscunque qualitatis existant, [a] *faciat Azua* ex *Sora* cum mixtura *Yuca*; quoniam non solum sanitati nociua est, sed, vt percipimus, etiam perniciosa; quæ nimirum Indis ebrietatem, & mortem aliquibus afferre solet, ad magnam diuinæ bonitatis offensionem, sub poena perdendi quidquid dictæ Azuæ sic fecerint, & cantharos aliaque instrumenta quibus eam conficiant. Eosque monemus quòd contra

tra ipsos rigidè procedetur, nostrum Prouisorem cæterosque Iudices ecclesiasticos hortantes, vt contra transgressores ita procedant, congruas poenas illis imponentes: & ministros seculares enixè rogamus, vt circa hæc obseruantes sint.

Cap. XLVII.

Nemo Indis, cùm doctrinæ intersint, molestus sit.

Constit. Pauli III. tom. 8. Annal. Min. an. 1532.

AD hoc, vt Indi fideles promptiùs assistant Christianæ doctrinæ ijs diebus quibus interesse tenetur, Mercurij nimirum, & Veris. Statuimus & præcipimus quod nemo deinceps Hispanus, Indus, aut Niger, vel etiam persona quæcunque, sub specie dictos Indos ad suos rusticos labores conducendi, vllum impedimentum illis ponant, quandiu in doctrina versantur, vel eos inde extrahant, aut vllo modo perturbent.

Cap. XLVIII.

De reparatione, & erectione Ecclesiarum.

Conc. Mediol. IV. de Eccles. fabrica.

VIcarij Oppidorum & Prouinciarum, in quibus fuerint Ecclesiæ reparatione indigentes, post hac iubebunt vt reparentur, & cum opus fuerit, vt alicubi de nouo erigantur, Nos vel Prouisorem nostrum celeriter monebunt, vt necessitati prouideatur, & Ecclesiæ construi iubeantur.

Cap. XLIX.

Vt publicentur aliqua capita Concilij Tridentini.

IVxta Decreta Sac. Concil. Trid. sess. 23. c. 1. de refor. & in sess. 6. vbi agitur de residentia Prælatorum, ordinamus, quod dicta capita in Concilijs, & Synodis nostris publicentur: & præcipimus in præsenti hac Synodo publicari.

Cap. L.

Parochi habeant tabulas festorum.

TVm Indorum, tùm Hispanorum Parochi habeant tabulas festorum de præcepto per annum colendorum, & ieiuniorum ad quæ Indi tenentur: quas tabulas habere debent intra duos menses à publicatione huius synodi.

Cap. LI.

Parochi non permittant Indis ceremonias, vel ludos quos Taques *vocant.*

INdorum parochi peculiarem curam adhibeant, quod in festo Corporis Christi, vel eius octaua, aut alio quouis tempore non permittant Indis ceremonias, cantica, clamores vel instrumenta rituum suæ gentilitatis: Quod si ijdem Indi saltationes aliquas, vel cantica instituere voluerint, eas priùs examinent parochi. Et si constiterit Indorum quempiam aliquid præmissorum exercuisse, fiat informatio desuper & ad nos, vel nostrum prouisorem remittatur.

Ne-

Cap. LII.

Nemo compellat Indos laborare diebus festiuis quibus ipsi noluerint.

NEmo compellat Indos ad laborandum diebus festiuis, quos ipsi colore voluerint, cum ad id non sint obligati, & Parochi cõtra transgressores instituant informationem ad Vicarium remittendam, qui iustitiam seuerè prosequatur.

Cap. LIII.

Hispani qui inter Indos habitant, exhibeant Parochis schedam suæ confessionis.

HIspani qui in Indorũ oppidis habitauerint, teneantur deferre ad Parochos confessionis & communionis suæ schedas; & ipsi Parochi contra non deferentes procedant per informationem remittendam ad Vicarium Prouinciæ.

Cap. LIV.

Indi accedant Ecclesias ad doctrinam ijs diebus quibus intra septimanam tenentur.

QVoniam intelleximus, quod Indi quarundam operarum non frequentent doctrinam diebus quibus intra septimanam eos interesse consueuit, indeque offendatur Deus, & ipsi Indi ignorent Christianam doctrinam, & catechismum à sacro Concilio institutum; Proinde statuimus, & præcipimus, quod Indi qui in dictis operis laborauerint, in posterum teneantur ad doctrinam accedere Ecclesiam oppidi, in quo eiusmodi labores exercentur, illis diebus septimanæ quibus adesse debeant, nisi dominus laboritij habeat sacerdotem, qui iisdem diebus in ipso laboritio doctrinam illis declaret; qualem si non habuerit; Pastor oppidi eos accedere compellat. Vbi verò laboritium tam procul aberit, vt dictis diebus ad oppidum accedere non possint, prouideatur ipsis de sacerdote cum competenti salario, iuxtà constitutionem Cõcilij prouincialis anni 1583. Act. 3. c. 12. & vt Indi commodiùs ad operas egredi possint, præcipimus ipsorum parochis, vt summò manè doctrinam illis recitent; quemadmodum per constitutionem huius Archiepiscopatus ordinatum est: Act. 2. c. 3. 4. 5. & 6. eosdemque monemus, quod si manè ad hoc tempestiuè non surrexerint, seuerè castigabuntur. Vbi verò duo sacerdotes adstiterint doctrinæ alter eorum ad eam declarandum accedat ipsum locum laboritij, vt operæ commodiùs exerceantur:

Cap. LV.

Clerici inter se humaniter colloquantur, nec alant inimicitias.

NOstris Vicarijs, & Iudicibus Ecclesiasticis constituimus, Conc. Mediol. IV. in Monitionibus versus charitatem. & præcipimus, vt si aliqui Clerici in ipsorum districtibus ita inter se foueant inimicitias, vt nec inter se communicent, nec mutuò loquantur, adminùs quoad communes salurationes, contra eos procedant, eosque seuerè castigent.

Cap. LVI.

Appellationes, quas pars non prosequitur, pro desertis habeantur.

Conc. Lateran. III. in append. par. 7. cap. 19. & par. 50. c. 16.

QVoniam edocti sumus, quod multi Ecclesiastici & sæculares appellando à sententijs contra ipsos latis & pronunciatis, suas appellationes non prosequuntur, adeoque causæ indecisæ, delictaq; impunita manent. Statuimus & Iudicibus nostris Ecclesiasticis præcipimus, quòd cum aliquem à sententia appellare contigerit, assignent terminum competentem ad prosequendũ easdem appellationes, & reliquas diligentias legis dispositioni conuenientes adhibeant. Et si assignato termino pars quæ appellauerit non adhibuerit debitum studium causam suam prosequendi, vel intra terminum Iuris, cum nullus à Iudice assignatus fuerit, tunc Iudex ipse talem appellationem pro deserta dando, secundum Ius procedet, perducendo sententias ad debitam executionem & effectum, vt delicta punita sint, & debitum Deo præstetur obsequium.

Cap. LVII.

Torneamenta diebus festiuis non fiant, nec illis spectandis Clerici vllo tempore intersint.

QVoniam Bulla & motu proprio sanctissimi Patris nostri Gregorij XIII. sub dato Romæ 25. Augusti 1575. prohibita est agitatio taurorum in diebus festiuis, & Nobis relatum est, id non integrè per omnes Archiepiscopatus nostri partes obseruari, quanquàm adeò obliget ac tantopere obseruetur in Ciuitate Regum, reliquarum partiũ capite. Nos volentes opportunum remedium prouidere, & sanctitatis suæ mandatis obedire, iuxta eundem Motum proprium, & alium pariter Pij V. Et quia iustum est, vt festi dies religiosè colãtur, & fideles Christiani Deo & Domino nostro laudando & honorando, vt & pietatis & misericordiæ operibus, ac iugi orationi in eisdem insistant. Præcipimus, quòd in posterum nullo festo die fiant torneamenta, vel agitationes taurorum; quod ita obseruent, compleant & exequantur in virtute sanctæ obedientiæ. Et monemus, quòd contra transgressores, & eos qui fauorem, auxilium, vel authoritatem suam interposuerint, cum omni rigore procedatur, vsque ad declarationem excommunicationis, & incursus censurarum per dictos Motus proprios impositarum. Cunctósque Iustitiæ & seculares ministros, Senatus, seu Communitates, & Regimina, aliasque personas omnes, ad quos pertinebit, enixè rogamus, & exhortamur in Domino, & propter honorem & reuerentiam sanctissimi nominis ipsius, vt copiosissimum præmium & gratiam eiusdem propter opus tam bonum exspectantes, huic malo remedium apponant, & huiusmodi taurorũ agitationes prohibeant, & Apostolicis mandatis parentes peculiarem diligentiam adhibeant, vt non dissimulent, vel vllo modo permittant eiusmodi ludos diebus festiuis, vt dictum est. Prouisori quoque nostro, Vicarijs, & Iudicibus Ecclesiasticis præcipimus, vt præmissa prohibeant per pœnas ac censuras, quas ipsi expedire iudica-

ue-

uerint. Ita vt, quod sua Sanctitas præcepit & prouidit, obseruantiam, implementum, & effectum obtineat. Prohibemus insuper & præcipimus, quòd nullus Clericus cuiuscunque qualitatis, dignitatis, vel conditionis existat, in sacris ordinibus constitutus præsens intersit huiusmodi taurorum agitationibus spectandis, cùm talibus spectaculis assistere indecorum sit, & Ecclesiasticum statum nō deceat. Quod sic faciant & impleāt in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna quinquaginta pesorum toties luenda, quoties huiusmodi taurorū ludis adsuerint, & sub alijs pœnis arbitrio nostro imponendis. Eosdē exhortantes, vt aduertant talem assistentiam clericorū eiusmodi ludis, sub pœna excommunicationis per Summum Pont. Greg. XIII. prohibitam esse. Cæterasq; personas quarum intererit præmissis remedium apponere seriò exhortamur, & eo quod res postulat studio & exaggeratione rogamus: & seriò instantes petimus, vt circa supra dicta, ac declarata iubeant & prouideant, quòd quo tempore agitabuntur tauri, nullius mors vel damnum sequatur, speciàlem in hoc habentes curam Indorum, qui alijs plus habent periculi: Taurorum cornua cautè ligādo, vel bursam illis imponendo, cæteramq; diligentiam adhibendo, ne dicta damna sequantur, & vt in omnibus seruiatur Deo.

Constantinop. Syn.6. can.24. Concil. Mediol. I. tit. de armis ludis &c.

Cap. LVIII.

Festa seruanda in Ciuitatibus, Oppidis, & pagis, obseruentur etiam in agris.

CVm intellexerimus, quòd in aliquibus partibus festa, quæ seruantur in oppidis, non obseruantur in campo: Ordinamus & præcipimus, vt posthàc omnia festa in Ciuitatibus, oppidis, & locis totius huius nostri Archiepiscopatus obseruanda, eadem integrè obseruentur etiam in agris, non obstante quacunque præterita vel præsenti consuetudine contraria. Et nostri Iudices Ecclesiastici contra transgressores seuerè procedant.

Cap. LIX.

In doctrina vacante constituatur Sacerdos, & Audientia Regia intra quadraginta dies certior fiat.

IVxta schedulam Regiæ Maiestatis qua disponitur & edicitur, vt habita monitione, quòd aliqua doctrina vacet, intra quadraginta dies, & expensis eiusdem doctrinæ soluatur stipendium Sacerdoti, qui intereà iussu Antistitis illi inseruierit, quamuis non habeat præsentationē: præcipimus, vt nostri Vicarij, & Iudices Ecclesiastici sedulam curā gerant Regiam Audientiam monendi intra id tempus quadraginta dierū, vel alium cui incubuerit guberniū, & is dicto Sacerdoti pro præstito ministerio persoluat. Atq; circa hoc magnam curam ac diligentiam habebunt.

Trid. sess. 24. c. 18. de refor.

Cap. LX.

Indis tollatur consuetudo concubinarum ante Matrimonium.

QVoniam ad nostram peruenit notitiam, quòd in quibusdā partibus, & doctrinis nostri Archiepiscopatus, Indis in pernicioso more

sit, vt antequam contrahant matrimonium se fœminis coniungant, nec eas ducere volunt, asserentes se non esse coniunctos, vel eas cognouisse, [a] *id in malam partem intelligendo*. Proinde statuimus & præcipimus, quòd nostri Parochi solicita cura incumbãt huiusmodi pernicioso abusui illis tollendo, eos exactè hortando, & in Ecclesijs monendo de malo statu in quo versantur, & grauis offensæ quam inferunt Deo. Contraq; eos, qui in hoc deliquerint, instituent informationem, eamque ad Vicarios remittant, vt ipsos seuerè puniant.

Cap. LXI.

Indorum Parochi compellant Hispanos inter Indos viuentes ad audiendam Missam, & ad colenda festa.

STudium etiam adhibeant Indorum Parochi, quòd Hispani, qui in ipsorum Parochijs viuunt, audiant Missam, & non laborent in diebus festiuis: & contra culpabiles procedant, exigendo in pœnam duas libras ceræ pro vsu Ecclesiæ, toties quoties in hoc deliquerint. Quod si id sæpius contingat, informationem desuper instituant, eamque ad Vicarium remittant. Et si dicti Hispani commiserint alia delicta, vel offensas Dei ad forum nostrum pertinẽtia, eosdem puniant, & informationes, vt dictum est, instituant, & ad Vicarios remittant.

Cap. LXII.

Parochi ministrent Indis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & eosdem circa id instruant.

IN sac. Concilio Prouinciali in Ciuitate Regum vltimò celebrato, & Iure Parochis iubetur, vt diligenter instruant & doceant suos Parochianos altissima Mysteria sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, & Viatici & Extremæ vnctionis, declarando ipsis eorum arcana mysteria, & effectus, ipsaq; Sacramenta iuxta cuiusque capacitatem illis administrando. Et non obstante quòd tàm sanctè prouisum sit, reperimus tamẽ id non obseruari, cum sit res tanti momenti, & quæ tantoperè conferat saluti animarum. Quapropter tam necessarijs rebus prouidere volentes, ordinamus & præcipimus, quòd Indorum Parochi deinceps obseruent, & adimpleant statutum & ordinationem sacri Concilij, Constitutione decima nona, & vigesima, & vigesima octaua Actionis secundæ, iuxta, & secundum quod in ijsdem continetur: Eosdem admonentes, quòd si id omiserint, contra ipsos seuerè procedetur vsq; ad priuationem doctrinarum, & alias pœnas pro nostro arbitrio.

Concil. prou. I. Act. 2. cap. 19. 20. & 28.

Cap. LXIII.

Indorum Parochi ab eisdem exigant scripta testimonia Missæ in alijs locis auditæ.

HOrtamur, & monemus nostros Indorum Parochos, vt diligenter curent, quòd Indi sui Parochiani, qui aliò profecti fuerint,

re-

regressi ferant schedulas testimoniales, quòd diebus Dominicis, & festiuis audierint Missam; quas schedulas ipsis dabunt Parochi locorum in quibus Missas audierunt. Eisdemq; Parochis iniungimus, vt eas schedulas Indis petentibus amantèr concedant, vt per omnia seruiatur Deo, & cognoscatur, qualitèr ijdem Indi impleuerint præceptum Ecclesiæ.

Cap. LXIV.

Correctores Oppidorum Sacerdotibus Indorum non detineant suas Synodos.

Concil. Cabiloñen. cap. 5.

QVoniam detinendo Sacerdotibus Synodos, & stipendia, quæ ipsis ex doctrinis, & beneficijs debentur, cùm eis tempestiuè non dantur, coguntur multa pati, propter quæ non possunt suis muneribus cōuenienter fungi, per quod Dei offensa incurritur, ea ipsis contra ipsorum voluntatem denegando: Hortamur, monemus, &, quantum opus est, etiam præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus & quibuscunque personis, tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus, quibus incubuerit eorundem Sacerdotum, siue in Indorum doctrinis, seu in Hispanorum Parochijs residentium salaria soluere, vt ea cōpleto tempore, quo solui debent, nulla interposita excusatione persoluant; solerterq; curēt, vt eiusmodi solutionum temporibus præsentes assistant ærarijs, vel alijs partibus & locis, in quibus istæ solutiones fieri solent. Nostris etiam Iudicibus & Vicarijs præcipimus, vt solui faciant Sacerdotibus, qui petierint salaria sua, & ita in casu secundum iustitiam prouideant, vt hæc constitutio sortiatur effectum, & Sacerdotes obtineant sua salaria.

Cap. LXV.

Nullus Minister Iustitiæ, nec alia persona impediat Ecclesiasticos in emendo, vendendo, aut molendo res suæ sustentationi necessarias.

Concil. August. an. 1548. c. 19. vers. Item cùm sacris canonib. Trid. sess. 25. cap. 20. de reform.

AD hoc vt Sacerdotes doctrinarum Indorum, vel Hispanorum officijs suis absque necessariarum rerū penuria conuenienter fungi possint, ac Deo per cuncta seruiatur, statuimus, quòd nemo directè vel indirectè impediat, quominus Indi, vel alij vendant ipsis necessaria suæ sustentationi, vt triticum, panem, carnes, ligna, herbas, & reliquas res ipsis, aut ipsorum domibus necessarias, nec opera molinaria, vel Indorum seruitia illis interturbent: Quod totum ordinamus, & præcipimus, vt sic fiat, cum interminatione quòd contra transgressores ex rigore iuris procedetur; eosdem exhortantes, vt aduertant ad censuras per iura impositas illis, qui præmissa impedierint, ad quas debet summoperè aduerti, ne innodentur excommunicatione latæ sententiæ, quam iura talibus imponunt, cum res sit contra libertatem Ecclesiasticam. Iisdemq; Sacerdotibus præcipimus, vt quidquid sic emerint, vel acceperint ab Indis, pretium eius absque dilatione persoluant; & Indis item, quornm obsequijs vsi fuerint, laboris stipendia pendant: Nostriq; Iudices & Vicarij procedant contra non sic soluentes, cogendo illos ad soluēdum dictis Indis quidquid ipsis debuerint. Iidemq; Vicarij, & Iudices Ecclesiastici procedent

Hh 2 etiam

etiam contra Rectores aliasq; personas, quæ præmissa trāsgressi fuerint.

Cap. LXVI.
De Iuribus funeralium.

Concil. Mediolanen. IV. tit. de funerib. & exequijs.

QVod iura funeralium attinet, obseruabuntur laudabiles cōsuetudines quæ de iure fuerint. Et quoad Indos seruabitur Decretum Concilij Prouincialis anni 1583. Act. 2. c. 38. Et nostra Constitutio Synodalis.

Cap. LXVII.
Puellæ doctrinarum non famulentur Sacerdotibus.

Concil. Salisburg. sub Euerhardo. Conc. Nannetẽ. cap. 3.

QVoniam indecens est, quòd puellæ doctrinarum Sacerdotum earundem domos ad verrendū, vel rigandum frequentent, vel a *mitam*, vel alias res in eisdem domibus faciant: Ordinamus, & præcipimus, quòd dicti doctrinarum Parochi in posterum non permittant, vt dictæ doctrinarum puellæ ipsorum ædes ingrediantur ad vllum dictorum effectuum, ipsos monentes quòd, si contrarium fecerint, contra illos rigorosè procedetur.

Cap. LXVIII.
Puellæ duodenni maiores, cùm doctrinam antè didicerint, non cogantur ei interesse.

QVoniam in Indorum doctrinis solent esse fœminæ liberæ ætate maiores annorum duodecim. Ordinamus, & præcipimus, quòd Indæ duodennes, vel maioris ætatis, quæ callent doctrinam Christianam, non compellantur ei interesse vltra dies vsuales, Mercurij, Veneris, & Dominicos, aliosq; festiuos, vt reliquo tempore parentes suos in laboribus iuuare possint, & alijs rebus incumbere, cùm per hoc etiam euitentur alia multa incōmoda quæ sequi possunt ex eo quòd singulis diebus detineantur in doctrinis. Et vbi consuetudo est pueros manè & vesperi doctrinam frequentare, Parochi diligenter curabunt, vt ad solis occasum ad suas domos reuertantur, nec eos vltra detineant.

Cap. LXIX.
Inter Indos non fiat disciplina seu flagellatio in processionibus, nisi eodem tempore quo fit ab Hispanis.

CVm perceperimus quòd in aliquibus Indorum oppidis ijdẽ Indi instituant disciplinam extraordinariam, seu publicam flagellationem in forma confraternitatis extra ea tempora, quibus ea ex consuetudine vtuntur Hispani; statuimus & præcipimus, vt Indorum Parochi non permittant fieri huiusmodi cōfraternitates, ijs temporibus, sed vt per omnia se conforment consuetudini & vsui Ecclesiæ, prout faciunt Hispani, ac temporibus consuetis; eosdem Parochos monentes, quòd aliter faciendo contra ipsos seuerè procedetur.

Cap. LXX.
Indorum Parochi funeralia cum superpelliceo, cruce, & stola deuotè celebrent.

IIdem Indorū Parochi, cùm Defunctorum corpora ad sepulturam Concil. Mediolan. IV. tit. de funer. & exeq.

ram ducunt, id magna deuotione faciant, superpelliceis, & stolis induti, cruce ad mortui domum præcedente, litaniasq; cantantes: & corpus ad Ecclesiam ducant comitantibus pueris doctrinæ, & ipsam doctrinam intereà recitantibus, quod ita obseruent, & adimpleant sub pœna rigidæ castigationis.

Cap. LXXI.
Indi pastores, & alibi foris habitantes compellantur ad Missas.

Concil. Colonien. an. 1536. par. 7. cap. 26. Vide infra c. 82. huius Synodi.

INdorum Parochi diligentèr etiã incumbant, vt omnes Indi, tàm oppidani, quam qui in rusticis tugurijs vel gregum custodia alibi morantur, ad Missam accedant, in diebus obligationis, & etiam ad doctrinam diebus consuetis, nisi præcisa necessitate de iure fuerint impediti; ita vt, qui eiusmodi necessitate detenti nõ sint, ad accedendum cõpellantur: Ordinando etiam, vt in ijsdem tugurijs, vel gregum custodijs non se occupent in rebus non necessarijs, nec talia ibi sint in quibus se occupent, extrà præcisam necessitatem. Prouideant pariter, vt eiusmodi Indi qui doctrinam non didicerunt, seu iuuenes, seu senes qui adstiterint in partibus iam expressis, compellant interesse doctrinæ donec ipsam benè percalleant: Monemusq; eosdem Sacerdotes, quòd, si in præmissis negligentes fuerint, cõtra ipsos cum rigore procedetur; exhortantes cum omni possibili exaggeratione, vt tam bono officio ad indigenarum vtilitatem ac Dei obsequium gnauitèr incumbant.

Cap. LXXII.
Matrimonio iungendi ad confessionem & communionem exhortandi sunt.

PArochi exhortentur illos, qui matrimonio iungi voluerint, vt antequam copulentur, vel tribus ad minus diebus priusquam matrimoniũ consumment, peccata sua diligenter confiteantur, & sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum suscipiãt. Hortamur pariter eosdẽ Parochos, vt subditis suis publicent, ac declarent Decretum reformationis matrimonij ex sess. 24. Concil. Trident. c. 1. idq; faciant in locis, in quibus vsque modò publicatum non fuit. Et in reliquis locis, vbi iam publicatum est, publicetur etiã toties quoties expedire videbitur: Quod Decretum tractat de modo quo debet contrahi matrimonium, & de studio, quod in id ponendum est. Quæ res cùm tanti momenti sit, nullam in ea negligentiam admittant. Concil. Trid.

Cap. LXXIII.
Ordo castigandi Indos.

Concil. prou. I. Act. 4. c. 7. & 8. & infra Synod. 4. cap. 8.

QVoniã per Constitutiones synodales prouisum & mandatum est, quòd nullus Indorum Parochus possit suæ curæ Indos castigare, sine sui Antistitis commissione, cum ordine quem in eo obseruare, & pœnis quas imponere debẽt: Nunc huic rei prouidere volentes conuenimus fieri cõstitutiones, quarum superiùs mentio facta est, & per easdem commisimus nostris Parochis, vt cognoscere possint, & cognoscant omnes causas in eisdem con-

constitutionibus contentas, & reliquas vt supra in quibus facultas ipsis conceditur necessarias informationes super cõtenta in eis instituendi, secundum quod,& eo modo quo in ijsdem constitutionibus continetur. Commissionem pariter & facultatem dedimus, vt circa reliquas causas & negotia præter contenta in his constitutionibus, & in eis non expressa, tàm aduersus Indos, quam Hispanos possint sumere informationes, & fulminare processus vsque ad sententiam inclusiuè, illosque ad Prouinciæ Vicarium remittere, vt rem decidat: & in casibus in quibus ipsis expedire videretur, vt non se intromittant in aliquarum causarum cognitione, siue ad Indos, siue ad Hispanos pertineant, tunc possint earum cognitionem & processus, quos desuper confecerint, ad Vicarium remittere. Et vt easdem causas cognoscant, vt etiã possint creare & nominare Fiscalem, Notarium, & reliquos ministros necessarios: pro quibus omnibus, eorumq; annexis, indèq; dependentibus nostras vices illis commisimus, quantum de iure potuimus. Eisdemq; Parochis præcipimus, vt corporales castigationes, quæ in Indos exercendæ essent, fierent per manus ministrorum secularium, & non aliter. In primis si quis Indus deprehensus fuerit reuertisse ad sacrificandum in suorum defunctorum sepulchris, vulgò *guaccas*, vel adoratorio, vel recurrisse ad veneficos, vt ipsius nomine adorent, sacrificent, vel veneficia faciant, tunc Parochus informationẽ desuper instituat, eamq; ad Nos, nostrumue Prouisorem, vel generalem Vicarium mittat. Et si per eandem informationem culpa deprehensa fuerit, & sufficiens sit, delinquens interim capiatur, & in custodia detineatur.

Cap. LXXIV.

Indi filiorum capita non forment typis.

CVpientes penitùs extirpare abusum, & superstitionem quibus Indi passim infantiũ capita formis imprimunt, quos ipsi vocant, *caito, oma, opalta, oma*, & certos modos componendi crines, eosque ex vna in alteram formam abradendi, seu vnctionibus euellendi, quæ sunt superstitiones dignæ remedio. Proinde statuimus, & præcipimus, quòd Indus qui talia fecerit, si fuerit satrapa, vulgò *cacique*, seu primarius, pro prima vice seruiat per decem dies Ecclesiæ suo oppido viciniori, pro secunda per viginti, & pro tertia vice instituatur informatio, & remittatur ad Vicarium Prouinciæ. Quod si plebeus fuerit, pro prima vice sustinebit plagas viginti, pro secunda duplicatas, & pro tertia fiat informatio, & remittatur eidem Vicario. Et si fuerit mulier frequentabit doctrinam per continuos decem dies manè & vesperì pro prima culpa, pro secunda verò per viginti, & pro tertia fiat informatio & remittatur; vt dictum est.

Cap. LXXV.

Indi aures non inaurent.

AD tollendam superstitionem quo Indi inaurant aures, cùm intellexerimus, quòd nunquam fiat absque præcedentibus ritibus, & adorationibus gẽtilitijs: Statuimus quòd

quan-

[a] *quando id euenerit*, tunc Indorum Parochi instituant informationem, eamque ad nos, vel nostrum Prouisorem remittant: Et si culpa ad id sufficiat, capti delinquentes interim detineantur.

Cap. LXXVI.

Tempore sementis, vel alijs temporibus non exerceant ludos, vulgò Taquies, *vel compotationes.*

Simile quid est in 6. synodo. Constantinopolit. can. 45.

Est etiam inter Indos communis abusus, magnæ olim superstitionis apud ipsorum maiores, instituendi [a] *inebriationes & ludos*, quos *Taquies* vocant, & offerendi Sacrificia ad honorem dæmonum temporibus sementis, & messis, vel quando moliuntur aliquod negotium, quod ipsis videtur maioris momenti: Nos his cæterisque superstitionibus, & ceremonijs, & diabolicis ritibus, quos innumerabiles habent, maximè pro negotiorum augurijs, remedium apponere volentes; statuimus & præcipimus, quòd quando eiusmodi quidpiam contigerit, tunc ijdem Indorum Parochi sumant informationes, & sumptas ad nos, vel nostrum prouisorem remittant, contra quamcumque personam, vel personas, quæ prædicta, vel eorum quidpiam commiserint: & cum culpa per informationem digna reperta fuerit, tunc delinquentes facti captiui benè custodiantur interim donec prouideatur in casu.

Cap. LXXVII.

De pœna eorum qui se inebriauerint.

Entychianus Papa decret. 8. Concil. Turon. 3. cap. 48. Conc. Moguntini sub Leone III. cap. 46.

Ad magna multaque incommoda præcauenda, quæ ex eo sequuntur, quod Indi se in publicis plateis, vel alibi inebriant, constituimus quod satrapa, seu principalis Indus, qui se eo modo inebriauerit, vel instrumentum seu causa fuerit, vt alij se sic inebrient, pro prima vice per decem dies inseruiat Ecclesiæ proximi oppidi; pro secunda per viginti, & pro tertia Parochi sumet informationes, & remittet Vicario prouíciæ in qua casus conrigerit, vt exemplarem pœnam inde sumat. Et si fœmina fuerit, pro prima vice frequentabit doctrinam manè & vesperi decem continuos dies; pro secunda, per viginti, & pro tertia, remittatur informatio vt supra. Si verò fuerit alius qualiscunque Indus, pro prima vice vapulabit plagis viginti, pro secunda quadraginta, & pro tertia committatur Vicario, vt dictum est. Quod si huiusmodi inebriationes noctu fiant, pœna præscripto iam ordine dublicabitur. Si autem eiusmodi compotationes fiant cum tripudijs, vulgò *Taquies* vel alijs ceremonijs, cùm sint infidelitatis indicia, Parochi faciant informationes, & mittant nobis, aut nostro prouisori; & interim cum culpa id merebitur, delinquens captiuus detineatur, seruato ordine supradicto.

Pæ-

Cap. LXXVIII.

Pœna non ritè sepelientium, vel è sepulchro extrahentium corpora defunctorum.

SI quis post hac Indus alterius Indi in Ecclesia sepulti corpus eruerit, vel talem, si christianus fuerit, fecerit sepeliri extra Ecclesiam, aut cum vestimentis, cibo, aut potu sepelierit, vbi constiterit, id ex ordine, & mandato ipsius defuncti factum esse, tunc Parochus oppidi videat, quæ circa hæc ordinata & præcepta sunt in Concilio prouinciali anni 1567. sess. 2. c. 102 Vbi decernitur, quod defunctus priuetur sepultura Ecclesiastica, & tradatur brachio seculari: & qui in eo culpabiles inuenti fuerint, castigabuntur iuxta dispositionem iuris canonici: quam castigationem nobis, vel nostro prouisori reseruamus: & præcipimus parochis, vt informationes desuper confectas ad nos vt dictum est remittant. Et cum causæ merita postulauerint, seruetur ordo præscriptus in incarceratione aliorum delinquentium.

Cap. LXXIX.

Contra reiterantes Sacramenta.

Concil. Cabilonem II. c. 27. Trid. sess. 7. can. 9. & sess. 24. c. 27. de reform. Matrimonii & can. 2. de Matr.

CVm aliqui Indi soleant bis vel sæpius suscipere Sacramenta non iteranda, vt sunt Baptismus, Confirmatio, & Matrimonium, & videatur, quòd ex malitia peccent, & malè sentiunt de Sacramentis; Statuimus, & præcipimus, quòd Parochi informationes contra tales conficiant, & factas ad nos, vel nostrum prouisorem remittant. Et cum res requisiuerit, seruetur ordo iam præmissus in incarceratione delinquentium.

Cap. LXXX.

De punitione concubinariorum.

Cõc. Trid. sess. 24. cap. 8. de reform. Matr.

INdi concubinarij pro prima vice moneantur vt se separent à peccato, & concubinam deserant sub pœna, si fuerint *Caciqui*, seu viri primarij, quòd seruiant in Ecclesia oppido proxima per decem dies, & pro secunda vice viginti, & pro tertia vice, cum noua admonitione triplicatur pœna. Quòd si his non obstantibus repetierint eiusmodi peccatum, tunc Parochus conficiet informationem (in qua exprimet tres admonitiones, quas præmisit) eamque remittet ad vicarium Prouinciæ, vt exemplarem pœnam exigat. Fœminæ quoque eædem tres admonitiones eodem ordine fiant, vt prima vice per continuos decem dies doctrinam cum pueris manè & vesperi frequentet, pro secunda, viginti, & pro tertia, triginta dies. Quòd si in publico concubinatu perseuerauerit, exilio mulctetur ab oppido in quo casus acciderit, si ita expedire videbitur. Si autem delinquens fuerit plebeus, fiant etiam ipsi tres admonitiones eodem ordine, & pro prima vice infligentur ei viginti plagæ, monendo, vt se abstineat à peccato, quod si non fecerit, duplicabitur pœna, & pro tertia triplicabitur. Quòd si adhuc perseuerauerit, fiat informatio, & mittatur ad Vicarum. Si denique concubina fuerit vxor alterius viri, caueant Parochi & Iudices, vt secretissimè procedant, ne aliquid detrimenti in sua per-

persona patiatur à marito vel parentibus.

Cap. LXXXI.
Seipsos Occidentibus non concedatur sepultura.

Conc. Bracaren. I. c. 34. & 23. q. 5.

QVia non solum contra naturam, sed etiam contra omnem inclinationem naturæ est, vt quisquam seipsum occidat, ideò statuimus, & præcipimus, quòd Indus qui seipsum occidisse repertus fuerit, careat Ecclesiastica sepultura.

Cap. LXXXII.
Pœna non obseruantium festa, & non accedentium ad Missas.

Conc. prou. I. Act. 3. cap. 40.

SI quis Indorum die dominico vel festo ipsis præcepto non accesserit ad Missam, nisi legitima necessitate impeditus, qua de iure excusetur, vel in eisdem diebus festiuis laborauerit, si fuerit *Cacique* seu primarius Indus, puniatur in seruitio Ecclesiæ alicuius oppidi pro prima vice per quatuor dies, & intereà cum pueris manè & vesperi assistet doctrinæ: pro secunda vice duplicabitur pœna, & si deinde continuabit culpam, fiet informatio & mittetur ad vicarium Prouinciæ, vt iam dictum est. Alius autem quicunque Indus portabit pro prima culpa plagas viginti, pro secunda, duplicentur, & pro tertia remittatur informatio vt supra. Quòd si fœmina Missis audiendis defuerit, vel iam dictis diebus laborauerit, pro prima vice per continuos quatuor dies manè & vesperi cum pueris assistet doctrinæ; pro secunda duplicabitur pœna, & si culpam protraxerit, fiet informatio, & mittetur ad vicarium.

Cap. LXXXIII.
[a] *Pœna non frequentantium doctrinam.*

CAcique seu Primarius Indus qui diebus Dominicis, & festiuis, & intra septimanam diebus Mercurij & Veneris, prout fieri consueuit, non adstiterit doctrinæ, seruiet per duos dies Ecclesiæ, & interim vesperi, & manè frequentabit puerorum doctrinam toties quoties deliquerit. Quòd si frequenter absuerit, remittatur cum informatione vt supra. Plebeus autem pro singulis absentijs portabit duodecim plagas, & sæpius recidiuus remittetur, vt dictum est. Fœmina verò quoties deliquerit, toties per duos dies manè & vesperi intersit puerorum doctrinæ.

Cap. LXXXIV.
Pœna non adducentium filios ad Baptismum.

Conc. Mediol. I. part. 1. tit. Quæ pertinent ad Bapt. admin.

AD præcauenda incommoda, quæ inter Indos accidere solent, ex dilatione Baptismi infantium; statuimus & præcipimus, quòd in posterum Indus Christianus in cuius Parochia fuerit sacerdos, filium seu alium infantem suæ curæ intrà octo dies post natum non ferens ad Baptismum, vel etiam priùs, cum necesse fuerit, si sit *Cacique* seu, vir Primarius, debet pro singulis vicibus per decem dies inseruire Ecclesiæ proximi sacerdotis: & si sæpiùs deliquerit, Parochus informet

& causam remittat ad vicarium Prouinciæ. Plebeus autem Indus, qui in hoc deliquerit punietur viginti plagis pro singulis vicibus, & adhuc pertinax remittetur ad vicarium. Fœmina verò per sex dies frequentabit manè & vesperi catechismum puerorum.

Cap. LXXXV.

Pœna scientium, & tacentium impedimenta Matrimonij.

CVm inaudierimus, quòd non obstantibus monitionibus, ac declaratione impedimentorum matrimonij, quas Indorum Parochi, ex constitutione & præcepto nostro; in Ecclesia publicè faciunt, dicti tamen Indi huiusmodi impedimenta malitiosè celant, ex quo multa resultant grauia incommoda, dum consanguinei, etiam in secundo gradu, & cum alijs impedimentis quandoque copulantur; vt tantis malis prospiciamus, statuimus, & præcipimus, quòd si factis monitionibus iuxtà Sacri Concilij Tridentini & huius nostri Archiepiscopatus constitutiones, Indus aliquis, vel Inda reperti fuerint nouisse, & non manifestasse sacerdoti huiusmodi aliquod impedimentum, si fuerit *Cacique* seu primarius Indus, puniatur, seruiendo per decem dies in Ecclesia proximæ doctrinæ. Et si culpam iterauerit, cum informatione ad vicarium remittatur, vt pro grauitate casus castigetur. Mulier autem cuiusuis qualitatis in hoc delinquens per decem dies manè & vesperi assistet puerorum doctrinæ pro singulis vicibus, & si sæpius deliquerit, cum informatione pariter ad Vicarium remittatur. Indus autem plebeus toties quoties reportabit plagas triginta, & si sæpius recidat, informatio ad vicarium remittatur; vt etiam de ijs qui cum impedimentis copulati reperti fuerint, ne huiusmodi errores tam liberè committantur.

Cap. LXXXVI.

Ne vxores, maritis auferantur, propterea quòd sint alterius loci Indigenæ.

QVoniam turpis & remedio tollendus inter Indos abusus inualuit, vt vxores maritis auferantur, sub colore, quod sint alterius loci indigenæ, statuimus, & præcipimus, quòd eiusmodi vxor marito suo restituatur, & contra sic auferentem instituatur informatio ad Prouinciæ vicarium remittenda, in cuius districtu casus contigerit, qui exemplarem pœnam à delinquentibus exigat. Videndus Sanchez de Matr. to.1.lib.1.d.40

Cap. LXXXVII.

Contra non accedentes ad Confessionem, cùm ætatem habuerint.

VTriusque sexus Indi Christiani, qui in ætate & tempore ipsis præscripto ad confessionis Sacramentum non accesserint, si fuerint *Caciqui* seu primores Indi, seruiant Ecclesiæ proximæ doctrinæ, & ad confessionem compellantur: & pro secunda vice informatio causæ per parochum sumenda remittatur ad vicarium; fœmina verò per continuum mensem vesperi & manè quotidie frequentabit doctrinam, & Conc. Trident. sess. 14. cap. 5. de Sacr. pœnit.

con-

confiteri cogatur, de recidiua autem instituatur informatio, & ad Vicarium remittatur. Plebeo Indo pro prima vice infligantur plagæ triginta, ac de recidiuo remittatur informatio, vt supra.

Cap. LXXXVIII.
Pœna Indorum, qui diebus vetitis comedunt carnes.

Concil. Trid. sess. 25. in decreto de delectu ciborum.

Concil. prou. I. Act. 3. cap. 41.

INdus qui tempore quadragesimæ; quatuor temporibus, aut diebus Veneris, aut vigiliarum, quibus Indi obstricti sunt, carnes comedisse deprehendetur, si fuerit *Cacique*, seu vir primarius, punietur per dies decem in seruitio Ecclesiæ proximæ doctrinæ singulis vicibus, quibus in hoc deliquerit; & si frequenter peccauerit, causæ processus ad Vicariũ, vt suprà, remittatur. Mulier autem per sex doctrinæ cõtinuos dies modo superiùs præscripto puniatur, & contra recidiuam remittatur processus, vt dictum est. Popularis autem Indus vapulabit plagis triginta, quæ si ad emendationem non sufficerint, remittetur informatio, vt sæpè dictum est.

Cap. LXXXIX.
Parochi tribus diebus festiuis has Constitutiones Indis in Ecclesia congregatis exponant.

NE *Caciqui*, vel alij nostri districtus Indi præmissarũ constitutionum ignorantiam prætendere possint, doctrinarum Parochis præcipimus, vt tribus vicibus per tres dies festiuos, quibus ijdem Indi congregati fuerint, eas illis coram Notario ac testibus exponant, eosdem commonentes pœnarum, quas inobseruantes incurrant. Et vos dicti nostri Parochi & Vicarij nequaquam in earũ obseruatione remissi sitis, quos proindè monemus, quòd alioquin per viam iuris contra vos procedendum sit. Vosq; seriò hortamur, eaque exaggeratione quam res tanta requirit, vt conformitatem & bonam correspondentiam cũ Regijs ministris conseruare studeatis, vt doctrina fiat, sicut oportet. Et pro parte nostra ab eisdem ministris petimus, vt iustitiam indigenis administrent, eorum curam habentes, eandemq; conformitatem & correspondentiam cum Sacerdotibus colant, ipsos iuuando, & animando ad munus suum ritè persoluendum, iuxta prouisa in Regiæ Maiestatis schedulis, quæ de his rebus loquuntur, cum omnes ministri tam Ecclesiastici quam seculares in vnũ eundemq; finem tendant, vt doctrina conuenienter procedat, ad indigenarum profectum, Deiq; & Domini nostri obsequium.

Cap. X C.
Nemo impediat præmissarum constitutionum executionem.

VT prædicta omnia integrum & completum sortiantur effectum: Hortamur, monemus, & quantum opus sit, etiam in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus & quibuscunque personis Ecclesiasticis & secularibus, cuiuscunq; qualitatis aut conditionis existant, vt dictis Parochis nullum apponãt impedimentum in executione & libero exercitio prædictorum. Et casu quo vlla prædictarum personarum

his, vel eorum alicui contrauenіat, vel impedimentum ponat, quo minus doctrina Christiana benè & cõuenientèr exerceatur, vel quidquid ad Sacramentorum administrationẽ, vel ad officium Sacerdotũ pertinet, Nos facultatem dictis Parochis impertimur, vt informationem desupèr conficiant, & factam ad Prouinciæ Vicarium remittant, vt ea visa faciat, quod obsequio diuino consentaneum fuerit, & iustitiam in casu ministret.

Cap. XCI.

Distributio pœnarum in Constitutionibus impositarum nostræ dispositioni relinquatur.

DIstributio & partitio pœnarũ in hac & præcedentibus nostris Diœcesanis Synodis impositarum nostræ dispositioni remaneat, prout eam sic reseruamus, præter eas, quæ in hac Synodo, quam nunc celebrámus, peculiaritèr applicatæ fuerint.

Cap. XCII.

Declaratio dubiorum, quæ in hac, & antecedentibus nostris Synodis occurrerint, reseruetur Illustriss. Archiepiscopo.

QVoniam accidere possit, quòd in aliqua Constitutionum & ordinationum per Nos in præsenti, vel alijs nostris Synodis sancitarum offeratur dubium aliquod, vel interpretationis locus. Ordinamus, & præcipimus, quòd eiusmodi dubij vel dubiorum quæ quouis modo occurrerint, declaratio & interpretatio Nobis, prout meliùs nobis videbitur, reseruata sit, quemadmodũ per hanc Constitutionem dictam declarationem, vt dictum est, amodo Nobis reseruamus.

Cap. XCIII.

Parochi, cæteriq; ad quos pertinebit, accedant ad Synodum Diœcesanam.

SAcri Concil. Trid. Decretis, & huius nostri Archiepiscopatus Constitutionibus inhærẽtes ordinamus, & præcipimus, vt omnes tam Indorum, quam Hispanorum Parochi quicunque sint, cæterique omnes, qui de iure, vel consuetudine tenentur Diœcesanæ Synodo interesse, ad eam personaliter accedant. Cùm autem iusto impedimento detenti fuerint, & eiusmodi Parochi non habuerint aliam personam liberam, vel Sacerdotem quem sui loco in doctrina vel animarum cura relinquant, tùm mittent aliquem cum potestate & scripturis ad Synodum, vel eandem potestatem remittant alicui qui sciat, & possit ipsorum loco & nomine Synodo assistere, & quæ expediunt in ea tractare. Quod vt commodiùs facere valeant, cùm eiusmodi impedimenta personaliter accedendi occurrerint, tunc ex singulis Vicarijs vnũ qui nomine omnium eiusdem vicariæ seu districtus sic impeditorum cum litteris procuratorijs, & alijs scripturis ad Synodum, ipsorum omnium communibus expensis accedat, cui iubebimus iustam laboris mercedem solui, taxando per Nos, quod eum mereri iudicauerimus. Quod sic faciant, & adimpleant in virtute sanctæ obediẽtiæ, trina canonica monitione præmissa, Concil. Trid. sess. 24. c. 2. de refor. Matrim.

missa, & sub pœna centum pesorum, vulgò *ensayados* pro nostra dispositione applicanda; in quam pœnam ipsos ex nunc condemnamus, & citamus, vt declarentur in eam incidisse: eosq; monemus, quòd contra ipsos cum omni rigore procedemus ad maiorem demonstrationem, & alias pœnas nobis arbitrarias, tanquā contra inobedientes præcepto sui Antistitis, ac Decretis sac. Conc. Trid. quibus hæc tam seriò commendantur. In doctrinis autem in quibus fuerint duo, vel plures Sacerdotes, vnus saltem accedat, si alius locum eius supplere poterit pro tempore, quo ipse in Synodo occupatus fuerit, absque detrimento doctrinæ, & suæ curæ Parochianorum.

Litteræ Conuocatoriæ Synodi proximè celebrandæ.

DOn Toribius Alphonsus Mogrouejus, Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia Archiepiscopus Regum, Regiæ Maiestatis Consiliarius, &c. Quia per sacrum Concilium Tridentinum ordinatum est, vt singulis annis fiat Synodus Diœcesana, pro necessariarum rerum reformatione. Nos huic obligationi satisfacere volentes decreuimus fauente Deo celebrare dictam Synodum in Ciuitate Regum, vel alia parte, seu loco huius nostri Archiepiscopatus, in quo tunc erimus, pro die B. Apostoli Iacobi futuri anni 1586. pro quo die tempore & loco citamus, & conuocamus charissimos fratres nostros Decanum, & Capitulum sanctæ Ecclesiæ Regum, omnibusq; tam Hispanorum quam Indorum Parochis cæterisq; personis Ecclesiasticis ac sæcularibus, quæ de iure vel consuetudine eidem Synodo interesse tenētur, præcipimus, vt pro dicto tempore accedant ad dictam Ciuitatem Regum, vel ad aliam partem aut locum nostri Archiepiscopatus, in quo nos fuerimus: & cum iustum habuerint impedimentum, quo de iure excusentur, tunc mittant suam potestatem ad personam, quæ ipsorum nomine assistat Synodo cum opportunis scripturis. Et Parochi doctrinarum & beneficiorū cum cura animarum, habentes personam in alia doctrina, vel cura animarum non occupatam, quæ ipsorum loco residere possit in ipsorum doctrinis vel beneficijs, veniant, & personaliter compareant in dicta Synodo. Et non habentes eiusmodi personā, quæ pro ipsis residere possit, cum suis scripturis mittant litteras procuratorias ad aliquē, qui pro ipsis assistat; quod facilè fieri poterit, si ex singulis Vicarijs accedat vnus Clericus alias non occupatus nomine omnium occupatorum, vt dictū est. Quod sic faciant, & adimpleant ijdem Parochi, cæteræque personæ, quæ Synodo interesse de iure vel consuetudine tenentur, sub pœna decem pesorum argenti, vulgò *ensayados* ad nostram dispositionem applicandorum, vltrà quod contra ipsos procedemus ad alias pœnas, illisque & alijs personis non comparentibus parabitur detrimentum, ac si præsentes forent. Et vt hæc ad omnium notitiam perueniant, præcipimus, vt publicentur in nostra sancta Ecclesia Regum, & Vicarijs nostri Archiepiscopatus, & quòd Vicarij dent notitiam Sacerdotibus & cæteris personis sui districtus. Dat.

in

in Oppido S. Dominici de Yungay 17. die mensis Iulij anni 1585.

Approbatio & executio decretorum. Proinde hortamur, requirimus, & mandamus omnibus & quibusuis personis Ecclesiasticis & sæcularibus existentibus & habitantibus in hoc nostro Archiepiscopatu, quòd à die publicationis huius Synodi ac deinceps has Constitutiones apud se habeant, teneant, & obseruent, ac exequantur tanquā Constitutiones synodales huius nostri Archiepiscopatus, in omnibus & per omnia secundùm & in forma quæ in illis & in ipsarum qualibet continetur. Et tanquam res etiam per viam visitationis factas & pertinētes ad correctionem, & reformationem morum, nec earum tenorem aut formam vllatenùs exedant, sub pœnis in eisdem contentis, & alijs nobis arbitrarijs. Et omnes, qui illis, aut earum alicui rebelles fuerint, aut vllo modo contrauenerint, monemus, quòd contra eiusmodi ad earum executionem rigidè procedemus. Ac præcipimus vt dictæ Constitutiones legantur & publicentur in Ecclesia huius Oppidi S. Dominici de Yungay, & in nostra sancta Ecclesia Cathedrali Regum, & habeant vim & vigorem Constitutionum synodaliū, quam Nos illis damus, quantum ad ipsorum validitatem requiritur.

Absolutæ sunt istæ Constitutiones synodales, ad gloriam & honorem Dei Domini nostri, in Oppido Sancti Dominici de Yungay Prouinciæ de Guaylas, die 17. mensis Iulij, anni 1585.

Toribius Archiepiscopus Regum.

De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.

Ioannes Rodriguez Secretarius.

Bernardinus de Almanza Notar. publicus Secretarius.

Notæ

Notæ in III. Synodum Diœcesanam.

CAp. 6. [a] *Duas hostias maiores.* Alteram scilicet, quam ipse sumat in sacrificio, alteram, quam in custodia relinquat ad vsum processionis, vel orationis in Ecclesia exponendam pro varijs occasionibus, quę occurrere possit.

Ibidem. [b] *Sic eas nutriens.* In authographo nostro Hispano est: *Y sciendo necessario, las ceben de tal manera, que el que echaren no sea en mas cancidad de lo que suniere del oleo Santo in las dichas crismeras.* Cebar autem hispanicè nutrire, saginare, & infercire est, vt dum aues, vel alia animalia nutriuntur, & saginantur ad cibum hominum, vel dũ occisa arte coquinaria farciuntur impactis ouis, aromatibus, & alijs rebus; & hic per translationem ponitur. Quẽadmodum enim in illis animalibus sic fit, vt ad hominum cibum ampliora, & magis ad nutrimentum, & saporem apta sint; sic dum aqua benedicta, vel sacrum oleum in vase diminuitur, infundi solet aliquid aquæ, vel olei communis, quo magis vsui esse possint, sed in vtroque cauetur, ne plus infundatur ex istis, quam quod Sancti olei, vel aquæ sanctæ in vase præcesserat. Et hoc est, quod sancta Synodus hoc loco præscribit. Sic dicitur ignis nutriri, dum paulatim subministratur materia, sed si paruo igni lignorum struem imponas, exstinguis potiùs, quam nutrias; ita si pauxillo aquæ benedictæ cantharum aquæ communis infundas, benedictam exstinguis, si vino iustam aquæ quantitatem infundas, nutris; si nimiũ, corrumpis: & quamuis maneret substantia vini incorrupta, sicut manet substantia aquæ, vel olei, non censetur tamen moraliter idem esse, quod fuit, sed recipit denominationem à maiori parte, adeòq; fortassis perdit benedictionem, quæ morale aliquid est, non physicum; nam cui res concessa est, ea ipsa moraliter saltem censeri debet. Hinc enim sacra vestiměta, vel turpiter lacera, vel inepta ad vsum non censentur benedictionem retinere, quantũuis ob reuerentiam semel acceptæ cremari iubeantur, & cineres in Sacrariũ reponi. Vnde non leuiter peccant, qui res Dei obsequio sacratas, vel in prophanos vsus conuertunt tanquam sacro iã ineptas, vel contemptui habent, vel ignorantes omninò, vel minùs æstimãtes S. Higinij Summi Pontificis decretum, quo cauit de consecrat. dist. 1. cap. Si motum, *Ligna Ecclesiæ dedicata non debere ad aliud opus iungi nisi ad aliam Ecclesiam, vel igne esse comburenda, vel ad profectum in Monasterio Fratribus; in laicorum verò vsum non debere admitti:* Similę Sãctus & Seraphinus Pater noster Franciscus in testamento suis filijs commendauit dicens: *Sanctissima nomina & verba eius scripta vbicunque inuenero in locis illicitis, volo colligere, & rogo, quòd colligantur, & in loco honesto collocentur.*

Cap. 13. [a] *Induti Mozetta.* Mozetta hoc loco non significat, quam sic vulgo vocant, vestem illam humeralem, & rotundam ad cubitos deorsum pendentem, ad pectus fibulatam, assuto post collum capucio, sed vt oculati testes affirmant, chlamydem ad genua protensam, & anteriori parte apertam, cum duabus scissuris ad humeros, per quas extenduntur brachia, & eadem prorsus forma cum veste Prælatorum, quam vulgò Romani vocant Mantellettum. Ad guttur autem clauditur duabus cordulis quas attracta currens fibula constringit, & aperitur, dum easdem cordulas demissa fibula relaxat, eo modo quo Cardinales, & Prælati, dum equitant, pileum sub mento ligant, vel soluunt. Talem namque vestem supra rochetum, seu lineam tunicam cum stola in hac Synodo iubentur gestare Parochi, quoties Sanctissimum Sacramentum ad infirmos extra Ecclesiam deferunt. Audio tamen in Archiepiscopatu Toletano mozzetam Parochorum habere paruum capuciũ, & non esse tam longam, quam est mãtellettum Prælatorũ, nec habere aperturas, per quas emittantur brachia.

Cap. 15. [a] *Poterit includi.* In authographo meo Hispanico dicitur, *se puede encerrar:* quem loquendi modum quãuis nec in Missali Romano, nec in Ceremoniali Episcoporum reperiam, aptissimus tamen est ad exprimendam diuersi-

uersitatem rituum, qui in diuersis regionibus obseruatur: Et propterea forsitan in rubricis Missalis, & Ceremonialis vtuntur verbo, *reponitur*, quod ab illa varietate abstrahit, & omnibus modis reponendi, seu collocandi Sanctissimum Sacramentum in sepulchro diei Iouis sanctae commune est; quamquam Gauantus rubricarum sensum, & Ecclesiarum Vrbis conformem consuetudinem expressius declaret. Alibi enim ab altari maiori, finita Missa, in processione ad sepulchrum defertur palàm in remonstrantia, quam vocant, vt per chrystallum ab omnibus videatur, & eodē modo reponitur in supremo gradu Sepulchri, ibique sic palàm exponitur, & relinquitur vsque ad sequentem diē claro conspectui, & adorationi concurrentis populi. Alibi autem, sic quidem defertur, ac sequenti die refertur ad altare, sed postquam in Sepulchro collocatum fuit, obducto velo tegitur, sicq; tectum remanet, donec iterum sequenti die palàm etiam cum processione omnium intuitui patēs referatur ad altare. Alibi etiam ab altari defertur intra calicem tectum tùm paruo velo ipsius calicis tum summitatibus alterius, quod pendet ab humeris deferentis, & quia vel non habent capsulam, seu vrnam, in quam ipsum in sepulchro includant, vel quia ibi non est moris, reponunt ipsum calicem cum incluso Sacramēto, suo paruo velo tectum, & sic in sepulchro relinquitur in sequentem diem ad cultum visitantis Cleri, & populi. Et huius delationis intra calicem mentio est in rubricis Missalis, & Ceremonialis Episcoporum. Romae verò, & in alijs quibusdam locis, dum apparatur sepulchrum, in summo eius collocatur capsula, seu vrna ad hunc vsum facta, & Sacramentum intra calicem ordinario suo velo tectum supra corporale collocatur in capsula, eaque obseratur, & clauis porrigitur alicui custodiendā in sequentem diem, qua iterum refertur Sacramentum ad altare intra eundem calicem eodem ritu, quo heri ab altari ad sepulchrum delatum fuit. Et quoniam Romanus ritus, & vsus vrnae, seu capsulae obseruatur Limae, ideo satis aptè, vti dixi, Toribius noster tùm in hac Synodo, tum alibi vsus est verbo includendi.

Cuinam autem debeat committi custodia clauis capsulae, declarauit idē Archiepiscopus cap. 32. Regulae consuetae his verbis: *Sacramento incluso obseratur capsula, & clauis traditur Praelato, si praesens est; sin minus Decano, & illo etiam absente, Thesaurario, cui alioquin incumbit eius custodia. Quod si horum nullus adfuerit, clauem tenebit Praeses chori, vel, eo absente, antiquior Dignitas, vel canonicus, qui aderit*. Bartholomaeus autem Gauantus par. 4. in rubricas Missalis, & Breuiarij tit. 8. lit. t. ad illa verba *reponit in capsula*, sic loquitur: *Facta iterum genuflexione antè & pòst, clauem dabit illi, ad quem spectat, non enim videndus est calix à populo, & multò minus hostia patere populo debet: neque dari debet clauis laico, quantumuis nobili ex decreto S. Rituum Congreg. 30. Ianuarij 1610. sed ei potiùs, qui sequenti die est celebraturus*.

Cap. 16. *Candela sebacea*. Meritò sanè has in sacris prohibet Archiepiscopus propter rationem, quam ipse adfert, nempe, irreuerentiam: nimis enim fumant, &, praesertim si adipe vel alia pinguedine, vt fit, misceantur, horrendum foetent; facilè quoque liquescunt, & subiecta quaeq; suo stilicidio deturpant ac inficiunt, quantò magis si vel ex butyro fiant, vel butyro commisceātur, quod hic prohibitū est: vnde etiam hoc decretū Synodi referri posset ad illud Concilij Tridentini, quod superiùs in nota nostra ad c. 24. act. 3. concil. 1. adduximus aduersus eos, qui tabachum ante Missam sumunt. Tridentinū enim vniuersim prohibet omnem irreuerentiam circa res, quae ad Missam pertinent, & Episcopos ad omnē tollendā hortatur, ac teneri decernit.

Fiunt tamen alicubi candelae sebaceae tam nitidae, vt vix guttam cadere inde videres, nec vllum sentias grauē odorem, nec cera pulchriùs luceat: quales in Hybernia honestae Matronae pro suis aedibus cōfici domi curant. Nec tamen vnquā ad sacrificium adhibentur, tametsi ad alios vsus satis honestae sint. Mixtura verò alterius pinguedinis, vel apud pauperes fit, vel ab artificibus candelarijs, qui lucri causa ad augen-

augendum pondus fœtida quæque cõmiſcent, quod Indorum forſitan rudítas facilè committebat.

Cap. 46. [a] *Fatiat azua*. Azua eſt potus Indicus ex *Sora*: eſt autem Sora fruges illa, quam vulgò vocamus granum turcicum, cum mixtura yucæ, id eſt, ſucco cuiuſdam radicis Indicæ, qui mixtus decocto ſoræ, eo modo, quo in Prouincijs Septentrionalibus Europæ coquunt in ceruiſia, ſeu bira flores lupuli, potentiſſimam habent vim inebriandi. Et quoniam Indiani in huius potus vſu aliquam habebant ſuperſtitionem ſuæ idololatriæ; & illo hauſtu inebriati huiuſmodi ſuperſtitiones exercebant, ideò Toribius Archiepiſcopus omnem occaſionem illis ablatam cupiens, eiuſmodi potus vſum ipſis penitùs interdixit. De varijs huiuſmodi variarum regionum confectionibus potus tractaſſe Antonium à Leone Pinelum, in quæſt. morali de chocolate, notat Illuſtriſs. D. Nicolaus Antonius Eques Ord. S. Iacobi, in eruditiſſima ſua Bibliotheca Hiſpana.

Cap. 60. [a] *Id in malam partem intelligendo*. Hic locus mihi ſanè obſcurus eſt. textum Hiſpanicum deſcribo, vt meliorem forſitan ſortiatur interpretem: *que antes que ſe caſſen ſe juntan primero, y no ſe quieren caſſar, diciendo que no ſean juntado, ni ſean conocido, entendiendolo en mala parte*. Fortè putant ſibi licere copulam ex intentione matrimonij poſteà contrahendi, ſed hoc & falſum eſt, cum id contrahere nolint; & non excuſat peccatum, quia vxores non vt iumenta, vel vt artis inſtrumenta per illicitam copulam probandæ ſunt, vt ſi placeant emantur, ſed vt à Deo coniunctos homo nõ ſeparet, & ideò merito hic eos coërcendos decernitur. Quid aliud ſignificet hic modus loquendi ego non aſſequor. Intelligent fortè melius illi, quibus hæc lex poſita eſt, & qui illam exequi ex officio debent. Quod ſi forſitan ego latinè debuiſſem ſcribere *in mala parte*, & non *in malam partem*, ita vt ſenſus ad corpus, non ad animum referatur, hoc iterum non excuſat, quia nulla parte licet cognoſcere mulierem non antè coniunctã legitimo matrimonio. Quid quid ergo dicatur, lex rectè, & ſanctè ſancita eſt.

At credere vetat in ſecundo ſenſu intelligere mentalem illam reſtrictionem Indorum, quod de illa gente adhuc pagana, diutiſſimè priuſquam de Chriſtiana religione quidquam didiciſſent, ſcribit Garcilaſſus in ea prima parte commentariorum Regum Incarum Peruuiæ cap. 13. quòd ſub Inca Yupanqui quinto Rege, cùm ipſius duces expugnauiſſent valles illas planitiei maritimæ, Regem inter alia admonuerint, quòd ſecretas gentis conſuetudines, ipſarumque ritus, & ceremonias, Deoſq; (qui alij non erant, quam piſces, quos occidebant) explorantes detexerint aliquos fuiſſe ſodomitas non in omnibus vallibus, ſed in aliquibus tantùm, neque generaliter in vllo populo, ſed in perſonis priuatis, qui ei vitio occultè dediti erant: atque tunc Rex inter alia mandata reſcripſit, vt ſummo ſtudio inquirerent in ſodomitas, eoſque viuos in publico foro cremarent, non ſolum, qui culpabiles, ſed etiam qui quibuſuis indicijs notati reperirentur, ipſorum inſuper domos incenderent, & omnes arbores poſſeſſionum, earumq; radices euellerentur, vt rei tam abominabilis nulla supereſſet memoria. Publico deinde præconio, tanquam inuiolabili lege cæteros monerent, vt ab eiuſmodi vitio in poſterum ſibi caueãt, indicta pœna, quòd pro vnius cuiuſuis delicto totum oppidum deſolaretur, & omnes eius incolæ vniuerſim viui comburerẽtur, vti tunc factum eſt particularibus illis, qui tunc delinquentes reperti fuerunt. Quod ex Regis mandato factum eſt cum ſumma admiratione, terroreq; omnium indigenarum illarum vallium, dum aduerterent nefandum peccatum tam atroci, nouaq; pœna plexum ac plectẽdum eſſe; & adeò abominabile Regibus Incis, & vniuerſo ipſorum generi, quòd vel nomen ipſum tanto haberent odio, vt nunquam ab ipſis proferretur. Quin imò ſi quis, Cuſquenſis indigena, etiam non regij ſanguinis, iratus inter rixandum hoc vitium alteri exprobraſſet, is ipſe, qui contumeliam inferebat, infamis habebatur, & reli-

Kk qui,

qui eum in multum deinceps tempus tanquam rem vilem, ac horridam intuerentur, quòd id nomen vel ore semel vsurpasset.

Ita Garcilassus Inca, vt minus credibile sit illam gentem post tot sæcula extincti inter eos vitij eius memoriam retinuisse, qua se excusarent à peccato concubinatus: vnde etiam liquet cum ipsa natura dictasset Peruanis tantam illius criminis turpitudinem esse, vt ne nomen quidem sustinere possent, multo magis inexcusabiles fore, qui diuinã legẽ docti didicerunt atrocissimam & etiamnum hodie durantẽ cælestis ignis vltionem in vniuersam Ciuitatem, ac terram Sodomorum.

Cap.67. [a] *Mitam*. Mirum quanta conuenientia sensus huius dictionis apud Peruanos, & Anglos, quam etsi variè scribant, sed eodem modo efferunt. Nam quod Anglus scribit *meeting*, eadem vocis elatione legit, quo Indus producta vocali *mit*, & Hispanus *mita*. & significat apud vtrosq; occursum, concursum, aut congregationem, Hispanicè *encuentro*. Cum igitur, vt Gercilassus Inca norauit par. 1. comment. Regum Peruanorum lib. 5. cap. 5. maximum tributum quod Indi soluebant, erat colere terras Solis, & Incarum, earumq; fructus colligere, & reponere in loca ad id in singulis oppidis destinata; Hispani idipsum deinde secuti assignabant Ecclesijs, Monasterijs, & præcipuis laicis certum numerum Indorum ipsorum obsequijs necessarium, quoties opus erat; & quoniam isti, vt sua portio in singula loca, vel domos distribuatur, debent priùs per suos Caciques, & Curacas, id est, Primarios Indos, & Indorum Dominos congregari in vnum, talis congregatio etiam Anglicano sensu *mita* dicta est: atque inde ipsa distributio, quo sensu inferiùs Synod. 6. cap. 4. prohibetur, ne partitiones mitarum fiant in Ecclesijs: Item opera sic obsequentium; quo sensu hoc capite prohibetur, ne puellæ doctrinarum in tali mitarum distributione destinentur, vel admittantur ad laborandum in domibus Sacerdotum, vbi *mitam facere*. Idem esse videtur quod laborare virtute mitæ, seu distributionis factæ in concursu, seu congregatione, quam forsitan, vt apud Anglos, sic apud Indos propriè significat *mita*. Vel fortè clariùs dicemus mitam in domo vel agro facere idem esse, quod occurrere, concurrere, seu aggregari alijs pluribus ad eandem domum, vel agrum simul destinatis. Eademq; phrasi vtuntur etiam Angli dum dicunt, to make à meeting, to haue à meeting, quod est facere, vel habere conuentum seu congressum.

Cap.75. [a] *Quando id euenerit*. Inaurium vel fixarum vel pendularum antiquitatem non est quod anxiùs inuestigemus, cum omni fermè æuo, in omni gente Pagana, Hebræa, Christiana earum vsus indies viguerit; sed etiam vbique abusus, vel illicito vtentium animo, vel alijs circumstantijs, vt si in paupere nimis sumptuosæ sint, vel etiã in locuplete fœmina ad virorum inordinatum affectum ad se trahendum, & similia, quæ in omni ornatu reperiri possunt: vnde in hoc Decreto Toribius Archiepiscopus informatus, quòd inaurium vsus inter Indos nunquam esset absque superstitionibus gentilitijs, non permisit tamen eas prohibuit, sed *quando id euenerit*, vt cùm actioni, vel ornatui alioquin indifferenti accesserit superstitio, vel alia circumstantia deprauans.

Cap.76. [a] *Inebriationes, & ludos*. De gentilium ludis & spectaculis, & quantum Christiana pietas tum religionis, tum vitæ integritatis causa ab illis cauere debeat, satis iam notauimus ad cap. 12. primæ Synodi Diœcesanæ. Hic iam explicandum est, quales fuerint illæ Peruanorum ebrietates, qualesq; ludi, quos *taquies* vocabant. Queisq; sementis & messis temporibus, alijsque maiorum negociorum occasionibus vti solebant. Garcilassus Inca, lib. 5. par. 1. comment. Reg. Incar. Peruuiæ. refert totam terram satiuã in tres partes dispertiri solitam, quarum vna Soli, seu Solis templo, & Sacerdotibus fructificabat, alia Regi; tertia populo: ita vt quilibet paterfamilias pro personarum domus numero tot portiones ad colendum acciperet, & personis deficientibus easdem portiones publico restitueret,

ret, nec vlli eas vendere, vel emere licebat. Sic verò per ordinem colebantur, vt primo loco seminarentur portiones Solis, deinde viduarum, orphanorum, & senio, vel morbo detentorum, & militum ad bella procedentium, quos pauperes & impeditos reputabant; & ideò iussu Regis eorum portiones publico opere colebantur: Erant enim in omni oppido, & pago homines ad id destinati, vt pauperum terræ portiones colerent, seminarent, rigarent, & meterent; ita vt in toto Regno nemo quantumcunq; pressus victũ mendicare cerneretur. Post pauperum, & impeditorũ portiones colebantur particulariũ subditorum agri, in quo se mutuò per vices Hispanicè, *à torna peon*, iuuabant. Hinc portiones Prætoris oppidi, quas Rex non priùs curari iubebat, quam populo prouisum esset, cuius præcepti transgressionẽ violatoris suspendio aliquando plectere visus est, affirmans Regis obsequia à subditorũ sorte dependere, nec bello, nec paci prodesse posse, quibus vitæ necessaria non suppetãt.

Omnium igitur vltimo loco proprios agros Rex Inca coli volebat, vt populus domesticis curis expeditus eò alacriùs illis colendis intenderet: concurrebat enim vniuersus ad opus, sed omni genere festiuitatis, & lœtitiæ, vt ad ludos potius, & publica tripudia, quam ad laborem conuenire viderentur, siue Soli, falsò ipsorum Deo, siue Regi lacertorum tributum, quod apud eos prçeipuũ erat, repensuri, vestibus, pro vt quisque poterat, solemnissimis induebantur, omni auri, argentiq; & plumarum ornatu splendidis. Habebant cantica in Solis, & Regum laudes composita, quorum cuiusq; strophæ clausula erat illa dictio *Haylli*, quæ generali Peruanorũ lingua triumphum significat, quasi de terra inter operandum triumpharent, eam proscindendo exinterandoque vt fructum ipsis ferret. His canticis præterquam quod in Solis, falsi Dei, & Regum, Solis filiorum quasi diuinum quendam cultum canerentur: Intermiscebant iucundos quosdam cõceptus amatorios, & fascinora militaria, vt proinde prouidentissimè per Toribium prohibita sint, quæ nimirum & idololatriæ semina, & morum corruptelam in cantantiũ, audienriumque mentibus disseminabant. Quanquam autem hæc scribat Garcilassus de cultura portionis cuiusdam terræ Soli dicatæ, quam regij sanguinis Principes tantùm Incæ, & Pallæ, hoc est, mares & fœminæ Infantes simul suis manibus colebant, profitetur tamen se id exempli gratia facere, vt inde innotescant reliquæ solemnitates, quæ in colendis Regum, & Solis terris per totam Peruuiam fiebant.

Tripudia verò, & ebrietates describit Alphonsus d'Oualle Chilensis Iacobopolitanus lib. 3. relat. Regni Chilæ cap. 4. vbi saltationis figurã insculptam exhibet in hunc ferè modum. Vestibus melioris lanæ, coloris, ac texturæ, varijsq; pro patrio more ornamentis in huiusmodi festa reseruatis induti eligunt in primis vexilliferum, qui in medio positus vexillum alta hasta ad terram fixa ambabus manibus tenet, e regione huius stat tympanista, qui paruũ tympanũ illius generis, quo equestres milites apud nos vtuntur, id est, vnius corij sub axilla lena portat, ipsũ vno bacillo, dextera tantummodò manu pulsat: & quoniam ipsum tympanum, Indorum lingua *taquies* appellatur, inde totus ludus accepit nomen *taquies*. Ad pedem vexilli sunt plures amphoræ, seu lagenæ vini, & potus, quem *ciciam* vocant, eoq; bibituri ex choreis accedunt; stant enim instar rotæ in circulum circa vexillum, & ita iunctis manibus omnes simul perpetuò circuunt moderatis saltibus absq; fractis passibus, & singularibus giris, & vt vocant capriolis, quibus Europæi saltandi artẽ exercent. Sonante quoq; tympano cantant omnes simul concordi voce, & cantu plano absq; differentia alti, & bassi, sed adeo violento, vt eorum clamores valde procul audiantur, nec inter hos vnquam cessabat saltus præterquam eorum, qni ad bibendum prouocabant, vel prouocati accedebant. Bibebant autem ex eodem vase bini, & quaterni, sed æquali haustu, ac tam æqnali concertatione potandi, vt omnes demum, solo æquarentur: nam nec bibere, nec saltare die, noctuue cessabant, dum ebrietate, ac lassitudine deficien-

tes paulatim caderent. Cantui subinde, dum finiunt versum, interponunt sonum fistulæ, ac tubæ, sed illico ad cantum, ac tympanum redeunt. Tanto numero ad huiusmodi choreas, & inebrietationes conueniunt, vt dum omnes simul saltare non possint, reliqui se in circulos partiuntur: vbi inter bibendum, & colloquendum, dum potu incalescunt, & vinum lætificat corda eorum, non raro incidit mentio præteritarum iniuriarum, redeunt odia vetera, quæ tandem in rixas, & occisiones desinebât. Fœminæ tamen, vt magis verecundæ, non se miscent saltationibus, & cautius potant, nec inebriantur, sed solicitam domus, & mariti curam agunt, nequid ipsis eueniat aduersi: atque istæ sunt inebriationes, & *taquies* Indorum. Quæ quoniam præter peccatum ebrietatis, & aliorum peccatorum pericula, erant etiam magnæ olim superstitionis, ideo in hac sacra Synodo prohibita sunt.

Cap. 83. ª *Pœna non frequentantium doctrinam*. In remissionibus Augustini Barbosæ ad cap. 4. sess. 24. Concilij Trident. ad ea verba *Iidem etiam*. ex Zerol. in praxi Episcopali par. 1. verb. *Doctrina Christiana* §. 3. allegatur sacram Congregationem Cardinalium censuisse in hæc verba: *Ordinarius non potest mulctis, & pœnis, etiam casu notabilis negligentiæ, aut contumaciæ cogere pueros ad discendam doctrinam Christianam, etiamsi hoc fieri voluerint in oppidis, villis, & alijs locis extra Ciuitatem*: Nec valet, quia Concilium loco citato dicit posse compelli per censuras Ecclesiasticas, quia ibi loquitur de compulsione illorum, quorum interest eam docere, & non de compulsione puerorum, seu parentum ipsorum. Hæc Barbosa. Quæ ex diametro pugnare videntur cum decreto huius capitis 83. præsentis Synodi Diœcesanæ.

Sed præterquam quod nec dies, nec nus decreti designetur, nec ipsa Cõgregatio per quam editum sit, casu quo certum, & authenticum foret, debet tamen censeri, quòd non intelligatur de Indis; quandoquidem Sixtus V. ex voto S. Congreg. Cardinalium interpretum S. Concilij Trident. approbauerit Concilium Prouinciale Limanum anni 1583. in cuius act. 4. cap. 7. habetur decretum simile decreto præsentis Synodi Diœcesanæ, & contrarium illi decreto per Barbosam allegato his verbis: *Itaque Concilij superioris salutaria de hac re decreta confirmans, atque innouans: statuit hæc sancta Synodus pro culpis ad ecclesiasticum forum attinentibus etiam Ecclesiasticos Iudices posse, ac debere Indos corripere: quales sunt atrocia illa idololatria &c. Deinde & illa minora sunt necessariò corrigenda, Missæ, aut Catechismi voluntaria omissio, & pro talibus certè iuxta delicti mensuram potest adhiberi pœnarum modus*. Apparet ergo hoc loco Concilij prouincialis, à sacra Congregatione, & Summo Pontifice approbati Indos voluntariè omittentes Catechismum pœnis ad eum compellendos esse. Et ratio differentiæ inter ipsos, & Christianos Europæos in eodem Concilij prouincialis decreto redditur his verbis: *Profectò Barbara, & rationi non vsque adeò obsequens Indorum natio pijs, & salutaribus institutis parere nunquam, sicut opus est, assuesceret, si rectores suos veluti ad vindicandum in malefacta impotentes facilè contemnat*. Præterea possunt pueri Europæi multis alijs modis Christianam doctrinam addiscere, siue à parentibus, siue ab alijs, quibus eos docere incumbit. At in Indijs parentes ipsi, cæterique Catechismum ignorantes, cogendi omnes sunt, vt fidem, quam in baptismo professi sunt, cum à se ipsis addiscere non possint, à Sacerdotibus ad hoc designatis audire debeant.

SY-

SYNODVS IV.
DIOECESANA.

Celebrata in Oppido Sancti Iacobi de Tauras-bamba, die vij. Septembris, anno MDLXXXVI.

NOS D. Toribius Alphonsus Mogrouejus, Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia Archiepiscopus Regum; Regiæ Maiestati à Consilijs &c. Volentes satisfacere obligationi, quam nobis imponit sacrum Concilium Tridentinum, celebrandi singulis annis Synodum Diœcesanam, conuocauimus admodum RR. DD. nobis dilectos Decanum & Capitulum nostræ sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Regum, nostrosq; Parochos, & Vicarios, ac reliquas personas Ecclesiasticas, quæ de iure vel consuetudine tenentur accedere, & assistere dictæ Synodo nostri Archiepiscopatus, quæ de iure vocandæ sunt. Cuius Synodi conuocatio fuit pro die S. Iacobi proximè præterito præsentis anni 1586. In qua dicta Synodo ordinauimus, & statuimus Constitutiones sequentes; quas præcipimus & volumus obseruari, & adimpleri, quemadmodum, & secundum quod in illis continetur, sub pœnis in eisdem contentis, & alijs nobis arbitrarijs.

Cap. I.

Indorum Parochi diligenter legant libros Coniugatorum, Baptizatorum, & Confirmatorum.

OMnes in posterum Indorum Parochi solicitam curam gerant, vt semel singulis annis coràm congregatis Indis legant libros Baptizatorum, Confirmatorũ, & Matrimonio iunctorum, ne dicti Indi prætendendo ignorantiam, Baptismum, Confirmationem vel Matrimonium viuente priori coniuge iteratò sumant. Quod ita diligenter compleant ijdem Parochi, vt eos moneamus, quòd contra negligentes procedemus.

Cap. II.

Vicarij suo & subditorum sibi Clericorum nomine, mittant vasa Chrismalia ad locum, in quo consecrabitur sacrum oleum.

VIcarij omnes deinceps nomine suo, & aliorum Vicariorum, & Clericorum suæ Prouinciæ sibi subditorum, pro die Iouis sancto mittant vasa Chrismalia ad locum, in quo fiet consecratio sancti olei, retinendo penes se alia vasa interìm dum oleum nouum adferatur, ita vt dicta die vasa omnia sint in eo loco, in quo consecrabitur sanctum oleum, cum testimonio nostri Prouisoris, aut Parochi illius Ecclesiæ, in qua fiet consecratio; in quo testimonio notabuntur dies, mensis, & an-

ex Ecclesia ante Missam finitam exire permittant. Eundem modũ seruabunt Parochi in conuocando populum diebus doctrinæ, vtendo eodem Catalogo ijsdemq; præfectis,& fiscalibus. Puerorũ autem qui quotidiè solent interesse Catechismo separatam habebunt Parochi matriculam, in qua omnes descriptos per classes, seu calles ordinabit; vnum ex eisdem cuique classi vel calli præficiendo, qui reliquorum sibi commissorum conuocandi curam agat, eorumq; rationem reddat Sacerdoti: & Parochus huiusmodi Præfectos in ipso catalogo seu matricula notanter signabit, & rationes ab eis exiget, ne quisquam desit: singulos etiam Indos quarto quoque mense examinabit, vt, scientes se sic examinandos esse, nõ obliuiscantur doctrinæ, ac diligentiùs eam frequententillis diebus, quibus tenentur adesse.

Cap. V.

Singuli Parochi habeant ferreos forcipes ad coquendas hostias, & rectores bonorum fabricæ soluant eorum pretium.

QVoniam in visitatione quam fecimus, & nunc facimus, comperimus multos clericos ommisisse Missas defectu hostiarum & ferri quo conficiantur, multaq; fuit nobis de hac re oblata querela, singuli deinceps nostri Archiepiscopatus tàm Indorum, quàm Hispanorum Sacerdotes habebunt ferra,quibus conficiantur hostiæ quisq; in sua doctrina vel Parochia, ne opus habeant hostias vel ferrum aliunde petere. Et Rectores regionum pecuniam ad ea emenda ex bonis fabricæ Ecclesiarũ Sacerdotibus tribuant: cumq; hi noluerint ea emendi curã suscipere,iubemus vt ipsi Rectores id faciant, & cum celeritate adimpleãt, in virtute sanctæ obedientiæ: Totius rei executionem & complementum remittentes,prout remittimus Vicarijs Prouinciarũ, in quibus eiusmodi Rectores fuerint, vt eos faciant efficere quòd iubetur, terminum illis assignando, ne sequantur hic superiùs relata detrimenta Missarum.

Cap. VI.

Vt Parochi plurium populorum suos Parochianos moneant festorum & ieiuniorum, quæ seruare tenentur.

HVius nostri Archiepiscopatus Parochi omnes, quibus plurium populorum cura incumbit,Parochianos suos omnes peculiari cura & vigilantia præmonebunt festorum dierum & ieiuniorum, quæ seruare tenentur. Et ne vllam prætendant ignorantiam, & vt Deo dignè seruiatur, mittent personam, quæ singulos populos præmoneat, vel alicui fido in ipsis populis committat, relinquendo ei catalogum festorum & ieiuniorum, vt ea populis declaret, cum Sacerdos ipse non potuerit accedere. Concil. Rauennate II.sub Clemente V.

Cap. VII.

Parochi diligenter conscribant baptizatos, & matrimonio iunctos.

CVm Parochi describent Baptizatos & coniugatos,ad singulos apponent subscriptiones testium præsentium, & patrinorum, quantum- Synod.Diœces. Moguntin.1548

tumuis eadem die plures baptizentur & copulentur, ad euitandos errores, & confusionem, quæ in ea re contingere possunt.

Cap. VIII.

Parochi castigent Indos, & pœnas imponendas illis declarent.

Synod.5.c.73. Concil. prou.1. Act.4. c.7 & 8.

CVncti Indorum Parochi huius Archiepiscopatus, quibus potestatem dedimus, & commisimus eos corrigendi, & castigandi ipsorum delicta, declarando eis pœnas imponendas, cæteraq; faciendi quæ per nostras Constitutiones Synodi proximè præteriti anni 1585. ipsis ordinata sunt, peculiarem curam ac diligentiam adhibeant, obseruantissimiq; sint præscriptorum, specialiter procedendo contra iteratò suscipientes Baptismum, vel Confirmationem, vel Matrimonium ineuntes viuente priori coniuge, instituendo informationes, easq; ad Nos, vel nostrum Prouisorem remittendo, prout & secundum quod in eadem Synodo eisdem Parochis c. 73. præceptum est. Quantum autem ad id, quod dispositum est de illis qui contrahunt duplex matrimonium, declaramus debere intelligi iuxta præsentem Constitutionem. Quòd si Parochorum quisquã incurius fuerit in rebus sibi per easdem Constitutiones commissis, Parochus, vel Parochi reliquarum doctrinarum id scientes monebunt omni meliori modo Vicarium Prouinciæ, vt remedium adhibeat, & procedat contra negligentes & remissos in administratione iustitiæ.

Cap. IX.

Hispanorum Indorumq; Parochi sua nomina matriculis in principio, & fine inscribant.

CVm fient matriculæ, omnes tam Hispanorum quam Indorum Parochi suis nominibus in principio signabunt, quando illas inceperint, & in fine quando absoluerint excipere confessiones suorum Parochianorum; idque totum designando diem, mensem, & annum, cum omni distinctione & claritate; quod ita faciant & adimpleant, sub pœnis contentis in Synodo proximè præterita anni 1585.

Cap. X.

Vbi fuerint Indorum Parochi non periti linguæ, assistant vicini ad prædicandum, & excipiendas Confessiones.

QVia propter defectum Sacerdotum, qui Indorum linguas probè calleant, vt eorum confessiones excipere, vel verbum Dei eisdem prædicare possint, non rarò in aliquibus Doctrinis cõstituuntur Parochi minus periti linguarũ; & quoniam necessitati confessionum & prædicationis expedit adhibere remedium. Nos eiusmodi necessitatibus prouidentes statuimus, vt omnes nostri Vicarij vigilantem curam agant, quòd quisq; in suo districtu, & regione, in qua eiusmodi imperiti Sacerdotes fuerint, illos iuuent per alios vicinos Sacerdotes linguæ peritos, qui suis temporibus confessiones audiant & prædicent, assignãdo illis partem stipendij imperitorũ, & pro-

Conc. Mediol. I. tit. de prædic. verbi Dei.

Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. de reform.

& procurando, vt huiusmodi adiutores tales sint, quibus non incumbat cura alterius doctrinæ: quod si sic vacantes reperiri non possint, curabunt, vt Parochus, quàm maximè fieri poterit vicinus, ex ijs qui linguam callent, hoc officio fungatur, alio quopiam interim, vel saltem eodem, cui tunc sufficitur, in eius loco & parochia remanente, dum ipse huius populum sacra confessione & verbi Dei sermonibus imbuit: ita vt nec vni, nec alteri Parochiæ desit Sacerdos, & vt per omnia seruiatur Deo. Illi autẽ qui imperiti Sacerdotis defectũ suppleuerit interim, dum in eius populo erudiẽdo & absoluendo occupatus fuerit, prædicti nostri Vicarij honestum & moderatum assignabunt stipendiũ, idq; ei persolui curabunt impendio illius cuius defectum suppleuerit. Iidem Vicarij ex charitate & potestatis rigore hortabuntur Presbyteros imperitos, vt linguas diligenti cura perdiscant, & cõtra negligentes procedant iuxta Constitutiones huius Archiepiscopatus, imponendo illis pro primo anno pœnam priuationis tertiæ partis salarij, eamq; iuxtà culpæ meritum secundo, tertioq; anno augendo. Eandemq; pœnam exigẽdi solertem curam habebunt nostri Visitatores. Et si Vicariorum quisquam animarum curam inter Indos habens non possit, ex defectu linguæ, doctrinæ prædicationem, vel pœnitentiæ Sacramentum eisdem ritè ministrare, tunc Parochus tali Vicario proximè vicinus, & linguæ peritus ibit eius populo prædicatum, & ministratum Sacramentum, relicto in suo loco alio Sacerdote non alibi occupato, vel ipso Vicario, si alius occupatione liber non suppetat; ita vt nullibi desit Sacerdos. Neque dicti Vicarij resistant, vel contradicant Sacerdoti qui ipsorum defectũ supplet, & prouidet necessitatibus populi. Sed potiùs obseruantissimi sint, & bonum exemplum alijs præbere studeant, se in hoc submittendo, vt iustum est, quòd faciant. Eosdemq; monemus, quòd cum perceperimus eos contrarium facere, cum magna demonstratione contra eos procedemus. Prouidebitq; eiusmodi Sacerdoti, qui ipsius defectum sic suppleuerit, portionem stipendij, & eleemosynam, quæ iustè ad eum pertinebit pro tempore quo sic occupatus fuerit, absque eo quòd opus sit recurrere ad superiorem, qui tamen in casu efficiat, vt persoluatur. Vtq; præmissa omnia debitum sortiantur effectum, potestatem & facultatem facimus cuicunque Clerico districtus talis Vicarij, & cuicunque pariter alteri Vicario eiusdem Prouinciæ, vel confinium ad hoc eiusque annexa ac dependentia, nostras vices illis committendo, prout eorum vnicuique in solidum committimus, vt illi Sacerdoti solui faciant dictam eleemosynam, & stipendiũ, vt dictum est, pro ratione temporis quo sic occupatus fuerit, & laboris quem in eandem occupationem insumpserit, pro vt secundum iustitiã iudicauerint. Et vt pariter solui faciant Vicario, vel clerico, qui remanet in loco Sacerdotis, Vicarij, vel alterius imperiti Sacerdotis defectum supplentis in prædicando & confessiones excipiendo, potestatem id faciendi concedimus, & vt possint administrare reliqua Sacramenta interim dum ibidem occupati fuerint,

quantum de iure possumus.

Cap. XI.

Quod Clerici nec pro se, nec aliorum nomine ludant, nec alij pro ipsis.

Concil. prou. I. Act. 3. cap. 17. Synod. Diœcesf. I. cap. 3. & Synod. 3. cap. 11. & 12.

QVoniã Clericis prohibuimus, ne ludant, secundùm quod, & prout in nostris Constitutionibus continetur; ad præueniendas calúnias, fictiones, & fraudes, quæ inde nasci possunt, dum, vt liberentur à pœnis, allegant, se non pro se, sed pro alijs lusisse, prout ex visitatione, quam fecimus, Nobis constitit: idcircò declaramus dictas Constitutiones & ordinationes intelligi debere, siue clerici pro se, siue alterius nomine, vel alius pro ipsis, vel eorum nomine ludat; ita vt ijdem clerici non possint pro se, vel pro alijs, vel alij pro ipsis aut ipsorum nomine ludere, sub pœnis pecuniarijs per nos impositis in Synodo Diœcesana anni 1585. in Oppido Yungay celebrata, aduertentes interim ad censuras per Concilium prouinciale anni 1583. huiusmodi lusoribus impositas.

Cap. XII.

Clerici nullo ludo iure prohibito ludant.

Iisdé locis proximé citatis.

NVllus Clericus Indorum Parochus ludat chartis, quemadmodum in Synodo Diœcesana anni 1585. constitutum est, vt nec aleis, nec alio genere ludorum qui de iure prohibentur, pro parua, vel magna quantitate, siue pro collatione, seu alio fine, sub pœnis pecuniarijs in eadem Synodo contentis, & alijs Nobis arbitrarijs. Similiq; modo huiusmodi ludos alearũ, & alios in iure vetitos prohibemus reliquis Clericis cuiuscunque qualitatis sub ijsdem pœnis pecuniarijs in eadem Synodo contentis, & Clericis non Parochis Indorum impositis, & alijs pœnis ad nostrum arbitrium; eosque exhortantes vt attendant ad cẽsuras sibi impositas in Concilio prouinciali anni 1583. si transgrediantur.

Cap. XIII.

Sacerdotibus Capellanias obtinentibus non detur vinum, vel cera expensis Ecclesiæ.

CLericis in aliqua Ecclesia habentibus Capellanias non detur vinum vel cera expensis eiusdem Ecclesiæ, etiam in fundatione capellaniæ, nisi casu quo ipsi Ecclesiæ relicta sit aliqua sufficiens eleemosyna, cum onere ministrandi sacellanis eiusmodi vinum & ceram. Concil. Mediolan. IV. tit. de Capellis & altaribus.

Cap. XIV.

Oeconomi ceram per ordinem subministrent, & consumatæ rationes à Sacristis exigant.

EcclesiarumOeconomi ceram Sacristis ordine & ratione subministrent, nec recentem daturi plures candelas dent, quàm ad numerum receperint, remanentes cremataram particulas, id quod nobis cõstat, vt statuimus, maximæ Ecclesiarum vtilitati fore, & contrarium non minori detrimento. Regula consueta cap. 29. & 31

Vica-

Cap. XV.
Vicarij colligi faciant veteres Ecclesiarum libros, eosq; Parochis ad vsum seruandos tradi.

De ecclesiasticarum scripturarum custodia & cura Concil. Mediolan. I. tit. Quæ pertinent ad bonorū &c. & Mediol. III. tit. de ijs quæ ad capitulū pertinent.

QVoniam ex visitatione, quam nunc prosequimur, nobis cōstat multos veteres Baptismatum, & Matrimoniorū libros in alienis manibus absque debita custodia malè haberi; cuncti posthàc tùm Indorum, tùm Hispanorum Parochi omnes huiusmodi libros ad suam Parochiam vel doctrinam spectantes, colligi, consui, compingi, & magno studio custodiri diligenter curabunt, eos nullius fidei permittentes, vt si cuiuis dubij circa Matrimonia, vel Baptismata casus contingant, ad eos pro veritatis notitia recurri possit. Et nostri Archiepiscopatus Vicarij huius rei executioni inuigilabunt, ordinando quidquid ad hoc maximè conduxerit, efficiendoque, vt per suos districtus omnes eiusmodi Baptismatum & Matrimoniorum Prothocolla solerter colligantur, ac Parocho Ecclesiæ ad quā pertinent, cōsignentur; Nobis enim cōstat multos eiusmodi libros in potestate Clericorum inueniri, qui non sunt proprij Parochi locorum, ad quæ libri pertinent.

Cap. XVI.
Quomodo domesticorum Baptismatum defectus in Ecclesia supplendi sint?

QVando contigerit paruulum aliquem ex necessitate domi vel alibi baptizari, & posteà, vt vngatur, ad Ecclesiam deferri, Parochus ipsum baptizans, vel vngens diligenter curabit, vt in libro notetur qui fuerint eius patrini; quando baptizatus, vnctus, & exorcizatus fuerit.

Cap. XVII.
Visitantes quibus victus necessaria suppeditantur, non accipiant iura, quæ Pilæ vocant.

Concil. Trid. sess. 24. c. 3. de reformat. Concil Limense anni 1583. Act. 4 cap. 4. & alia ibi citata.

QVoniam nobis innotuit, quòd Visitatores aliqui dum visitant, quamuis ità excepti, vt nihil victus vel rerum necessariarum ipsis desit, vlteriùs ab Ecclesijs exigant aliquot pesos, quos iura pilæ vocant, cum hoc sit contra Decreta sacri Concilij Tridentini, & Constitutiones huius Archiepiscopatus; statuimus, vt Visitatores in posterum ab eiusmodi excessibus abstineant, & consueto victu contenti sint, attendantq; ad rigidas pœnas, quas iura & sac. Concil. Trident. huiusq; Archiepiscopatus Cōstitutiones transgressoribus imponunt, eosdem commonentes, quòd contra eos cum rigore & exemplari demonstratione procedetur.

Cap. XVIII.
Prouisor & Iudices Ecclesiastici, itemque Notarij habeant Prothocolla causarum.

PRouisor noster cæterique Iudices Ecclesiastici habebunt librū in quo describent omnes condonationes quas facturi sunt, omnesque appellationes desuper interpositas, cum notis diei, mensis, & anni, adnotando pariter an denegatæ ipsis fuerint eædem appellationes, vel cōcessæ, & ad quem terminum, vel an sen-

ſententias executi fuerint, & penes quem extant condonationes. Notarij quoque librum ſeparatum habeant, in quo deſcribant proceſſus tàm abſolutos, quàm pendẽtes, quod totum magna claritate & rerum diſtinctione exequantur, cum Indice alphabetico in principio libri.

Cap. XIX.

Iudices ſeculares non cognoſcant cauſas Idololatriæ, vel alias merè Eccleſiaſticas.

Synod. Diœc. 3 ſupra cap. 35. & 40. & locis ibi in margine citatis. Concil. prouin. anni 1583. Act. 3. cap. 7.

LOcorum correctores, & Iudices ſeculares non ſe interponant cognitioni cauſarum Idololatriæ vel gentilium rituum ſeu cæterorũ ceremoniarum Indorum, vel aliarum cauſarum merè eccleſiaſticarum, nec in limitando vel præſcribendo tempus, quo debeant doctrinarum Parochi in illarum oppidis eſſe; cum hoc ipſis toties prohibitum ſit. Quod ita adimpleant, attendendo ad pœnas contra tranſgreſſores interminatas, & ad conſtitutionem noſtram in Synodo proximè præteriti anni 1585. Et quod circa hoc ibi ordinatum eſt, declaramus intelligi debere iuxta formã huius præſentis conſtitutionis.

Cap. XX.

Iudices & Notarij non accipiant ab Indis actorum iura.

Concil. Limen. an. 1583. Act. 2. cap. 38. 39. & Act. 3. cap. 6.

IVdices & Notarij non accipiant ab Indis iura pro vlla re, quam pro ipſis expedient, ſiue prouiſiones ſint, ſiue fiſcalium tituli, ſiue aliud quodcunque, ſub pœna dupli eiſdem Indis applicata, à quibus eiuſmodi iura exacta fuerint, & ſub alijs pœnis nobis arbitrarijs.

Cap. XXI.

Iudices & Notarij iura quæ perceperint, ſuis expeditionibus adnotent.

IVdices & Notarij ad omnes proceſſus, ſcripturas, licentias, titulos, & alias expeditiones adnotabunt iura, quæ perceperint, & in fine proceſſuum ſummam omnium iurium, ſub pœna dupli pijs operibus applicata. Et ſi præſcripta ſibi iura accipiendo exceſſerint, reſtituent quadruplum ipſis partibus à quibus iuſto plus acceperunt, & reliquum ad opera pia. Nec ijdem Iudices aut Notarij debita ſibi iura dimittant in manu, vel arbitrio illorum, qui ea dare debent; ſed clarè dicant, ac declarent partibus iura, quæ debeat & aſſignata ſunt. Et quando aliquid ex gratia remiſerint, notent, ſcribant, ac declarent ſe id præter ius facere.

Edict. generale 1. §. 4. verſ. in charta citatis, & § 8. in fine. & Synod. Diœc. 2. cap. 3.

Cap. XXII.

Notarij pro titulis ordinationum nihil accipiant vltra præſcriptum Concilij Tridentini.

CVm Notarij videantur excedere accipiendo duos peſos pro titulo ordinum, moti forſitàn occaſione cuiuſdam taxæ, in qua per errorem tale ſtipendium ſcriptũ eſſe oportet, quale in reliquis taxis per Conciliũ prouinciale conſtitutis non extat, ſtante decreto ſac. Conc. Tridentini, quòd non accipiatur vltra decimã partem vnius aurei; moniti ſint dicti Notarij, vt poſthàc in omnibus & per omnia ſeruent ſacri Concilij Tridentini Decretum, iuxta, & eo modo quo in eo continetur,

Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. de refor.

tur, eius ordinationem nullatenùs excedendo, attentis pœnis, & rigore, quo per ipsum Concilium contra transgressores imponuntur.

Cap. XXIII.
Vicarij faciant obseruari Constitutiones huius Archiepiscopatus.

NOstri Vicarij vigilanter incūbent, vt Clerici doctrinarū sui districtus obseruent prouinciales, & Diœcesanas Constitutiones huius Archiepiscopatus; &, vt easdem, ac pariter etiam Catechismos, confessionaria, & conciones per Concilium præteritum prouinciale anni 1583. ordinata apud se habeant, ne possint prætendere ignorantiam, aut ne in aliquos defectus aut errores incidāt: & vt cum decenti recollectione & honestate viuant, bonum exemplum Indis præbendo: Nec permittant, vt cuiuscunque qualitatis mulierum famulatu, vel ministerijs vtantur; nec vt filios domi alant, quod illis prohibitum est, exequendo pœnam centum pesorum, per Cōstitutiones huius Archiepiscopatus impositam, quam nunc denuò imponimus in eos, qui filios domi aluerint, & alias ad nostrum arbitrium, si aliud fecerint, quam quod ipsis ordinatum, & præscriptum est.

Cap. XXIV.
Vt declaratio Constitutionum reseruetur Illustrissimo Archiepiscopo.

SI dubium aliquod circa huius Synodi Constitutiones contigerit, eius declarationem reseruamus Nobis.

Cap. XXV.
Mulctarum distributio seruetur eidem Archiepiscopo.

DIstributiones mulctarum in his Constitutionibus indictarum, tùm quæ particulatìm exprimuntur, tùm quæ nostro arbitrio imponendæ sunt, nostræ quoque dispositioni & arbitrio reseruatæ sunto.

Cap. XXVI.
Vicarij & Parochi has Constitutiones penes se habeant.

CVncti nostri Hispanorum Indorumq; Vicarij, & Parochi synodales has Constitutiones, quoad ipsos attinet, intrà quatuor menses à prima præsentis Synodi publicatione, penès se habeant; alioquin luituri pœnam in Synodo Diœcesana præcedētis anni 1585. in oppido Yungay celebrata inflictam illis, qui Concilia Prouincialia, & Synodos Diœcesanas non habent, & alias pœnas nostro arbitrio imponendas, & contra transgressores procedendo exigendas.

Cap. XXVII.
Constitutiones Prouinciales ac Diœcesanæ obseruentur, etiamsi non sint in vsu.

QVoniam in Prouincialibus, ac Diœcesanis Archiepiscopatus nostri Constitutionibus, multa, eaq; salubria decreta sunt, & quidam earum minùs obseruantes in sui defensionē causantur, eas in vsu non esse. Declaramus, & volumus, vt obseruētur iuxtà quod, & eo modo, quo in

in ipsis continetur, excludẽdo omnes excusationes, & allegationes friuolas, easdem Constitutiones & ordinationes reducendo, vti, quantum opus est, reducimus in vsum & consuetudinem, secundùm quod & eo modo, & in quantum Iuris locus permittit, iuxtà Decreta sacri Concilij Tridentini, & Constitutiones huius nostri Archiepiscopatus.

Cap. XXVIII.
Quomodo disponendæ sint Indorum Decimæ.

Concil. Liman. anni 1583. Act. 3. c. 13. & Synod. Diœcesf. 3. cap. 31.

QVanquam per Constitutiones huius Archiepiscopatus sancitum & seriò ordinatum est, vt Ecclesijs & Xenodochijs Indorum prouideatur per tres nouenas, quæ ad ipsas dimidiatæ pertinent, & Parochis item per quatuor nouenas iuxta erectionem huius Archiepiscopatus, eisdem Parochis subtrahendo tantundem salarij quod ab Indis percipiant, quantum valent dictæ quatuor nouenæ. Quoniam tamèn omnes decimæ locantur simul, & ex eis fit vna massa, indeq; nascitur vt percipi nō possit, vel rectè discerni pars quæ pertinet ad dictas Ecclesias & Xenodochia Indorum, vel ad Parochos, nequè quantum eos concernat ratione nouenæ & mediæ, quæ Ecclesijs debetur, & alterius nouenæ & mediæ, quæ debetur Xenodochijs, neque quatuor nouenatum quæ ad Parochos pertinent: vnde fit vt defraudata sint ac defraudentur eadẽ Hospitalia, Ecclesiæ, & Parochi, ac etiam Indi, dum intereà salaria Sacerdotibus, & simul quatuor nouenas persoluunt, nihilo detracto salario intuitu dictarum quatuor nouenarum quas in decimis dant, & quæ Sacerdotibus debẽtur, vti nobis constat ex visitatione quam modo prosequimur. Volentes igitur tanto detrimento remedium adhibere, & eiusmodi malis occurrere: per viam visitationis & reformationis, & per constitutiones synodales; omni meliori forma & modo hortamur, & in Domino petimus à dilectissimis frãtribus Decano & Capitulo nostræ sanctæ Catedralis Ecclesiæ Ciuitatis Regum, & à cæteris personis quibus incumbit huius Archiepiscopatus decimas locare, vt non consentiant vel permittant, quod decimæ doctrinarum Indorum in posterum locentur, sed vt absque locatione recuperentur, id committendo Vicarijs cuiusque regionis, vt iubeant, quòd vnusquisque Sacerdos in sua doctrina faciat illas colligi, vnam vel duas personas ad hoc nominando expensis ipsarum Decimarum: quoniam hac ratione paruo labore & sollicitudine fieri poterit, vt Ecclesiæ, Xenodochia, & Parochi habeãt, & integrè recuperent, quod ipsis debetur; idque cum ampliori prouentu, fructu, & vtilitate ipsius Decani & Capituli, cæterorumque ad quos Decimæ pertinebunt, maioriq; commodo Indorum & Parochorum, quando Decimis in vnoquoque oppido venditis, poterunt vtrique sibi moderatiori pretio necessaria prouidere. Monemus quoque quòd si contrariũ fecerint, vel decimas vna massa locauerint, & non vt dictum est, tum dictæ tres nouenæ Ecclesiarum & Xenodochiorum, & quatuor nouenæ Parochorum integrè exigentur, detrahendo ijsdem Parochis tantum salarij pro ipsis Indis, quantum

tum illæ quatuor nouenæ valebunt, non secùs, quàm si Decimæ locatæ non fuissent, non permittendo, vt conductores gaudeant illis tribus & quatuor nouenis, & Ecclesiæ, Hospitalia, & Parochi ijsdem fraudentur: omnibusq; huius Archiepiscopatus doctrinarum Clericis mandatum & facultatem damus, vt retineri faciãt, & in sua quisque doctrina retineat dictas tres & alias quatuor nouenas, nullatenùs permittendo, vt decimarum conductores eas exigant, vel obtineant: quod ita faciant dicti nostri Parochi, tres illas & quatuor nouenas integrè, & absque vlla remissione recuperando, ac si decimæ locatæ non fuissent, salario sibi ab Indis assignato tantundem pro ijsdem Indis detrahendo, quantum valent dictæ quatuor nouenæ. Eosdemque Parochos monemus, quòd si per hoc Decretum ipsis ordinata, & præcepta non adimpleuerint, tantum debebunt de propria substantia soluere. Et, vt hæc omnia debitum fortiantur effectum, nostras vices ad id ipsis committimus, & ad omnia illi annexa, vel inde dependentia, in quantum de iure possumus. Hortamur etiam & monemus decimarum conductores, ne doctrinarum Indorum Decimas conducant, aduertendo, quòd si fecerint, dictæ tres & quatuor nouenæ Ecclesiarum, Hospitalium, & Parochorum ità ab illis exigentur, ac si nulla facta fuisset conductio vel locatio.

Porrò ne vel doctrinarum Parochi, vel decimarũ conductores ignorantiam vllam, vel excusationẽ prætendere possint; Nostri Vicarij iubebunt, vt quam citò fieri poterit, ista Constitutio in omnibus districtus sui doctrinis publicetur, & in principali loco & parte, in qua fuerint ipsi Vicarij; aduertendo, quòd si id omiserint, vel non habuerint sufficientia testimonia, quòd sic publicauerint, & notificauerint, tunc aduersus ipsos cum omni rigore & opportuna demonstratione procedetur. Doctrinarum item Parochos monemus, quòd si non restituerint Indis tantundem salarij & stipendij, quod ex tributis & taxis Indorum perceperunt & ipsis assignatum est, quantum & quomodo valent & ascendunt quatuor nouenæ, quas per hanc Constitutionem ordinatur vt accipiant, tunc illis præcipietur, vt reddant & restituant, contra ipsos procedendo cum omni rigore, & alijs pœnis nobis arbitrarijs: cum iustum non sit, vt Indi Sacerdotibus soluant integrum salarium, quod ipsis ex doctrina tanquam sufficiẽs assignatur, & prætereà quatuor nouenas decimarum; attento quòd per Constitutiones huius Archiepiscopatus ordinatum sit, quòd quatuor nouenæ Decimarum Parochis tribuantur, & tantundem salarij quod ex doctrina merentur, ipsis subducatur.

Cap. XXIX.

Distributio Decimarum quæ ex Hispanorum Villis & alijs eorundem locis proueniunt.

CVm ex visitatione per Nos facta, & quam nunc prosequimur, Nobis innotuerit, quòd per simultaneam & summariam locationem Decimarum defraudentur Ecclesiæ, Hospitalia, & Parochi multorum locorum, Villarum, & aliarum partium, mansionem, gregum, laboritio-

ritiorum, & machinarum gentis Hispanicæ, iu quibus resident Sacerdotes, vltrà mediam partem eorum quæ ad ipsos pertinent, præsertim verò Ecclesiæ, Hospitalia, & Parochi villarum, Safie, Chancay, Cañetæ, Ycæ, & machinæ Nascensis, & mansionis de Bombor, ac Vallis Patibilcæ, propter summariam illam locationem Decimarum, & quia quælibet res in particulari non locatur per se, nec sciri, nec certò deprehendi, nec intelligi potest, quid ad dictas Ecclesias pertinet ex nouena & media, vel ad Hospitalia ex altera nouena & media, vel ad Parochos ex quatuor nouenis quæ per erectionem huius Archiepiscopatus illis attributæ sunt, de quibus ex aliquibus partibus multas in hac visitatione querelas accepimus, & petitiones iustitiæ, & remedij huiusmodi grauaminum; Nos illis prouidere volentes, per viam visitationis & reformationis, & per Constitutiones synodales, & omni meliori forma & modò, hortamur, & requirimus in Domino, & cum efficacia, quam res ipsa postulat, petimus à charissimis nobis ac dilectis fratribus, Decano & Capitulo, & reliquis omnibus personis, quibus posthàc incubuerit locare decimas, ne locent vel locari consentiant, aut permittant, vt decimæ omnes simùl vna massa locentur, sed ordinent & iubeant, vt villarum & partium prædictarum decimæ particulariter & per se locentur, vt vnusquisque clarè ac distinctè accipiat quod suum est, nec possit contingere fraus vel error in vlla re, Deoq; per cuncta seruiatur, & cessent querelæ, quæ hactenùs deferebantur: aduertentes & monentes, vt facimus, quòd si decimæ in particulari, & modo iam dicto locatæ non fuerint, tunc dictæ tres nouenæ ad Ecclesias, & Hospitalia, & aliæ quatuor nouenæ ad Parochos pertinentes ità integrè exigentur, & recuperabuntur, ac si dictæ decimæ locatæ non fuissent; dando prout damus facultatem & potestatem omnibus prædictarum villarum & partium Parochis, vt retineri faciant, & vnusquisque retineat, quod ad dictas Ecclesias & Hospitalia pertinet ex dictis tribus nouenis, & quod ad ipsosmet ex quatuor alijs nouenis pariter pertinet, non permittentes, vt decimarij, virtute generalis & summariæ locationis decimarum, eas vsurpent, vel sibi retineant. Quod ita faciant & adimpleant dicti nostri Parochi, integrè & absque vlla remissione, recuperando dictas tres nouenas, & alias quatuor, quæ ad ipsos pertinent, ac si locatæ non fuissent decimæ dictarum Ecclesiarum & Hospitalium: Eosq; monemus, quòd si non adimpleuerint quæ hic ordinata sunt, tunc debebunt ex propria sua ipsorum substantia totum persoluere. Et vt prædicta omnia debitum sortiantur effectum, Nos dictis Parochis cōmissionem & facultatem damus ad hoc, & ad omnia illi annexa, vel ab eo dependentia, vices nostras, quantum possumus, & iura permittunt, ipsis committentes. Conductores verò Decimarum hortamur, & requirimus, ne eiusmodi conductiones aliter faciant, quam per partes, secundum quod, & eo modo quo in hac Constitutione ordinatum est: eosdemq; monemus, quòd si aliter fecerint, tunc dictæ tres & quatuor nouenæ ab ipsis integrè

cxi-

exigentur, pro Ecclesijs, Hospitalibus, & Parochijs, non secùs, quàm si nullæ factæ fuissent conductiones eiusmodi. Et quilibet Vicarius in suo districtu iubebit, vt Constitutiones synodales omnes tam Prouinciales quam Diœcesanæ publicentur, & præsertim istæ, quæ ad Decimas pertinent in singulis doctrinis; ità vt Parochis omnibus innotescát, sumendo etiam testimonia huiusmodi publicationum quæ factæ fuerint: Eosdemq; dictos Vicarios cómonemus, quod contra ipsos seuerè cum demonstratione procedetur, tanquam authores ignorantiarum, & errorum quæ successerint. In quo ipsorum conscientias oneramus, vt sic faciant & adimpleant.

Et vt Indorum Hispanorumque Parochi intelligant, quales & cuius quantitatis sint quatuor nouenæ, & tres nouenæ, & qualis fiat Decimarum distributio, &, vt non prætendant ignorantiam eius quod facere debent: Declaramus & aduertimus, quòd Decimæ cuiuscunq; beneficij, vel doctrinæ, partis, vel loci, in quibus Decimæ soluuntur, diuiduntur in quatuor portiones, iuxtà erectionem huius Archiepiscopatus, quarum vna portio spectat ad Nos, & alia ad Præbendarios & reliquos ministros nostræ sanctæ Ecclesiæ Cathedralis, & ex reliquis duabus fiunt nouem partes, quarum duas, quas duas nouenas appellamus, accipit sua Regia Maiestas, quæ ad ipsum pertinent: aliæ quatuor partes, quas quatuor nouenas vocant, spectant ad Rectores doctrinarum & reliquorú beneficiorum, dempta octaua earum parte, quam percipit Sacrista: reliquæ tres partes, quæ remanent ex nouem primæ diuisionis diuidútur iterum in duas, quarum vna, quæ nouena & media dicitur, spectat ad Ecclesiam dicti Rectoris tam Hispanorum quam Indorum, & altera medietas, quæ est alia nouena & media, pertinet ac debetur Xenodochijs tã Hispanorum quam Indorum, iuxtà quod, & eo modo quo in dicta erectione huius Archiepiscopatus continetur. Quod aduertant dicti Parochi, seu beneficiorum Rectores, vt intelligant quid in dicta distributione ac partitione decimarum eos facere oporteat, & qualiter dictas nouenas exigere & recuperere debeant.

Cap. XXX.

Nominantur Testes synodales, & Examinatores beneficiorum.

IVxta Decreta sacri Concilij Tridentini, & Concilij Prouincialis anni 1583. proximè præteriti, Examinatores doctrinarú & beneficiorum nominamus personas iam nominatas in superiori Synodo anno 1584. Et iuxtà idem sacrum Concilium Tridentinum, Testes synodales easdem personas quæ in proximè præterita Synodo anni 1585. nominatæ & assignatæ fuerunt: qui omnes ità nominati debent præstare solemne iuramentum officio suo bene & fideliter fungendi, iuxtà quod, & eo modo quo in Synodo Diœcesana anni 1585. ordinatum est.

Futura Synodi conuocatio.

DToribius Alphósus Mogrouejus, Dei & sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia Archiepiscopus Regum, ac D. N. Regi à Consilijs.

Quemadmodum à sacro Concilio Tridentino statutum est, vt singulis annis fiat Synodus Diœcesana & Episcopalis,[a] *ac nuper per Breue & priuilegium* particulare Summi Pontificis Gregorij XIII. fælic. recordat. sub dato Romæ 12. Iulij 1584. Pōtificatus ipsius anno decimo tertio, Nobis, peculiari gratia & beneficio, concessum est, vt nostro tempore dictam Synodum de secundo, in secundum annum celebremus. Nos volendo satisfacere dictæ obligationi, & vti Breui & gratia suæ Sanctitatis[b], determinauimus Deo fauente dictam Synodum conuocare ad Ciuitatem Regum, vel ad alium locum huius nostri Archiepiscopatus, in quo inuenti fuerimus in vigilia Natiuitatis Dominæ nostræ die septima Septembris futuri anni 1588. Pro quo dicto die, tempore, & loco citamus,& conuocamus charissimos nostros Decanũ & Capitulum sanctæ Ecclesiæ Regum; & præcipimus cunctis Indorum Hispanorumq; Parochis, cæterisque personis Ecclesiasticis & secularibus, qui de iure, vel consuetudine tenentur assistere dictæ Synodo, vt pro eo tempore se conferant ad dictam Ciuitatem Regum, vel aliam partem, aut locum huius nostri Archiepiscopatus, in quo tunc inueniemur. Et interueniente iusto impedimento, quo de iure excusentur, mittent suam potestatem ad personas, quæ ipsorum nomine Synodo adsistant cum scripturis quas illis commiserint. Et Parochi doctrinarum & beneficiorum cum cura animarum, si habuerint personam à doctrina & beneficio liberam, quam sui loco relinquant, veniant, & in dicta Synodo compareant personaliter; si verò non habuerint huiusmodi personas quas in beneficijs relinquant, cum suis scripturis mittent procuratoriam facultatem, vel personam quæ pro ipsis assistat: quod facilè fieri poterit, si ex vnaquaque Vicaria accedat vnus clericus, non occupatus, nomine omnium occupatorum, vt dictum est. Quod etiam adimpleri faciant dicti Parochi, cæteræque personæ, quæ, vt dictum est, de iure vel consuetudine assistere tenentur, sub pœna centum pesorum argenti, vulgò *ensayados*, pro nostra dispositione applicandorum, vltrà quam contra ipsos ad alias pœnas procedemus, & præiudicium parabitur ipsis, ac reliliquis personis, quæ non comparuerint, ac si essent præsentes. Et vt hæc omnibus innotescant; præcipimus, vt publicentur in sancta nostra Ecclesia Regum, & in reliquis Vicarijs nostri Archiepiscopatus,& quòd dicti Vicarij id sine vlla remissione Sacerdotibus, & alijs sui districtus personis notificent, singulis capitatim,& accipiant testimonia talis notificationis: & singuli Vicarij eius rei testimonium ad nos mittent, ne possit prætendi ignorantia. Dictosque Vicarios præmonemus, quòd nisi sic fecerint, contra ipsos cum omni rigore procedetur, tanquam causas ignorantiarum quas prætendent ipsorum districtuum Sacerdotes circa prædicta.

Quapropter exhortāmur, requirimus, & mādamus omnibus & singulis personis Ecclesiasticis & sæcularibus existentibus, & habitantibus in hoc nostro Archiepiscopatu,quòd à die primæ publicationis huius Synodi ac deinceps has eius ordinationes,

nes, habeant, teneant, obseruent, ac exequantur, tanquam eiusmodi constitutiones synodales huius nostri Archiepiscopatus in omnibus, & per omnia secundum quod, & in forma quæ in illis & earum qualibet continetur, & tanquam res etiam per viam visitationis factas, & spectantes ad correctionem & reformationem morum; nec earum tenorem & formam vllatenùs excedant, sub pœnis in eisdem contentis: monentes quòd contra transgressores seuerè procedemus, pœnas pecuniarias & alias ad nostrum arbitrium ipsis imponendo. Et præcipimus vt eædem constitutiones legantur, & publicentur in Ecclesia huius Oppidi S. Iacobi de Yauras-bamba, Prouinciæ de Pacallas, & in nostra sancta Ecclesia Cathedrali Regum, & vt habeant vim & vigorem constitutionum synodalium, quam nos illis damus, quantum ad eorum validationem requiritur.

Absolutæ sunt istæ Constitutiones synodales ad honorem & gloriam Domini nostri Dei, in Oppido Sancti Iacobi de Yauras-bamba, Prouinciæ Pacallarum 7. die mensis Septembris anni 1586.

Toribius Archiepiscopus Regum.

De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.

Ludouicus Perez Secretarius.

Ego Ludouicus Perez Clericus Diaconus, Secretarius Illustrissimi Domini Archiepiscopi Regum, Domini mei, fidem facio, & verum testimonium adhibeo omnibus præsens visuris, qualiter in Oppido S. Iacobi de Yauras-bamba Prouinciæ Pacallarum, termini & iurisdictionis Chachapoyæ, die Dominica, septima Septembris, sub Vesperis Natiuitatis Dominæ nostræ, huius præsentis anni datæ huius testimonij, in Ecclesia huius Oppidi, congregatis in ea multis tam Hispanis, quam Indis legi & publicaui alta & intelligibili voce istam Synodum Diœcesanam, & Constitutiones in ea contentas, omnia de verbo ad verbum, vt in illa continetur.

Toribius Archiepiscopus Regum.

De mandato suæ Illustrissimæ Dominationis.

Bernardinus de Almança Notarius publicus, Secretarius.

Nota in IV. Synodum Diœceſanam.

IN literis indictionis 5. Synodi. [a] *Ac nuper per Breue, & priuilegiũ.* Hactenus Toribius Archiepiſcopus inhærens decreto ſacri Concilij Trid. vel prouinciale Concilium, vel Synodum Diœceſanam ſingulis annis celebrauit; cum enim anno 1581. Limam acceſſiſſet, reliquo illo anno Cathedralis ſuæ, cæterarumq; vrbis Eccleſiarum res in ordinem redegit, Diœceſis magnam partem viſitauit, & Suffraganeos Epiſcopos, indicto Concilio prouinciali, conuocauit: ijs autem anno ſequenti 1582. conuenientibus, poſtquam 10. Martij celebraſſet primam Synodum Diœceſanam, Concilium inchoauit die 15. Auguſti eiuſdem anni, & abſoluit die 18. Octobris anno ſequenti 1583. anno porrò ſequenti 1584. celebrauit ſecundam Synodum Diœceſanam, anno verò 1585. tertiam. anno 1586. quartam hanc, in qua edidit has literas, quibus indicit quintam. Sed cum interim accepiſſet literas Gregorij XIII. Pontificis, quas hic vocat *Breue, & priuilegium*, per quæ Pontifex conſiderata difficultate viſitandi ampliſſimã tunc Diœceſim, & conuocandi ad Conciliũ prouinciale Suffraganeos Epiſcopos ex remotiſſimis partibus, & per itinera terra, mariq; periculoſa indulſit Archiepiſcopo, vt durante ipſius vita, non obſtante decreto Tridentino, poſſet Synodos Diœceſanas ad biennium differre. Hoc indulto iam primùm vſus indixit proximam, id eſt quintam Synodum Diœceſanam non in proximè ſequentem annum, ſed in alterum nempe 1588. atque hunc terminum biennij deinceps obſeruauit: vt ex ſequentium Synodorũ celebratione ampliùs innoteſcet. Altera verò pars Indulti fuit, vt prouincialia Concilia, quæ multo magis difficulter, quã Synodi Diœceſanæ cogi poterant, de ſeptennio iñ ſeptennium celebraret, temetſi Tridẽtinum ſingulis triennijs ea celebrari debere decreuiſſet.

SY-

SYNODVS V. DIOECESANA.

Celebrata in Oppido Sancti Christophori de Guañec, die xx. mensis Septembris, anno MDLXXXVIII.

NOS D. Toribius Alphonsus Mogrouejus, miseratione Dei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopus Regum, D.N.Regi à Consilijs &c. Volentes nostræ satisfacere obligationi celebrandi, iuxta sacrum Concilium Tridentinum singulis annis Synodum Diœcesanam, & iuxta Breue Summi Pōtificis Gregorij XIII. fæl. record. Nobis concessum, vt peculiari gratia & beneficio suo pro tempore quo fuerimus, possimus satisfacere celebrando dictam Synodum de secundo in secundum annum, conuocauimus charos fratres nostros Decanum & Capitulum nostræ sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Ciuitatis Regum, nostrosq; Parochos, & Vicarios, & reliquas omnes personas Ecclesiasticas & sæculares, quæ de iure, vel consuetudine tenentur accedere, & assistere Synodo nostri Archiepiscopatus, quæq; de iure vocari debeant: Cuius Synodi conuocatio fuit ad diem septimam præsentis mensis Septēbris currentis anni 1588. In qua dicta Synodo ordinauimus, & statuimus Constitutiones sequentes, quas seruari, & adimpleri præcipimus, & volumus, iuxtà quod, & eo modo quo in ipsis continetur, sub pœnis in eisdem pariter contentis, & alijs ad nostrum arbitrium.

Cap. I.

Quod nec Prouisor noster, nec vllus alius Iudex possit pro quacunq; causa eximere vllum Clericum à sua doctrina, vel beneficio, non remanente in eius loco alio Sacerdote.

Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform. Concil. Liman. an. 1581 Act. 2. cap. 41.

IN primis, respiciendo damna spiritualia quæ sequi possunt ex absentia Sacerdotis in doctrina vel beneficio: Ordinamus & præcipimus, quòd noster Prouisor, aut Vicarius, vel alius quicunq; Iudex noster, pro delicto vel alia quacunque causa, nō conuocent, euocent, vel extrahant Clericum vllum à sua doctrina, vel beneficio, etiamsi Prælati ordinem ad id habeant, nisi relicto in eius loco alio Sacerdote, omni alia doctrina & beneficio curæ animarum libero, antequam dictus Sacerdos discedat à dicta sua doctrina vel beneficio. Et ijdem Parochi sic faciant, & impleant, assistendo suis curis animarum, sub pœnis per nostras Constitutiones impositis, & alijs nobis arbitrarijs.

Cap. II.

Nullus Clericus doctrinæ vel beneficij Curati ab eis discedat per commissionem cuiuscunq; Iudicis, non relicto alio Sacerdote; qui suppleat eius vices.

NEmo Hispanorum, vel Indorum Parochus, per commissio- Trid. & Limanum ibidem.

fionem cuiuscunque Iudicis, etiam Antistitis ordinationem ad id habetis, discedat, vel discedere possit è loco suæ curæ pastoralis ad sumendas informationes, vel ad aliam vllam causam, non relicto prius, quam ipse discedat, alio Sacerdote non occupato in alia doctrina vel beneficio curato, qui eius curam interim, dũ ipse abest, exerceat: Et monemus quòd contra transgressores procedetur ad executionem pœnarum per Constitutiones huius Archiepiscopatus impositarum, & aliarum pro nostro arbitrio.

Cap. III.

Clerici non resignent suas doctrinas, vel beneficia coram Iudice seculari.

Conc. Lateran. sub Alex. III. in append. tit. de deposit. cler. & c cap. 8. Et sub Calixto II. cap. 4. Et sub Leone X. sess. 10 in Bulla Regimini Vniuersalis.

SEcundum iuris dispositionem, obuiantes excessibus, quos vsq; modo vidimus & intelleximus; statuimus, & præcipimus, quòd nullus Clericus possit facere renunciationem sui beneficij coram vllo Iudice seculari. Cuius non obseruantes subsint pœnis arbitrio nostro imponendis.

Cap. IV.

Clerici in suis doctrinis & beneficijs decentem habitum gestent.

Concil. Liman. anni 1583. Act. 3. cap. 16. & margo ibid.

AD hoc vt Indi, cæteriq; Parochiani ædificentur ad debitam obseruantiam erga Sacerdotes, statuimus & ordinamus, vt deinceps Clerici omnes tam doctrinarũ, quam aliarum partium gestent suam vestem talarem & biretum, neque super togam talarem gerant penulam, sed pallium etiam talare, & vestes longas: Et quod omnes vestes sint nigræ, & non alterius cuiuscunque coloris.

Cap. V.

Qui ministrant Sacramenta, eorum virtutem & vsum populis declarent.

SAcri Concilij Tridentini sanctionibus inhærentes, secundũ easdem ordinamus, quòd quando Clerici ministrant sancta Sacramenta, eorum vim & vsum declarent iuxta Catechismum Pij V. quem ad hunc finem omnes Parochi penes se habeant, quandò Sacramenta populis administrant.

Concil. prou. Coloniens. anni 1536. par. 7. cap. 2. Synod. August. an. 1548. c. 15. Trid. sess. 24. cap. 7. de refor. Matrim.

Cap. VI.

Quod circa ludum obseruentur Constitutiones huius Archiepiscopatus absq; vlla excusatione.

QVoniam in visitatione per nos facta intelleximus quosdam Clericos prætẽdere excusationes pœnarum per Constitutiones huius Archiepiscopatus lusoribus impositarum, friuolas rationes allegando, præsertim quòd ioco ludant, & quòd ideò se in hoc occupent, vt alij qui ludant puniantur, & ipsi sint testes contra eos; Nos volẽtes huic fraudi occurrere, præcipimus, vt obseruentur Constitutiones synodales, & fiat executio pœnarũ pecuniariarum in eis impositarum, secundùm quod, & eo modo quo in illis continetur, cõtra transgressores absque vlla excusatione vel respectu ad illas rationes, vel alias quascunq; impeditiuas prouisionis factæ in dictis Constitutionibus; totiès quotiès luserint contraueniendo eisdem Constitutionibus,

Concil. Liman. an. 1583. Act. 3 cap. 17. Synod. I. cap. 3. Synod. III. c. 11 & 12. Synod. IV. c. 11 & 12.

bus, quamuis nunquam antè propter eiusmodi ludos dānati fuerint.

Cap. VII.

Indi non ommittant Missas propter tractionem campanarum.

QVoniam intelleximus, quòd valdè ordinariè multi Indi à principio Missæ manent extra Ecclesiam in loco vbi pendent campanæ, vel in earum turribus, vt pulsent campanas ad *sanctus*, & ad eleuationem Sanctissimi Sacramenti. Hinc Indorum Parochi peculiarem curam adhibeant, vt non ommitant Missas occasione huiusmodi pulsationis. Sed iubeant, & prouideant ijdem Parochi, quòd vbi campanæ fuerint in loco in quo, qui eas trahit, non possit audire Missam, in tali casu non pulsentur illæ campanæ, sed solummodò campanula altaris; in quo eorundem Parochorum conscientias oneramus.

Cap. VIII.

Qui impediti, ne accedant ad Synodum, mittunt litteras procuratorias, habeant sufficientem illius rei probationem.

VT in visitationibus percipiatur, quinam miserint suam facultatem ad Synodum Diœcesanam, non potentes personaliter accedere, prout ipsis per constitutiones huius Archiepiscopatus ordinatum est; Ideò Parochi & aliæ personæ, quæ per se ipsas accedere tenentur, vel mittere ad Synodum, debent habere testimonium Notarij synodalis, vel etiam probationem pro sua excusatione. Eosq; monemus quòd alioquìn contra ipsos procedetur ad executionem pœnarum per easdem constitutiones impositarum.

Cap. IX.

Monialium Visitatores absque vrgenti causa non intrent clausuram ad visitandum.

IVxta Decretū sacri Concilij Tridentini, & Motus proprios Romani Pontificis, ac declarationem Cardinalium Interpretum eiusdem Concil. Trident. Ordinamus quod visitatores Monasteriorum Monialium ad exercendam visitationem non ingrediantur interiora Monasterij, nisi in casu vrgentis necessitatis, qui forsitan resultet ex visitatione eiusdem Monasterij ad crates.

Rescriptum S. Congreg. ad 29 Interrog. Toribij sup. pag. 128 Concil. Trid. sess. 24. c. 5. de reformat.

Cap. X.

In Monialium Cœnobijs non sint Aethiopissæ, nec personæ seculares aliæ ad seruiendum.

IN Monasterijs Monialium non erit famulitium Nigrarum, vel aliarum mulierum secularium, quæ morentur & habitēt intra dicta Monasteria. Quod, vt ita obseruent, districtè præcipimus, cùm nullum sit Breue Pont. vel priuilegium aliter faciendi concessum ab vllo potestatem concedendi habente. Quod attendent Cœnobiorum visitatores in suis visitationibus, hanc constitutionem executioni mandando, & non permittendo, vt contraueniatur Decreto sacri Concilij Tridentini, nec motibus proprijs Summ. Pont. iuxta declarationem Cardinalium interpretum eiusdem sacri Concilij Tridentini desuper editam, quam in-

Ibidem ad 24. Interrog.

no-

nostris manibus habemus cum epistola per eosdem ad Nos directa, in qua ordinatur, vt sic obseruent & adimpleant.

Cap. XI.

Res, quæ absque ingressu Monasterij Monialibus ministrari possunt, non aliter ministrentur.

Ibid. ad eandem.

MOnasteria Monialiũ non ingredientur vllæ personæ, ad reponendum farinam, triticum, aquam, ligna, victualia, nec ad occidendum verueces, vel alia animalia, vel res vllas inferendas agendasuè, quæ exteriùs, absque necessitate ingrediendi Monasteria, fieri, dari, vel ministrari possint. Quod Moniales ipsæ sic obseruabunt, non operando in contrarium, cùm dictis ipsarum necessitatibus ab extrà satisfieri possit, absque ingressu Monasterij. In cuius executione Cœnobiorum visitatores sollicitam curam gerent, attendentes ad declarationem Cardinalium sac. Concil. Trident. Interpretum, qui desuper sic disponunt. Circa quæ prædicta & personas quæ intraturæ sunt, obseruentur Decreta dicti Concilij Tridentini, & motus proprij Summi Pontif. quæ prohibent Monasteriorum ingressum, absque vrgenti casu necessitatis, & licentia eorundem superiorum.

Cap. XII.

Visitatores Ecclesiastici non accipiant sumptus visitationis, vsque ad sententiam & determinationem causarum.

QVoniam expedit vt sumptus, qui faciendi fuerint in processibus visitationum, taxentur per Iudicem, qui eos terminaturus sit; & contingere possit, quod visitatus etiam sine sumptibus liberetur, sicut aliquoties fecimus: Proindè in posterum non exigentur, nec accipientur sumptus vlli processuum, qui per visitatores fulminabuntur, donec determinentur, sententientur, & taxentur ab illo cuius intererit.

Cap. XIII.

Quòd in non accipiendo iura ab Indis obseruetur dispositio Constitutionum huius Archiepiscopatus.

QVia nobis relatum est, quòd non obseruatur prouisio Cõstitutionum huius Archiepiscopatus in non accipiendo ab Indis iura & sumptus causarum, & expedit vt remedium adhibeamus; præcipimus quòd in omnibus, & per omnia, absque vlla excusatione seruetur Decretum dictarum Constitutionum, prout in eisdem continetur, sub pœnis in eisdem contentis: ad quas & alias arbitrij nostri sine vlla remissione vel personarũ acceptione procedetur contra transgressores, etiam vsque ad priuationem officiorum. In qua re visitatores multam adhibebunt diligentiam, ne silentio tegatur, & vt possit ad earundem pœnarum impositionem procedi.

Cap. 10. Synod. præced. & ibid. in margine.

Cap. XIV.

Indorum Parochi possint administrare Sacramenta personis alienæ doctrinæ, quamuis non in mortis periculo constitutis.

QVia sæpè contingit, quòd Indorum Parochi, vel à suis doctri-

doctrinis absentes, vel infirmi, seu alias impediti non possint suo muneri satisfacere: Ideò licentiam cōcedimus, durante nostro tempore, & intereà dum aliud in contrarium non disposuerimus, omnibus Indorum Parochis nostri districtus præsentibus & futuris, vt deinceps, absq; præiudicio proprij Parochi, possint administrare Sacramenta Indis infirmis doctrinarum aliorum Parochorum nostri districtus, quamuis eiusmodi infirmi non sint in periculo mortis, cùm proprij ipsorum Parochi absentes sunt, vel alio legitimo impedimento detenti, quominus dictis necessitatibus succurrere possint; excepto sacramento Matrimonij, quod solus proprius Parochus illis celebrabit.

Cap. XV.

Indorum Parochi ministrent Sacramēta alienis Parochianis, qui in ipsorum doctrinis extiterint.

IN doctrinis Indorum ordinariè reperitur non paruus numerus Indorum alterius Parochiæ, qui in varijs operibus, laboritijs, & exercitijs occupati per longum tempus à sua propria Parochia distantes, & separati, neque commodè potentes ad illas accedere, & nonnunquam infirmantur. Nos cupientes, vt ipsis prouisum sit, licentiam concedimus, vt interim, dum aliud in contrarium non statuemus; alij præsentes & futuri Indorum Parochi nostri districtus possint eiusmodi Indis tàm sanis quàm infirmis ministrare sacramenta, absque præiudicio proprij ipsorum Parochi, præter Sacramentum Matrimonij, quod ministrabit dictus proprius Parochus, dātes eisdem Indis schedulas testimoniales, quòd Sacramenta sic illis administrauerint, vt proprijs ipsorum Parochis id satis constare possit.

Cap. XVI.

Sacramenta cum debita cura & diligentia Indis administrentur.

QVoniam per visitationē à nobis factam constat quòd in administratione Sacramentorū, minori cura quam priùs attendatur, & quòd expediat, vt in hoc seriò agatur; Nos iuxta Decreta Cōcilij Prouincialis anni 1583. Indorum Parochis præcipimus, vt in Sacramentorum administratione obseruantissimi sint, dicti Concilij Prouincialis sanctiones in omnibus & per omnia seruando, secundùm quod, & eo modo, quo in eodem continetur. Et à Religionum Prælatis cum omni sinceritate & studio quo possumus in Domino petimus, vt suis Religiosis doctrinarum Rectoribus iubeant, & seuerè iniungant, vt quisque muneri suo absq; remissione insistat in administratione Sacramētorum; ita vt Domino nostro per omnia seruiatur. Neque, quantum ad Nos pertinet, defuturi sumus, vt omni officio, quantum poterimus, cum ijsdem Religiosis correspondeamus, vt in dictis doctrinis munere suo rectè fungantur, quatenùs possimus nos inuicem alteri alteros hac ratione iuuare, & vtrorumque conscientiæ exonerentur.

Act. 2. cap. 19. & 28.

Nn Vbi

Cap. XVII.

Vbi non fuerit Sacrarium & Custodia Sanctissimi Sacramenti, non feratur ad Viaticum infirmorum, nisi vna sola Particula.

QVando ministrandum est Sanctissimum Sacramentum pro Viatico infirmorum, in locis in quibus non est Custodia & Sacrarium, idem Sacramentũ cum conuenienti decentia feretur [a] *post absolutã Missam*, & non priùs, Missam ipsam interrumpendo. Nec nisi vna particula consecrata deferatur, præterquam in casu quo alius Sacerdos celebraturus sit, qui reliquas consumat: & in tali casu quo duæ deferantur, Sacerdos cum altera reuertetur ad Ecclesiam cum processione, & eodem apparatu, quo indè discessit.

Cap. XVIII.

Vbi non fuerit Sacrarium, Sanctissimum Sacramentum non deferatur in processione in festo Corporis Christi.

IN solemnitate festi Corporis Christi, vbi non fuerit Sacrariũ, seu Tabernaculum, & Custodia Sanctissimi Sacramenti, non deferetur Sacramentum in processione, nisi alius Sacerdos post absolutam processionem celebraturus sit, qui hostiam in processione delatam consumat. Quæ processio cum Sanctissimo fiet post absolutam priorem Missam, & non antè, Missam ipsam, vt dictum est, interrumpendo.

Cap. XIX.

Dum celebrantur officia diuina, nulli Clerici loquantur, vel discurrant in Ecclesia, vel in Sacristia ad celebrandum induti.

QVoniam interim dum diuina celebrantur officia, indecens est clericos colloquijs in Ecclesia vacare, & in Sacristia vestitos ad celebranda sacra, & ab omni statu præsertim Ecclesiastico longe alienum: Ordinamus & præcipimus, vt nullus clericus cuiuscunque qualitatis vel conditionis sit, dum diuina officia, vel Missæ celebrantur, vel ad Missam dicendam paratus, cum vllo in Ecclesia vel Sacristia colloquatur, sub pœna duorum pesorum valoris cuiusque nouem Regalium, toties quoties contrarium fecerit, & alijs ad arbitrium Iudicis, qui causam diffinierit.

Conc. Mediol. I. par. 2. tit. de Ecclesijs & earum cultu. Conc. Mogunt. an. 1549. c. 73.

Cap. XX.

Doctrinarum Sacerdotes in eisdem per sex ad minus annos permaneant, & perpetuò resideant.

CVm ex visitatione per Nos facta perceperimus, quòd ex crebra mutatione Sacerdotum doctrinalium, & aliorũ substitutione perdatur fructus per prædecessorem relatus, & extet occasio, quòd & Indi, & alij, qui scire tenentur, nesciant Christianam doctrinã, & per aliquot annos non confiteantur, & quòd possint inde sequi alia incommoda, ac Domini nostri Dei offensiones. Proinde volentes huic malo prouidere, cum omni, quo possumus, studio præcipimus, quòd noster Prouisor

for & Vicarius generalis executioni mandent, quod constitutum est in Concilio prouinciali celebrato in Ciuitate Regum anno 1567. sess. 3. cap. 4. in quo agitur de Indis, nullo modo permittendo, iuxtà quod, & eo modo quo ibi continetur, vt mutentur doctrinarum Rectores ab illis quas possident ad alias, si per sex ad minus annos continuos in eis nō permanserint, nisi grauis causa fuerit, vel necessarium fuerit, vt per eiusmodi mutationes occuratur alicui graui scandalo. Et qua possumus instantia petimus & hortamur in Domino Religionum superiores, vt iuxta hæc etiam incumbant, ne Religiosos doctrinarum Rectores tā crebrò mutent, vt hactenus fieri vidimus, & per visitationem à nobis factam intelleximus, sed per omnia obseruetur quod prouisum est per dictum Concilium prouinciale: vnde Domino nostro multum inseruietur, & sequentur boni effectus in ædificatione & conuersione horum Indigenarum. Nec pariter permittant ijdem Religionum superiores, vt religiosi qui in doctrinis resident, inde se absentent, eundo ad capitula quæ celebrantur, vel ad alias partes absq; eo quod Religiosum alteri doctrinæ non adstrictum sui loco relinquant, cùm alioquin tanta mala resultare possint animabus, si Indi interim absque Sacramentis moriantur, quæ res magnam exigit considerationem.

Cap. XXI.

In procedendo contra Indos obseruentur Constitutiones huius Archiepiscopatus.

EX visitatione quam fecimus, instructi sumus, quòd Constitutiones huius Archiepiscopatus nō obseruentur à Parochis in procedēdo contra Indos & alias personas, quæ delinquunt; ac proinde omnes tam præsentes quam futuri huius nostri Archiepiscopatus Parochi, posthàc prædictorum obseruantissimi sunto. Quibus dictis Parochis, tàm sæcularibus, quàm Regularibus præsentibus & futuris facultatem ad præmissa de nouo concedimus & potestatem, vices nostras, quantum de iure possumus, illis committentes ad hoc & omnia illi annexa, vel inde dependentia, & vt procedant cōtrà impeditores & perturbatores, & possint creare Fiscales, & Notarios, & reliquos necessarios ministros.

Concil. Liman. an. 1583. Act. 4 cap. 7. & 8. Synod. Diœc. 3 cap. 73. & sequentibus. Synod. 4. c. 8

Cap. XXII.

Aduersus Concubinarios, tàm Ecclesiasticos, quàm sæculares seruentur Decreta Concilij Trid.

IVxta motum proprium Pij V. statuimus & præcipimus, quòd omnes nostri Iudices Ecclesiastici nunc præsentes & posthàc futuri, in procedendo cōtra concubinarios Ecclesiasticos & sæculares, sac. Concilij Trident. statuta & Decreta districtè absq; vlla remissione obseruent. Eosq; monemus quòd, si in eo negligentes fuerint, rationem Deo reddituri sint, & Nos contrà ipsos procedemus.

Concil. Trid. sess. 24. c. 8. de reform. Matrimonij.

Cap. XXIII.
De ordine standi, sedendi, & genuflectendi in Missa.

QVoad standum, sedendum, surgendum, & genuflectendum attinet, ad *Gloria*, *Credo*, vel alias partes Missæ, obseruabuntur Rubricæ noui Missalis Romani, & laudabiles consuetudines quæ circa hæc inualuerint, iuxtà declarationem Cardinalium Interpretum, qui sic interpretantur, & ordinant, vt fiat.

Ad interrog. 32. supra pag. 128.

Cap. XXIV.
Parochi curent noctu pulsari pro animabus Purgatorij.

Regula Cófueta cap. 1. n. 8. & nota nostra ad ipsum.

INdorum Parochi diligenter curabunt, vt pueri doctrinales alta voce per plateas recitent preces pro animabus Purgatorij, vt omnes eos audiant, & simul orent; & ad hunc effectum pulsabitur campana. Nec in hoc remissi sint. Nostriq; Visitatores in visitationibus quas fecerint, solertèr inquirant, qualiter hæc per dictos Parochos obseruentur.

Cap. XXV.
Indorum Parochis commendatur vt singulis diebus recitent Litanias pro suis Parochianis.

OMnes nostros Indorum Parochos hortamur, & monemus in Domino, vt singulis diebus deuotè recitent Litanias pro Indis pastoralis suæ curæ commissis, vt Dominus noster eos protegat, & illuminet, & vt confirmentur in fide; præmium ab eodem Dominò nostro Deo expectantes.

Cap. XXVI.
Doctrinarum Rectores moneant Pro-Reges & Gubernatores, vbi opus fuerit sternere vias, construere pontes, & instituere reductiones, vt doctrina conuenienter exerceatur.

QVoniam ex defectu viarum, Pontium, [a] & *reductionum* non rarò sequuntur Indorum mortes absq; Sacramentis, & quòd præcipitentur Sacerdotes, & multi Indi submergantur, aliaq; incommoda, quibus districtuum Correctores remedium facillimè adhibere possent, vt ex visitatione nobis constitit: proinde Rectores Indicarum doctrinarú diligenti cura Pro-Reges, vel alios in Regimine constitutos, dictæ necessitatis monebunt; vt eam percipiant, & remedium apponant, attendendo semper ad bonum spirituale & corporale Indorum: Nos quoque, nostrumq; Vicarium generalem instruant, vt pro parte nostra possimus instare.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 5. cap. 4.

Cap. XXVII.
Nominãtur Testes synodales & Examinatores beneficiorum.

IVxta Decreta sac. Conc. Tridentini, & Concilij Prouincialis anni 1583. nominamus examinatores doctrinarum & beneficiorú personas à Nobis nominatas in Synodo anni 1584. Et iuxtà eadem Decreta nominamus Testes synodales easdem personas nominatas in Synodo proximè præterita anni 1585. qui omnes sic nominati debent præstare solemne iuramentum officio suo benè, & fidelitèr fungendi, iuxtà quod & eodem modo quo ordinatum

Conc. Lateran. c. 6. sunt olim Trident. sess. 24 cap. 18. Tolet. Act. 2. c. 24. & act. 3. cap. 28. Liman. an. 1583 Act. 4. cap. 17. & 23.

tum est in dicta Synodo anni 1585.

Cap. XXVIII.

Vicarij & Parochi penes se habeant istas Constitutiones synodales.

Concil. Limense anni 1583. Act. 4. cap. 24. OMnes Hispanorum & Indorum Vicarij & Parochi habeant istas Constitutiones synodales (quoad ipsos pertinent) infrà quatuor menses post primam publicationem huius Synodi, sub pœna procedendi contra transgressores ad executionẽ pœnæ assignatæ in Synodo superiori, celebrata in Oppido Yungay anno 1585. contra eos qui non habent Concilia Prouincialia & Synodos, alijsq; Nobis arbitrarijs. (Synod. 3. c. 89. & 90.)

Cap. XXIX.

Augmentum ac diminutio pœnarum sit penès arbitrium & dispositionem Archiepiscopi.

QVoniam in præsenti Synodo, & in alijs per Nos celebratis pœnæ aliquæ impositæ sunt, & nonnunquam expedire possit vt augeãtur, vel diminuantur, reseruamus Nobis augmentationem & diminutionem pœnarum in his Constitutionibus impositarum, prout Nobis videbitur, & facere placuerit.

Cap. XXX.

Declaratio Constitutionum sit penès Archiepiscopum.

QVando circa Constitutiones huius Synodi dubium aliquod orietur, declarationem reseruamus Nobis.

Quapropter exhortamur, requirimus, & mandamus &c. *Vt supra in fine præcedentis Synodi pag. 274. excepta mutatione loci & temporis vt sequitur.*

Absolutæ sunt istæ Constitutiones synodales ad honorem & gloriã Domini nostri Dei in Oppido Sancti Christophori de Guañec Prouinciæ de los Yauios, die 20. mensis Septembris anni 1588.

Toribius Archiepisc. Regum.
De mandato suæ Illustrissimæ Dominationis.
Franciscus Nuñez Cedano.

Litteræ conuocatoriæ futuræ Synodi.

D. Toribius Alphõsus Mogrouejus, gratia Dei & S. Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopus Regum &c.

Est eiusdem omnino tenoris cum conuocatoria præcedentis Synodi supra pag. 273. præterquam, quòd futura Synodus hic in dicta conuocatur ad Ciuitatem Regum, & ad vigiliam seu Vesperas S. Matthæi, anni 1590. Dat. in Oppido S. Christophori de Guañec Prouinciæ de los Yauios die 20. mensis Septembris anni 1588.

T. Archiepiscopus Regum.
De mandato suæ Illustrissimæ Dominationis.
Franciscus Nuñez Cedano.

IN Oppido Sancti Christophori de Guañec Prouinciæ Yauios die 20. Septemb. 1588. Ego Franciscus Nuñez Cedano, Notarius Apostolicus, Secretarius Illustrissimi D.D. Toribij Alphonsi Mogrouejí Archiepiscopi Regum,

gum, Domini Nostri Regis Consiliarij, fidem facio qualiter hodie dicto die existens in Ecclesia eiusdem Oppidi post celebratum sacrum, congregata ibidem maiori parte Indorum ipsius Oppidi, & Hispaniarum, qui in eo fuerunt, alta & intelligibili voce, præsente Archiepiscopo meo Domino, legi & publicaui hanc Synodum, eiusq; Constitutiones, & conuocatorias, omnia de verbo ad verbum, sicut in illis continetur, testibus dictæ publicationi præsentibus multis Indis, & præsertim P. Fr. Ioanne Quizada Ord. S. Francisci, & P. Fr. Laurentio de Sarauia Ord. S. Dominici, huius dicti Oppidi Parocho, & P. Melchiore de Figueroa, & Roderico Mexia, & alijs Hispanis: & in fidem hic apposui hoc meum signum atal, *in testimonium veritatis.*

Franciscus Nuñez Cedano.
Apostolicus Notarius,
Secretarius.

IN Ciuitate Regum die Dominica, 16. mensis Octobris, anni 1588. existens in sancta Ecclesia Cathedrali eiusdẽ Ciuitatis, sub Missa maiori, quam celebrauit D. Petrus de Villauerchi magister Scholarum, & officiabant Decanus & Capitulum dictæ sanctæ Ecclesiæ, Licentiatus Bartholomæus Menacho Clericus Presbyter & Oeconomus eiusdem Ecclesiæ, legit & publicauit alta & intellecta voce hanc Synodum, Capitula, & Constitutiones in ea cõtentas, audientibus multis personis Ecclesiasticis & sæcularibus. Testibus Doctore Alonso Criado à Castella, Auditore huius Audientiæ Regiæ, & Licentiato Aluaro Nuñez à Soliz eiusdem Aduocato, & Antonio Aluarez Ramirez. Et subscripsit Licentiatus Menacho, coram me Hieronymo Garon Notario publico Apostolico.

Toribius Archiepisc. Regum.
De mandato suæ Illustrissimæ Dominationis.
Bernardinus de Almanza Not. publ. Secret.

Notæ

Notæ in Synod. V. Diœcesanam.

CAp. 17. [a] *Post absolutam Missam*. Videtur ex hoc loco Sacerdotes Christianos in India ex defectu Sanctuarij, seu tabernaculi Sanctissimi Sacramenti coactos fuisse Missam interrumpere, hoc est, sumpto inter sacrificandum corpore, & sanguine Domini, ante lotionem calicis ferre hostias consecratas ad domum infirmi, vel ad processionem solemnem, vt posteà redeuntes ad Ecclesiam inuenirentur ieiunij, ac proinde possent ipsi hostias consecratas, quas referebant, ieiunij sumere, ac tùm accipere solitas lotiones calicis, & prosequi deinde reliquam Missam; eo modo, quo fit, dum aliqui ad Altare, in quo non est tabernaculum, volunt communicare, & Sacerdos, ne pauciores sint communicaturi, quàm sit numerus hostiarum, quas consecrauit, ministrat communionem immediatè, postquam ipse sumpsit sanguinem, vt, si quæ relictæ sint hostiæ consecratæ, possit illas sumere, priusquam sumpserit lotionis vinum, vel aquam non consecrata, ac sic prosequatur Missam. Sed hæc mora parua est, nec obest, quominus Missa sic dicta censeatur vna actio continua. At interruptio, quæ fit per processionem Corporis Christi, vel delationem Sacramenti ad communicandum infirmum in sua domo, quæ nonnunquam per horã, aut plures durat, cum multis alijs orationibus, & ceremonijs, quæ ad Missam non pertinent, videntur omnino discontinuare, seu ita separare partes Missæ, vt tota in tali casu non possit censeri vna actio continuata; adeòq; talis separatio, & interruptio, hoc & sequenti capite meritò prohibetur, iubeturq; , vt absoluatur prius Missa, ac deinde in locis, in quibus non est alius Sacerdos celebraturus, qui relictam hostiam in sua Missa consumat, vel tabernaculum, in quo conseruetur, tunc nulla fiat processio, nec feratur ad infirmum, nisi vna sola particula consecrata, quam ipse sumat, & tunc Sacerdos depositis ornamentis redeat in sua veste ordinaria. Neque huic doctrinæ quidquam obstat, quod in prouincijs vltramontanis, & Romæ in Ecclesia S. Iacobi Hispanorum fiat concio in Missa post Euangelium per spatium vnius horæ, vel ampliùs, & posteà cantetur *Credo*, & reliqua Missa; quæ etsi videri possit tanta interruptio, quanta est processio, vel delatio communionis ad infirmum; sed non est: quia cum Sacer sermo sit explicatio Euangelij, non aliàs cõmodius fit, quàm immediatè post lectum, vel cantatum Euangelium, vt fit aliquando in Sacello Summi Pontificis, dum Euangelium latinè primùm, ac statim græcè cantatur, nec in vno, vel altero sit interruptio Missæ, sed actio continua in codẽ loco consistentibus ministris Altaris, & populo, qui, cum Euangelium per cantum, & cõcionem perceperint, tum cãtato *Credo* ipsum acceptant, & solemni ritu profitentur. Non sic in processione, vel delatione viatici ad infirmum, in quibus interuenit non sola mora tẽporis, sed etiam loci mutatio, & variæ actiones, & verba, quæ nullo modo ad Missam pertinent.

Cap. 26. [a] *Et reductionum*. Indi, præsertim plebei, in sua gentilitate habitabant in cauernis, & tugurijs separatis, & sparsis. Reductiones ergo fiunt, quãdo in pagos, & oppida coguntur, vt socialem, & politicam vitam sub legibus, & communi regimine ducant, quod quoniam ad eos catechizãdos, & Christianam doctrinam docendos, & plurimum conducit, & necessarium est; ideò hoc Synodi capite monentur Parochi, vt moneant Proreges, & Gubernatores ad eiusmodi reductiones cogendas, & vias, & pontes sternendos, per quæ ministri Sacramentorum, & doctrinæ pagos, oppidaq; inuisere, & populum commodius instruere possint. De his reductionibus Ioannes Solorzano Pereira tom. 2. de iure, & gubernat. Indiarum lib. 1. capita integra 23. & 24. instituit: vbi etiam describit verba Concilij, ij. Limensis anni 1567. & alia Concilij, iij. anni 1583. superius ad cap. 26. præsentis Synodi citati.

SY-

SYNODVS VI.
DIOECESANA.

Celebrata in Ciuitate Regum, die xi. mensis Octobris, anno MDLXXXX.

NOs D. Toribius Alphonsus Mogrouejus &c. *Vt in principio Synodi præcedentis, pag. 277.*

Cap. I.
Quod Clerici non spacientur in equis.

Concil. Limens. an. 1583. Act. 3. c. 15. & Trid. ibid. in margine.

ATtendentes in primis rem indecentem esse, quòd Sacerdotes & Clerici in sacris ordinibus cõstituti circuant spatiatum in equis vel equabus; præcipimus, vt ab hoc se in posterùm abstineant. Eosdem monentes, quod alioquin contra ipsos seuerè procedetur.

Cap. II.
Clerici mulos non adornent panno.

Ibidem Act. 3. cap. 16.

AD refrenandum excessiuum ornatum, prohibemus nè vllus deinceps clericus mulos panno adornet, exceptis nostro Prouisore, Vicario generali, Præbendarijs huius sanctæ Ecclesiæ Cathedralis, vel alijs, quibus id faciendi licentia per Nos concedetur.

Cap. III.
Vicarij & Parochi Ciuitatum, quando mittent pro sacris oleis, non accipiãt ab alijs Clericis partem sumptus quẽ in eis adferendis insumpserint.

Supra Synod. IV. cap. 2.

QVoniam excessus aliquis committi possit in partitione sũptuum, qui impenduntur in personam quæ adfert sacra olea ex loco in quo consecrata fuerunt. Nos cupientes remedium illis opponere, præcipimus, quòd Vicarij & Parochi posthàc procurent oleũ & chrisma omni meliori commoditate, & minimis quibus poterunt sumptibus adferri: Nec vllatenùs permittant, [a] *Vt repartitiones huiusmodi sumptuũ* fiant inter Clericos, qui venient ad ea ab ipsis accipienda, vel quibus ea dederint: Quoniam cum oleum pro se, vti tenentur, accipiunt, id facillimè poterunt alijs concedere, & singulis distribuere.

Cap. IV.
Partitiones mitarum seu tributi, vel aliarum rerum ab Indis non fiant in Ecclesijs.

DIligenter inuigilent Parochi nè permittent, vt Indi in tẽplis, quæ sunt domus orationis, faciant partitiones *mitarum* seu tributorum, vel rerum rusticarum & cõtra transgressores procedant.

De mitis. Vide notã nostram ad cap. 6. 7 Synod. 3. supra pag. 258.

Cap. V.
Ne Indæ in Ecclesijs vllos labores exerceant.

PArochi non permittant, vt Indæ fœminæ in Ecclesijs neant, pannos [a] leuigent, vel alios labores exerceant, sed studeant extirpare malam

a *Vulgo* desmollar *est sodos & lappas pannis auferre.*

malam consuetudinem circa hoc introductam.

Cap. VI.
Non pulsentur campanæ ad honorificam Correctorum susceptionem.

Concil. Limen. an. 1583. Act. 3. cap. 42.

IN Indorum Correctoribus suscipiendis non consentiant, vel permittant Parochi, vt pulsentur campanæ: nec in huius Constitutionis executione remissi sint.

Cap. VII.
Correctores non assignent Parochis tempus, quo in doctrinarum pagis permaneant.

Synod. 3. supra cap. 35. 40. 59. 64. 65.

VIcarij nostri peculiarem curā gerant procedendi aduersus correctores, qui se intromiserint in assignando Indorum Parochis tempus, per quod in singulis doctrinæ suæ pagis permaneant, cum sit res ab eorum iurisdictione aliena, se in similibus immiscere.

Cap. VIII.
Correctores non colloquantur cum Indis in templis, vel eorum Cœmiterijs.

Concil. Mediolan. I. tit. de ecclesijs & earum cultu.

CVm indecens sit, vt correctores Indorum cum illis in Ecclesijs conferant sermones, vel etiam in earum Cœmeterijs, de negotijs ad ipsorum officium spectantibus vel alijs; id ampliùs vtrobique ipsis inhibitum esto: neque Parochi vllo modo permittant eiusmodi colloquia in dictis locis:

Cap. IX.
Infidelium Indorum sepulchra occludantur.

QVoniam infidelium Indorum sepulchra, si in propatulo sint, occasionem præbere possunt, vt Indi viui recordentur Idololatriæ, & superstitionum suæ gentilitatis: Ideò Indorum Parochi solertèr curabunt, vt sepulchra, in quibus iacuerint Infidelium cadauera, occludantur, præsertim si in ipsis oppidis, vel propè illa sint: in quo obseruantissimi esse debent.

De extirpandis reliquijs idololatriæ Concil. Tolet. XVI. & alia apud Bossii in notis ad cap. 2. eiusdem.

Cap. X.
Indorum Parochi procedant contra excedentes in collectione Decimarum.

INdorum grauaminibus, & excessibus, quos Decimarum collectores in eos committunt, vt instructi sumus, tollendo quod non debetur, & plus quam ad eos pertinet, remedium apponere cupientes, ordinamus, quòd Parochi iuxtà Constitutiones huius Archiepiscopatus procedant contra collectores Decimarum, qui plus exigunt, quam illis debetur. Et, cum ipsis expedire videbitur, informationem desuper ab ipsis confectam ad Nos, nostrumuè Prouisorem remittent, vt visis eorum exorbitantijs, prouideatur de remedio, & contra eos procedatur.

Cap. XI.
De Iudicibus qui nominãtur ad causas per Sedem Apostolicam ad has partes commissas.

SEcundùm Decreta sac. Concil. Trident. pro decisione Causarum Apostolicarũ, quæ ad has partes committuntur, assignamus in hac Synodo Iudices causarum Apostolicarum, quæ ad has partes committentur P.F. Dominicum de Valderrama Priorem Conuentus Sancti Dominici huius Ciuitatis, & P. Fr. Ioannem de la Vega Guardianũ Conuentus S. Francisci, & P. Fr. Ludouicum Lopez Priorem Conuentus S. Augustini eiusdem Ciuitatis Regum, & P. Fr. Ioannem Garces, commendatorem domus Dominæ nostræ de Mercede, & P. Ioannem Sebastianũ Rectorem Societatis Iesu huius Ciuitatis: Et Priores, Guardianos, Commendatores & Rectores, qui in eisdem officijs succedent in hac Ciuitate, & Doctorem D. Stephanum Fernandez Vozmedianũ, Cantorem, huius sanctæ Ecclesiæ, ac D. Petrum de Villaluerchi Magistrum scholarum huius sanctæ Ecclesiæ, ac D. Christoph. Medel Thesaurarium eiusdem sanctæ Ecclesiæ, & eos qui in eisdem Dignitatibus, Cantoris, Magistri Scholarum, ac Thesaurarij successerint, ac Decanum & Archidiaconum, qui creabuntur & successerint loco eorum qui hactenus fuerunt, ac Doctorem Ioannem Balboa Cathedraticum & Examinatorem linguarum Indicarum, ac Doctorem Antonium de Molina Canonicum, ac Doctorem Ioannem Diez Canonicum huius sanctæ Ecclesiæ.

Cap. XII.
De Examinatoribus beneficiorum & doctrinarum.

SAcri Concilij Trident. Decretis & ordinationibus inhærendo, nominamus examinatores beneficiorum & doctrinarum Doctorem D. Stephanum Fernandez Vozmediano, Cantorem huius sanctæ Ecclesiæ, & Doctorem Antonium de Molina, & Doctorem Ioannẽ Diez, Canonicus huius sanctæ Ecclesiæ, & Doctorem Ioannem de Roca, & Baccalaureum Christophorum Sanchez Parochos huius sanctæ Ecclesiæ; qui debent præstare iuramentum iuxta sacrum Concilium Tridentinum.

Cap. XIII.
De Testibus synodalibus.

RAtio ob quam Sancti Patres iustè & sanctè instituerunt, vt Synodi singulis annis fierent, erat vt in eis tractetur correctio & emendatio malorum morum, atq; bonorum reformatio, & vt in eis constituatur, quod expedit ad bonum regimen animarum, & de rebus ad Episcopatus pertinentibus. Et vt, quod ordinaretur & fieret in eisdem Synodis, cum maiori efficacia adimpleretur, ac desideratum sortiretur effectum, statuerunt vt in singulis Episcopatibus constituerentur & nominarentur Testes synodales, personæ idoneæ & bonæ, quæ per totum Archiepiscopatum, quisque in districtu sibi assignato, magna diligentia inquirant, qualiter seruetur & adimpleatur quod in Synodis constitutum & præceptum est: Et Nos hanc

san-

sanctam Institutionem in effectum ducentes, designamus in hac Synodo Parochos Ecclesiarum Parochialium huius Ciuitatis præsentes & futuros, & visitatores præsentes pariter & futuros huius Archiepiscopatus; vt quod dictum est per nostrum Archiepiscopatum, inquirant. Idque absque Scriba, Notario, vel strepitu iudiciali, sed simpliciter ac de plano præstare debebunt, quia iurisdictionem non habent, nec eam illis damus. Et quod sic secretò perquisierint, signando, & memorando testes qui rem sciant ac deponant, tam de defectibus & culpis Vicariorum & Clericorum quam etiam Laicorum, non sumendo iuramentum à testibus, sed solummodò per viam informationis, id secum deferent ad Synodos & Concilia Prouincialia, quæ celebrabuntur, ipsumq; Nobis secretò tradent, vt, eo per Nos viso, prouideamus remedium, vti Domino nostro placuerit. Et debebunt præstare iuramentū officio suo benè & fideliter fungendi.

Cap. XIV.

Vicarij & Parochi penes se habeant has Constitutiones.

Omnes nostri, tàm Indorum, quàm Hispanorum Vicarij & Parochi habeant istas Constitutiones synodales, quantum ad ipsos pertinent, intra quatuor menses post primam publicationem huius Synodi, sub pœna quòd contra transgressores procedetur ad executionē pœnæ impositæ in præterita Synodo anni 1585. celebrata in oppido Yungay, illis qui non habent Concilia prouincialia & Synodos Diœcesanas, aliarumque pœnarum arbitrio nostro infligendarum.

Quapropter exhortamur, requirimus & mandamus omnibus & quibuscunque &c. *Vt in fine quartæ Synodi anni 1856. pag. 274. supra.*

Absolutæ sunt istæ Constitutiones ad honorem & gloriam Domini nostri Dei in Ciuitate Regū vndecima die Octobris, anni 1590.

Littera Indictionis futuræ Synodi.

D. Toribius Alphonsus Mogrouejus &c. *Eodem omnino tenore cum litteris conuocatorijs Synodi quintæ in fine quartæ Synodi, sup. pag. 273. præterquam quod futura septima Synodus conuocetur ad Ciuitatē Regum & diem 11. Octob. anni 1592.* Dat. in Ciuitate Regum die 11. Octobris, anni 1590.

Toribius Archiepisc. Regum.

De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.

Bernardinus de Almanza Not. publ. Secret.

Nota in Synod. VI. Diœces.

Cap. 3. ¹ *Vt partitiones huiusmodi sumptuum.* Istæ portiones superius Synod. IV. cap. 2. decretæ fuerunt, & hic prohibentur: oportuit ergo, vt vigilantissimus in regimine Archiepiscopus Toribius deprehenderit excessus, quos hic indicat in eis fieri solere. Quapropter, vt eis remedium opponeret, eiusmodi sumptuum partitiones interdicit, & quidem optima ratione, quam adfert: *Quoniam cum oleum pro se, vti tenentur, accipiunt, id facilè poterunt alijs concedere, & singulis distribuere.* Prius ergo decretum Synodi IV. per præsens sextæ Synodi reformatum est.

SYNODVS VII.

DIOECESANA.

Celebrata in Ciuitate Regum, vltimo die Octobris, anno MDLXXXXII.

NOs D. Toribius Alphonsus Mogrouejus &c. *Vt supra initio Synodi quinti pag. 277.*

Cap. I.

Hispanorum, Indorumq; Parochi mittant exemplaria, & monumenta redituum Ecclesiasticorũ.

Concil. Mediolanen. I. tit. quæ pertinent ad iurium ecclesiast. cõseruationem &c. Et Concil. Mediolan. III. tit. De ijs quæ ad capitulum pertineant. Et Synod. Limen. IV. c. 15.

QVandoquidem in Concilio prouinciali anni 1583. ordinatum sit, vt in Archiuio Ecclesiæ Cathedralis cõseruentur omnes scripturæ Ecclesiarum huius Archiepiscopatus, fundationes Sacellorum, & monumenta, resq; reliquæ ibidē contentæ; vt id executionem accipiat, & vt extet liber in quo distinctè & per ordinem describātur, omnes Parochi, & Vicarij huius Archiepiscopatus tàm Indorum quàm Hispanorum, qua poterunt celeritate mittant ad Nos, vel Prouisorem nostrum vnum exemplar ita authēticum, vt fidem faciat, omniũ scripturarum, quas habuerint de Capellanijs, Anniuersarijs, Monumentis, Confraternitatibus, Domibus, hæreditarijs possessionibus, censibus, reliquisque rebus redituum Ecclesiasticorum, & Hospitalium suorum, beneficiorum, & doctrinarum: Itēque monumentum separatum ipsorum proprijs nominibus subscriptũ & authenticatum, in forma qua fidem faciat, de cūctis fundationibus, Capellanijs, Anniuersarijs, Confraternitatibus, & alijs memorijs tam virorum quam defunctorum, quæ vel iam fundata sunt, vel in posterum fundabuntur, minutim & particulariter designando fundatorem & Patronum, & eum qui in illis inseruit: Et Missas ac earum reditus, cæteraq; omnia onera & res quæ relinquuntur & fieri iubentur, ac celebrari: Itemq; omnium censuum, hæreditatum, possessionum ac redituum omnium illarum fundationũ & memoriarum: Item etiam rdditUum, quas habent ijdem ipsi Parochi & Beneficiarij tàm Indorum, quàm Hispanorum ex proprijs ipsorum beneficijs & doctrinis: Et quot habeant Capellanias, & an sint collatiuæ vel secùs, vt omnia collocentur in Archiuio huius sanctæ Ecclesiæ Cathedralis, & omnia pariter describantur in vno libro, qui ad hunc effectum habendus sit: Qualem librum debebunt etiam habere dicti Parochi, in quo describent ac designabunt, quod ad peculiares ipsorum Ecclesias & Hospitalia pertinebit eadem distinctione & claritate ipsumq; tenebunt & fida custodia seruabunt.

Paro-

Cap. II.

Parochi mittant relationem fidelium Indorum sua cura Pastoralis.

SAtisfacere cupientes Decretis Concilij Prouincialis an. 1583 in hac Ciuitate Regum celebrati, ac per Summum Pontificem approbati, quod etiam Domini nostri Regis edicto executioni mandari iussū est: Et in quo statuitur, vt præficiatur proprius Sacerdos singulis ducētis vel trecentis Indis, Tributarijs, & Opificijs, ac Machinis, cæterisq; partibus vti expedierit. Omnes Indorum Parochi cum omni possibili celeritate mittent notitiam omnium Indorum tributariorum qui in ipsorum doctrinis fuerint, & à tributis exemptorum, & eorum qui confessionibus idonei sunt, & omniū animarum quæ in vnaquaque doctrina sunt, & quale salarium habent, & pagorum quos sibi commissos habent, & quot leucis vnus ab alio distet, & quot numero personæ in singulis doctrinæ laboritijs versantur, tam ij qui laborant, quam qui cibos eis ferunt, & ipsis in loco laboris assistunt, & ad quem spectet laboritium, & quantum inde proueniat: Quam relationem seu notitiam mittent subscriptam nominibus suis & Satraparum Indorum, vulgò, *Caciques*, & Scribæ Oppidi & Correctoris, seu Prætoris, ipsiusq; Scribæ, si haberi possit, ita vt fidem faciat. Eosque monemus quòd si in præmissis obseruantes non fuerint, seuerè contra eos procedetur, & nostri Visitatores plectent eos qui in huius rei executione negligentes fuerint: ipsiq; ferent vel mittent relationem prædictorum valde distinctam & claram, in quo vtrorumque conscientias oneramus.

Concil. Liman. anni 1583. Act. 3. cap. 11. & 12.

Cap. III.

Quòd Parochi possint diebus Dominicis & festiuis celebrare duas Missas in duabus Ecclesijs diuersis ac dissitis.

IVxta dispositionem Cōcilij Prouincialis celebrati in hac Ciuitate anno 1567. quantum conuenit, & [a] *per locum Iuris possumus*, licentiam concedimus omnibus Indorū Hispanorumq; Parochis nostri districtus, vt diebus Dominicis & festiuis ex præcepto seruandis possint celebrare duas Missas in duabus Ecclesijs tam inter se distantibus, vt qui in loco vnius Ecclesiæ assistunt non possint commodè accedere ad audiendam Missam in altera; cum autem habuerint alium Sacerdotem, qui possit celebrare in altera dictarum Ecclesiarum, non poterit Parochus celebrare in vtraque, sed vnā Missam tantùm in vna, quandoquidem alter Sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi. Nec item poterit idem Parochus celebrare duas Missas in eodem Oppido, quamuis non sit alius Sacerdos, qui dicat secundam in eodem.

Vide Notas infra.

Cap. IV.

Vicarij singulis annis inspiciant testamenta sui districtus, eaq; adimpleri faciant.

VIcarij huius Archiepiscopatus quisque in suo districtu reuideat singulis annis tabulas testamentarias, vt pia mandata adimpleantur, curan-

curando, vt ad debitam executioné perducantur; ita, vt exonerentur conscientiæ, ac Deo per omnia seruiatur: in quo ipsorum conscientias oneramus. Et nostri Visitatores, quos negligentes reperetint, premét.

Cap. V.

Obseruentur Concilia Prouincialia annorum 1567. & 1583. in hac Ciuitate celebrata.

Conc. prouinc. anni 1583. Act. 2. cap. 1.

OMnes Parochi, Visitatores, Iudices Ecclesiastici, cæteriq; nostri Archiepiscopatus ad quos infrascripta pertinebunt, habeant, seruent, & inuiolabiliter obseruent, nihilo dempto vel alterato, quæ constituta sunt per Concilium prouinciale annó 1583. in hac Ciuitate celebratum, & à D. N. Rege executioni mandari & obseruari iussum; peculiariter aduertentes ad censuras ipso facto impositas negotiantibus, & mercantibus Clericis, & Rectoribus doctrinarum, greges vel armenta vltrà suæ sustentationis necessaria habentibus, vel sementem, aliaue prædialia lucra; eisque qui chartis, vel alio prohibiti ludi genere ludant, plus quam aureos quinquaginta. Illis item qui absq; Antistitis venia doctrinas suas deserent, vel non reddita ratione rerum sibi commissarú: Parochis qui permiserint suscipi correctores cum cruce: Et visitatoribus qui concesserint clericis dimissoriales, cum quibus ex hoc Archiepiscopatu discedant, vltra centum pesos illis impositos, vti apparet & constat ex instructione visitatorum edita in Concilio prouinciali: & visitatoribus pariter qui obliti timorem Domini occultauerint aliquem processum, vel peruersa collusione cum visitatis vtendo, ipsorum vitia dissimulant, vel causas ad Ordinarium non integrè remittunt. Clericis quoque qui cótra Indos ad bellum procedunt, vel alios quoscunq; aggressus absq; Antistitis licentia: Et alios etiam qui contra tenorem dicti Cócilij aliquam personam in theatro repræsentarint: Et illis qui attentauerint clandestina matrimonia, & eis qui præsentiam suam illis præbuerint. Attendentes etiam Decretis Concilij prouincialis, per quæ statuitur, quòd portas Ecclesiæ nemo relinquat apertas sub pœna excommunicationis: Et quòd etiam præcipitur, vt contra Hispanorum Indorumque Parochos, aliosque Iudices Ecclesiasticos, qui curare neglexerint describi & habere Concilia prouincialia Anni 1567. & anni 1583. quantum ad ipsos vllatenus pertinebit, intra duos menses ab eorum publicatione, vel aliud tempus ab Antistite præfigendum, procedetur ad sententiam excommunicationis maioris, & pœnam centum pesorum currentium: Hortando, prout in Domino hortamur visitatores Archiepiscopatus, vt singulare studium adhibeant visitandi prædictos excessus tractuum, & contractuum, ac lucrorum prædialium Clericorú, tàm qui doctrinas, quàm qui alia quæuis loca regunt, & inquirendi, an sint factores commendariorum, vel aliorum quorumcumque, eos in his omnibus, & alijs delictis & excessibus inculpando, iuxta schedulam suæ Maiestatis Madriti expeditam sub 18. Februarij anno 1588. Et ad Nos missam, in qua nos regat nobisq; iniungit, vt prouideamus & iubea-

iubeamus ne dicti Clerici sint factores Commendariorum, vel aliarum personarum, aut in vllo genere mercimonij tractent, vel contractent, siue per se siue per interpositas personas, transgressores rigidè castigando: & quod ad id faciendum ipsius Regia Audientia omnem fauorem necessarium & auxilium præstabit, de quo ad eandem Audientiam scribit, vt pro ipsorum parte multam curã adhibeant eandem schedulam opere adimplendo.

Cap. VI.

Vicarij & Parochi Decimarum Rationes mittant, & in libro descriptas habeant.

Concil. Ratione l. sub Hone. Papa IV. Rubric 7. Concil. Limen. an. 1583. Act. 4 cap. 12.

VT Ecclesiarum & Xenodochiorum Prouentus aliæque res dignosci possint, & ad cæterorũ quemq; quorum interest, pertineat, & an diminuantur, aut crescant, & vt earum conseruationi & augmento prouideri possit. Omnes Hispanicorum oppidorum Vicarij habebunt librum, in quo per partes distribuent locationes & conductiones decimarum, designando personas quibus per conductores iterùm locentur, & in qua parte, partitione, & semita sint, cuiusque quantitatis, & alia quæ pernotanda videbuntur: Et horum testimonium suis nominibus subscriptum, & ita authenticatum, vt fidem faciat, singulis annis, ad Nos vel nostrum Prouisorẽ mittent, vt intelligatur quid extet, ac Decimarum Ecclesiarum, & Xenodochiorum bono & augmento prouideatur, simul & indemnitati eorum ad quos pertinebit.

Cap. VII.

Indorum Parochi instruant Archiepiscopum, qualiter adimpleantur, præmissa, & prouidenda in fauorem Indorum.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 3. cap. 1.

VT, ad Spirituale & Corporale bonum Indorum, Regiæ Maiestatis voluntas adimpleatur, cupiẽtes, quæ est, quòd pauperes indigenæ requie sua, quieteq; gaudeant, quo melius attendant doctrinæ, & ad Domini nostri cognitionem perueniant, ac mediante sua diuina gratia, & sacri Euangelij prædicatione saluari possint. Statuimus, vt omnes Indorum Parochi peculiari cura & attentione videant & intelligant, qualiter obseruentur ea quæ ad Indorum beneficia prouisa sunt, ac deinceps prouidebuntur; ea de re Nos etiam instruendo, vt Nos D. ProRegem commonere possimus, &, cùm opus fuerit, ipsam etiam Regiam Maiestatem, vt remedium integrum apponatur: super quæ nostra oneratur conscientia, vt apparet ex schedula Domini nostri Regis expedita Vlisiponæ die 27. Maij anni 1582.

Cap. VIII.

Indorum Sacerdotes pro Sacramentorũ administratione nõ accipiant ab Indis iura, nec eosdem ad hac, vel oblationes, aut alia iura cogant.

Concil. Limen. ann. 1583. Act. 2. c. 13. 38.

INdorum Parochi diligenter caueant, in eoque obseruantissimi sint, vt ab eisdem Indis non accipiãt candelas vel pecunias, nec alia vlla iura vel oblationes iurium Matrimonij, Velationis, aut Baptismi; vt nec

nec ab eorundem Baptismatum aut Matrimoniorum patrinis, quamuis propria voluntate ea dent, vel offerant; sub pœna quidquid acceperint in quadruplum restituendi. Nec ab illis exigent iura sepulturæ, prout per Prouinciales ac Diœcesanas huius Archiepiscopatus constitutiones sancitum est. Nec eosdem Indos compellent, vel vllam vim aut violentiam eis inferent ad exigenda iura comitiuæ defunctorum vel feretri, nec tractus campanarum, aut eundi ad eos eferendos, vel sonitus campanæ quem edi sibi volunt à domo defuncti vsque ad Ecclesiam, nec incensationis. Nec vllam rem Indorum sibi applicent in testamẽtis quæ ijdem Parochi in defunctorum nomine conficiunt, quantumuis sit pro Missis, quæ celebrandæ sint, vel ipsarum eleemosynis gaudendo, nec se miscebunt vel propria authoritate intromittent in dispositione bonorum defuncti, vllam eorum partem sibi vsurpando, quamuis sub colore quintam partem pro anima applicandi. Sed Indis relinquant integram libertatem de suis bonis disponendi, prout ipsis videbitur: Et si intestati moriantur, hæredes ipsorum ab intestato declarent, & faciant quod pro anima defuncti fieri debeat. Nec vim aut violentiam illis inferant, vt relinquant dicendas vel dici faciant Missas, nec vt alio tempore diebus Dominicis vel festiuis, vel alias intra annum oblationes faciant; cum hæc omnia voluntaria esse debeant: Dictiq; Parochi custodient & obseruabunt quidquid ad fauorem & bonum Indorũ per Prouinciales ac Diœcesanas huius Archiepiscopatus Synodos constitutũ est; eosdem Parochos, vt monemus, admonentes, ne locum vllum huiusmodi excessibus vel introductionibus concedant, & vt obseruent, & opere compleant ea quæ circa hæc per schedulas Regias ordinata & prouisa sunt, & in postremo Concilio prouinciali, iuxta quod eodemq; modo quo in eodem continetur, quod etiam est pariter conforme schedulæ suæ Maiestatis ad Nos directæ in commendationem supradictorum dat. in S. Laurentij die decima nona Octobris anni 1591. Et nostris Visitatoribus præcipimus, vt solertem curam ac diligentiam adhibeant, vt illos aggrauent, quos in prædictis culpabiles repererint, vt secundum culpæ qualitatem seuere puniantur.

Cap. IX.

Seruorum, Indorumq; Domini, & Parochi diligenter curent, vt illi doctrinam doceantur, Missas, Conciones, & Sacramenta frequentent.

CVpientes vt exonerentur conscientiæ, nec Deo Domino nostro debitum desit obsequium: Hortamur & rogamus in Domino omnes mancipiorum Dominos, & qui Aethiopes vel Indos, aliosue in famulitio habuerint, vt familiæ suæ diligenter inuigilantes obseruent & curent, quòd singulis diebus doctrinam sigillatim doceantur, Missas & Cóciones festiuis ac Dominicis diebus audiant, confessionem, sacram communionem, aliaq; sacramenta iuxta cuiusque obligationem suscipiant: Et Parochis præcipimus, vt dictorum Aethiopum tàm seruorũ, quam manumissorum & Indorum *Synod. Diœces. I. cap.13.*

parti-

particulares matriculas habeant, & ex illis eos ad Confessionem & Cõmunionem vocari faciant. Et in hoc minimè negligentes sint, vel eã curam ipsorum Dominis vel heris relinquant, sed Parochi ipsi in hanc partem diligenter incumbant & inuigilent, vt illæ personæ adimpleant præcepta Ecclesiæ & alias suas obligationes, si ijdem Parochi non malint præceptorum violationem sibi ipsis imputari. Eosque monemus, prout moniti esse debent, quod si in hoc negligentes fuerint, præter castigationem iræ Dei, debebunt vlterius luere pœnas ipsis impositas, in quo ipsorum cõscientias oneramus. Atq; in visitationibus particulariter inquiretur, qualiter hæc obseruẽtur.

Cap. X.

Diebus Dominicis & festiuis præcepti, cuncti Missas & sermones in suis Parochijs audient.

NE quisquam prætendat festorum anni dierum vel ieiuniorum ignorantiam, vt vnusquisque sciat, quid se oporteat facere & obseruare. Sac. Concil. Trid. Decretis inhærentes exhortamur, & in Domino petimus, vt omnes ad Missas & Conciones audiendas frequẽtent suas Ecclesias Parochiales, easq; speciali affectu complectantur, & amore prosequantur; eosdem admonentes, quòd in eodẽ Concilio Trident. declaratur teneri quemlibet ad Sermones in Ecclesia sua Parochiali auscultandos. Ipsosq; tam Indorum quam Hispanorũ Parochos exhortamur, vt populis declarent indulgentias & remissiones, quas per Bullam sanctæ Cruciatæ lucrantur, & qualiter animas ex Purgatorio liberare possint, idq; ijs diebus facient, quibus indulgentias ipsas & animarum liberationes consequi possint, vt executioni mandentur, nec obliuioni tradantur. Celebrabunt identidem ijdem Parochi cum magna deuotione solemnitatem Sanctissimi Sacramenti in die Corporis Christi, curent & exhortẽtur fideles Christianos, vt se in precibus & ieiunijs, alijsq; sanctis & bonis operibus exerceant, exponantq; indulgentias quas in ea die & octauis lucrentur, qui diuinis officijs intersunt: Et si ad id opus fuerit, habeant apud se Bullam Cruciatæ vltimæ prædicationis. Populumq; hortentur, vt quoties exportatur Sanctissimum Sacramẽtum, ipsum comitentur omnes, & qui equis insederint, illos relinquant, & Sanctissimum Sacramentum pedites sequantur.

Trid. sess. 24. c. 4. de reform. & c. 13. de reform. Matrim.

Cap. XI.

Vicarij singulis annis in suis Ecclesijs publicent Concilia prouincialia.

SIngulari studio curabunt Vicarij, vt Concilia prouincialia anni 1567. & anni 1583. absq; vlla remissione vel defectu, singulis annis, in Ecclesijs ipsorũ districtus publicentur, & obseruent quod circa hoc in eodem Concilio prouinciali anni 1583. constitutum est. Eosq; monemus quòd in futuris visitationibus hoc non obseruantes mulctabuntur.

Concil. Limen. an. 1583. Act. 4 cap. 24.

Cap. XII.

Visitatores exequantur Decreta de Clericis non callentibus linguas ad prædicandum & excipiendas confessiones.

Synod. Diœcef. III. cap. 44. & Synod. 4. c. 10.

QVoniam per Concilium prouinciale anni 1567. in hac Ciuitate celebratum, *a & à sua Sanctitate approbatum*, ac per Constitutiones huius Archiepiscopatus decretum est, vt Sacerdotibus non callentibus linguas, ad confessiones excipiendas, & ad prædicandum verbum Dei, proprijs ipsorum sumptibus adiungatur, & constituatur alius, qui ministerio fungi possit: Et quod si primo anno in addiscendis linguis negligentes fuerint, subtrahatur ipsis tertia pars salarij, & sequenti anno crescat pœna, ac deficiente Sacerdote, qui defectum suppleat, mulcta applicetur Ecclesiæ & pauperibus Indis. Idemque dum aliqua doctrina Sacerdote vacauerit, ipsius stipendiũ eisdem Ecclesiæ & Indis pauperibus tribuatur: Proindè Visitatores & Vicarij diligenter inuigilent, vt hæc debitam executionẽ sortiantur, quorum in hoc conscientias oneramus, vltra quod cõtra negligentes procedetur.

Cap. XIII.

De visitationibus, ipsisq; Visitatoribus visitandis.

Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. de reform.

VIsitatores procedant contra Visitatores qui ipsos præcesserunt, & contra officiales & ministros visitationis in locis, in quibus confecerint informationes, quæ cõueniant, easq; ad Nos vel nostram Prouisorem remittant: Quoniam ad hoc eique annexa, indeq; dependentia, nostras vices illis committimus omni meliori via, & quantum de iure possumus, vt Deo præ omnibus seruiatur. Eosdemq; Visitatores præsentes & futuros hortamur in Domino, vt officium suum fideliter exequantur, nec accipiant iura visitationum, quæ pilæ vocentur, sed bene fideliter & integrè adimpleant ea quæ per sacrum Concilium Tridentinum circa procurationem quã percipere debeant, & tempus per quod necessariò in visitatione morentur sancita sunt, cæteraq; in eodem Concilio contenta, attendentes ad rigidas pœnas per iura transgressoribus impositas.

Cap. XIV.

Visitatores diligenter inquirant in Parocbos inhabiles, & insufficientes ad curam Pastoralem.

Concil. Trid. sess. 21. cap. 6. de reform.

QVia contingere possit, quòd in aliquibus doctrinis & beneficijs quispiam absque sufficienti literatura constituatur: & ad Sacramentorum administrationem, & curam pastoralem imperiti sint, & minus docti, Visitatores illis diligenter inuigilent, eosque in librorum lectione, & ordinanda, celebrandaque Missa examinent: Et eos ad Nos deferent, qui minus habiles vel imperiti reperti fuerint: vt re perspecta prouideamus, quod obsequio diuino magis conueniat, coadiutores illis constituendo, quo magis exoneretur conscientia, iuxta Decreta sacri Concilij Tridentini de illiteratis & imperitis.

Vt

Cap. XV.

Vt Visitatores exigant rationes Ecclesiarum & Xenodochiorum ex eorum libris, œconomis, & bonorum detentoribus, prouidendo & ordinando, vt in vsus necessarios expendantur.

Conc. Trid. seß. 24. c. 3. de reform.

CVm iusto nostro dolore, propter quasdam causas nondum potuerunt Indorum, vel Hispanorum Ecclesiæ & xenodochia integrè & conuenienter visitari, visitatores in posterum solicitam curam gerent, visitando bona Ecclesiarum fabricas concernentia, & hospitalia doctrinarum, tam Indorum, quam Hispanorum, eorumque rationes ab Administratoribus, correctoribus, & œconomis, alijsque personis, in quarum potestate fuerint, exigendo, eosdem obstringendo, & prouidendo, vt ea rebus necessarijs impendant, cum omni rigore iuris procedendo, vt ita fiat, & adimpleatur, implorando etiam, & inuocando, cum opus fuerit, auxilium, & fauorem Proregis & Regiæ audientiæ, aliorumque Iudicum ad eundem effectum, iuxtà Iuris, & Sacri Concilij Tridentini dispositionem & plures Maiestatis Regiæ Schedulas.

Cap. XVI.

Vicarij, & Parochi procedant contra impedientes Ecclesiæ ministros, vbi de musicis Ecclesiarum instrumentis.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 5. c. 5: Canon. Apost. 15. apud Binnium/Conc. Trid. seß. 22. in decr. de obser. & euitandis in celebr. Missæ.

SEcundum decreta Cōcilij Prouincialis anni 1567. & Concilij pariter prouincialis anni 1583. in hac ciuitate celebrati, & à sua sanctitate approbati, & per schedulam Regiæ maiestatis obseruari, & executioni mandari iussi, quæ in eodem concilio impresso habetur, & iuxta ordinationes D. Francisci à Toleto, horum regnorum quondam Proregis, in quibus prouisum est ad diuini cultus augmentum, &, vt Indi ædificentur in rebus Christianæ religionis, quòd habeatur harmonia tibiarum, fistularum, & aliorū instrumentorum musicorum, & ministri qui illis ludant, & Sacristani qui inseruiant Missis, & officiales qui populum ad doctrinam conuocent, & qui Sacerdotes de publicis peccatis admoneant, & de paruulis qui baptizandi sunt, & alij Indi instructi ad paptizandum, absente sacerdote, in casu necessitatis, tanquam ad rem tanti momenti, ne quisquam sine baptismo decedat. Omnes doctrinarum Parrochi in his omnibus obseruantissimi sint, designando, & habendo cantores, & personas qui dictis tibijs, alijsque instrumentis ritè vtantur, & fiscales & sacristanos, & personas instructas ad baptizandum in dicto casu necessitatis, prout illis præcepto dicti Concilij prouincialis anni 1567. ordinatum est, contra transgressores, & ministros sæculares, vel alios, qui præmissa impediuerint, cum omni iuris rigore procedentes, etiam, cum opus fuerit, per censuras, quarum absolutionem nobis reseruamus, committentes, prout committimus dictis parochis & vicarijs prouinciarum, eorumque cuilibet insolidum in cunctis præmissis, alijsq; eisdem annexis, & ab eis dependentibus; & vt creent Notarios, Fisca-

les, & reliquos necessarios ministros, nostras vices, quantum ex iuris dispositione possumus, attendentes, prout dictum est, ad sancita dictorum conciliorum, & præsertim anni 1583. in eiusdem capite finali quinto, actionis quintæ, de cura cultus diuini.

Cap. XVII.

Quod Nigri, vel alij mixti generis, vel gentis non viuant inter Indos.

INdorum Parochi omni meliori modo studiosè curent, ne Nigri vel ex ijs & albis, aut alia mixtura nati viuant inter Indos, sed eos ad Hispanorum oppida cogant, vt inibi suas parochias & parochos profiteantur, & instruantur, & Sacramenta illis ministrentur. Eisdemque Parochis nostras vices in hac parte committimus, quantum de iure possumus, iuxtà schedulam regiam ad Nos expeditam, quæ incipit: Yo soy informado dat. Valentiæ 27. Ianuarij 1586.

Cap. XVIII.

Qui Sacerdotes accusant, deponant eam summam pecuniæ, quæ sufficiat ad prosequendam causam, & soluenda iura ministrorum iustitiæ.

EX eo, quòd qui Sacerdotes aliquorū capitum accusant, non deponant pecunias ad executionem sententiæ, vel iudicum & ministrorum stipendia soluenda necessarias, vel ad pœnam non probantibus luendum, non rarò sequitur, quòd causæ maneant indecisæ, & [a] *personæ Ecclesiasticæ ex accusatione diffamentur*, ac iudices, reliquique ministri priuentur stipendijs & expensis quæ illis debentur, & pœna imposita non soluatur: vt prouisum sit, ne delicta maneant impunita, aut quisquam tam facile leuiterque audeat personas Ecclesiasticas criminari, vel diffamare sacerdotes. Hinc deinceps nostri Prouisores, cæterique Iudices ecclesiastici non admittent eiusmodi accusationes, nisi priùs, & ante omnia deposita sit in manibus æqui & spectatæ fidei viri ea pecuniæ quantitate, ad quam accusatores se de iure per fideiussores obligabunt,

Cap. XIX.

Ne Visitatores vel eorum officiales iura ab Indis accipiant, vel eos mulctent pœnis pecuniarijs.

QVoniam per huius Archiepiscopatus prouinciales diœcesanasque constitutiones sancitum est, quòd Iudices, & Notarij nulla iura titulorum, prouisionum, processuum, vel alia ab indis percipiant, ac postremò per Concilium prouinciale anno 1583. in hac ciuitate celebratum, in instructione pro visitatoribus facta, præscriptum est, quòd ijdem visitatores indos pecunijs nō mulctent, sed cùm oportuerit pecuniariam pœnam illis imponere, tunc eam ad Antistitem remittant: vt prædicta plenum effectum & executionem obtineant, indorum Parochi & visitatores ea illis exponāt, ac declarent, ijs præserrim temporibus, quibus visitationes ipsæ exercebuntur, vt percipiant quid in ipsorum fauorem constitutum sit. Et peculiare studium adhibebunt parochi, Synodo IV. supra cap. 10. & locis ibi in margine citati.

chi, vt indi intelligant, & sciant hæc; & alia ad ipsorum commodum sancita; & quod ijdem non vexentur, vel molestentur in vlla re. Dictique visitatores perficient & adimplebunt quæ per illas constitutiones prouisa sunt, attendentes ad aliàs per nos constituta in diœcesana Synodo anno 1586. celebrata; quòd, nimirùm, qui ylla iura ab Indis perceperit, debeat eadem cum duplo eisdem indis restituere, à quibus ea perceperit, & alias pœnas arbitrio nostro subire.

Cap. XX.

Cùm vacauerit doctrina, Vicarius prouideat de ministro Sacramentorum, & interim proximus Parochus poterit in ea exercere officium pastorale.

Synod. IV suprà cap. 10. ad ibid. in margine.

QVoniam aliquæ doctrinæ per obitum, cessionem, vel desertionem vacare possint, nec statim de idoneo sacerdote prouideri, ob defectum notitiæ, vel monitionis. Nos conscientiam nostram exonerare cupientes, & remedium opportunum adhibere, facultatem facimus Parocho, qui doctrinæ sic vacanti proximus fuerit, vt possit Sacramenta in ea ministrare, & pastoralem curam per omnia in eadem exercere, interim dum per nos, aut nostrum Prouisorem, vel Prouinciæ Vicarium prouideatur de nouo Sacerdote, ex ordine iuris patronatus Regij, monendo nos intra terminum constitutum ad eiusmodi prouisionem. Qui obseruantissimus erit in constituendo cum omni possibili celeritate parochum non alias occupatum, qui possit ministrare Sacramenta, & curam pastoralem in omnibus exercere. Ad quem effectum in supradictis licentiam concedimus, & quantum de iure possumus, ad ea, & eis annexa, ac inde dependentia commissionem damus; præcipientes, vti præcipimus, vt Parocho interim inseruienti detur salarium ad ipsum spectans, & quod ad suam sustentationnm habere debet.

Cap. XXI.

Concionatores inter prædicandum hortentur populos ad decimas ritè soluendas.

VIcarij Rectoresque Parochiarum diligenter curabunt, vt in sermonibus, quos ad populum in suis Ecclesijs habituri sint, eundem hortentur vt decimas, quas debuerint, integrè sine fraude persoluant, obligationem quam ad hoc habent illis proponentes, ac damna spiritualia, corporalia, & temporalia, quæ contrarium facientibus euenire solent. Et ad hunc finem illis prælegant exhortationem, & admonitionem hic insertam, & desumptam ex libro Pontificali, cum suo principio & fine in forma, qua per nos expedita est, & Decretum Sac. Concil. Tridentini sess. 25. cap. 12. de reformat. & legem secundam Regni in noua legum collectione lib. 1. tit. 5. de decimis, omnia tenoris sequentis.

Nos

NOs don Toribio Alfonso Mogrouejo, por la miseracion diuina, y de la Santa Iglesia de Roma Arzopispo de los Reyes, de consejo del Rey nuestro Señor &c. A vos los Vicarios, curas, y beneficiados, y capellanes deste nuestro Arzobispado, aquien lo de suso contenido tocare, y atañe tocar, y atañer puede en qualquier manera, salud y gracia. Bien saueis, y deueis sauer, la precissa obligation, què los fieles Christianos tienen conforme a derecho de pagar los diezmos enteramente, y los trabajos espirituales, corporales, y temporales, que se siguen de lo contrario, y quan justo y sancto es animar a los que lo deuen, acudan à sus obligationes en esta parte. Atento a lo qual nos parecio mandar sacar y traducir en nuestra lengua castellana la recomendacion y exartacion, que sta en el libro Pontifical Romano, para que las personas a cuio cargo esta la paga de los dichos diezmos, lo entiendan, y no puedan pretender ignorancia; la qual traducion es del tenor figuiente.

Exhortacion del Pontifical.

CHarissimos hermanos a todos os exhorto, y amonesto, paguèis los diezmos, que son paga, y tributo deuido a dios, a los sacerdotes y iglesias, los quales diezmos el Señor en señal del dominio y señorio vniuersal aguardado para si. Oyd a San Augustin, que sta clamando, y dice, los diezmos son vna deuda y tributo de las animas necessitadas, Si pagareis el diezmo, no solamente cogeras fructo en abundancia, pero alcanzaras tam bien salud corporal, no pide dios de nos otros, por los bienes que nos da, premio, ni paga, sino honra y reuerencia, y esse summo señor, que con mano liberal nos dio todos los bienes, que posseemos, se digna, y quiere reciuir de nos otros el diezmo, y esto no para si, sino paraque esse dar redunde en maior abundancia, y bien nuestro: mas si la tardança en el pagar el diezmo es peccado, quan gran peccado sera el nolo dar de todos los fructos: has de pagar el diezmo, para que pagandole puedas merecer los bienes celestiales, y terrenales, si no as que por ser auariento, y escasso, pierdas tan copiosas benediciones, costombre iustissima del Señor que no pagando el hombre el diezmo, el mismo hombre sea la paga, llebar al soldado perdido y malo lo que no distis al sacerdote, y lo que à Christo no dieredes, te lleuara el fisco. Volueos a mi dize el Señor por el Propheta, y yo me voluere a vosotros, y por no acudir con el diezmo, os alcanza vna maldicion, quæ siempre andais necessitados y hambrientos, perdereis la fertilidad de vuestras possessiones, y el abundancia de los fructos, y para que intendais que eno jado de la falta que teneis en el pagare los diezmos, se disminuie vuestra hazienda, por no darlo, que es de dios a dios. Exorto y amonesto a todos que con alegre animo pagais los diezmos, que es thessoro del templo, para que los sacerdotes y leuitas, que siruen en el altar del señor tengan el deuido sustento, y fiad demi, y vereis como pagando vos otros el diezmo, embio del

del Cielo vn tan abundante rocio, y buena benedicion tan copiosa, que os de complida abundancia, pero si al contrario hizieredes no pagando el diezmo, bema sobre vosotros, y vuestras possessiones la langosta, pulgon, pestilencia, y trabaxos, y mil males. Assi que es necessario euitar esta indignacion del señor, y pagar los diezmos, y tributos deuidos, y no es justo, que por vn poco de bien temporal se pierdan mil bienes, que se puedan seguir. Esto este siempre en vuestra memoria, para que entendido, se põga en execucion, y merezcais por estos bienes temporales alcanzar, y posseer los bienes eternos. Y en conformidad de lo suso dicho mandamos dar y dimos la presente, por la qual vos damos commission en forma tan bastante, como de derecho se requiere, a cada vno de vos in solidum, para que en vuestros districtos, y Doctrinas hagais à vuestros feligreses pagar el diezmo, que deuieren, como estan obligados, de manera que cada vno lleue, y aya lo que fuere suio, y iustamente le pertineciere, y en todo se descargue la consciencia, e nuestro señor se sirua, procediendo contra los trasgressores, impedidores, y perturbadores que pretendieren estorbar la paga de los dichos diezmos, por todo rigor de derecho; y, siendo necessario, por censuras, que para todo ello, y lo dependiente, anejo, y concerniente, y para criar Notarios, y los demas ministros necessarios, os cometemos nuestras veces plenariamẽte, por la via que mas conbiene, y podemos, y a lugar de derecho. En testimonio de lo qual mandamos dar, y dimos la presente firmada de nuestra mano, y sellada con nuestro sello, y refrendada de nuestro Secretario.

Capitolo doze, Session veinte y cinco, del Concilio de Trento.

NO sean de consentir, los que por diuersos modos hazendo agrauio a las Yglesias, los procuran quitar los diezmos, o atreuidamente tomando que otros pagan, aprouechandose dellos, como quiera que la paga de los diezmos se deua a Dios, y asi los que no lo quisieren dar, o impiden que otros no lo den, se alzan con la hazienda agena. Manda pues segun esto, el sancto Concilio à todos de qualquier grado, y condicion que sean, a quien toccare la paga de los dichos diezmos, que en adelante enteramente paguen lo que de derecho deuen, y estan obligados ala Yglesia Cathedral, o a qualquiera otras Yglesias o personas, a quien legitimamente se deuan, y los que se quedan con ellos, o impiden que no se den, sean excomulgados, ni de este peccado les absoluan, hasta tanto, que vbiere plenariamente restituido. y exhorta a todos en general, y a cada vno en particular, que por la caridad christiana, y por la obligation, que tienen a sus prelados, no les sea molesto aiudar con los bienes que nuestro señor les diere largamente, a los obispos y curas, que assisten en las Yglesias algo pobres a major gloria de Dios, y para conseruacion de la dignidad de sus pastores, que dellos tienen cuidado.

Ley

Ley ſegũda que todos paguen diezmos cumplidamente, y como ſe deuen pagar, y que diligencias ſobre ellos ſean de hazer.

POr que nueſtro Señor en ſeñal de vniuerſal ſenorio retubo en ſi el diezmo, y no quiſo que ninguno ſe pueda excuſar de lo dar, y por que los diezmos ſon para ſu ſuſtentamiento de las Yglesias, y Prelados, y miniſtros dellas, y para ornamentos, y para limosnas de los pobres en tiempo de hambre, y para ſeruicio de los Reyes, y pro de ſu tierra, y de si, quando meneſter es; y quien bien, y de grado lo paga acrecientale dios lo temporal, y dale grande abondancia de todos los fructos, y ſalud al anima. Porende mandamos y eſtablecemos para ſiempre jamas, en todos los hombres de nueſtro reyno, den ſus diezmos cumplida, y derechamente a nueſtro Señor Dios, de pan, y vino, y ganados, y de todas las otras coſas, que ſe deuen dar derechamente, ſegun lo manda la Santa Madre Yglesia, y eſto mandamos tambien por nos, como por los que reynaren deſpues de nos, como por los ricos hombres, como por los caualleros, como por los otros pueblos, que todos demos cada vno el diezmo derechamente de los bienes que Dios nos da, ſegun la ley comanda. y qualquiera que contra eſtas dichas coſas fuere, pague el diezmo doblado, la mitad para el Rey, y la otra mitad para el obiſpo, ſaluas las ſentencias de excommunion que dieren los Prelados contra todos aquellos que no dieren derechamente Diezmo, ò fueren en alcuna coſa contra eſtã ley. y queremos que las tales ſentencias de excommunion ſean bien guardadas por nos, y por ellos, de manera, que el poder temporal, y eſpiritual, que viene todo de Dios, ſe aguarden, y acudan en vno, y las ſentencias, que los Prelados puſieren ſobre eſtas coſas, ſean bien tenidas, haſta quæ la enmienda ſia hecha.

Cap. XXII.

Imaginum pallia, & alia Eccleſiarum ornamenta non accommodentur ad alios vſus, quam ad quos deputata ſunt.

CVm intellexerimus, quòd ſacrarum imaginum pallia commodentur ad induendos infantes, qui ad Baptiſmum deferuntur, & quòd illis tecti domum referuntur, rem longè alienam ab vſu ad quem illa deputata ſunt: fideles Chriſtianos in domino monemus, vt ab hoc deinceps abſtineant, [a] *nec res Deo dicatas ad prophanos vſus adhibeant*, nec ſe huiuſmodi inuentionibus immiſceant. œconomi verò Eccleſiarum, confraternitatum, & parochi nullum illis ad ea locum dent, nec Eccleſiarum paramenta ad dictum effectum illis accommodent, ſub pœna viginti peſorum currentium, cuilibet contrarium facienti incurrenda, & applicanda Eccleſijs, in quibus ea culpa committitur; Et noſter Prouiſor, cæterique Iudices cum omni iuris rigore procedent contra tranſgreſſores, vt illiuſmodi ceſſent exceſſus.

C.p.

Cap. XXIII.

Nullæ Imagines vel reliquiæ Sanctorum [a] in actionibus publicentur.

[a] Vulgò, almonedas.

Conceil. Mediol. III. tit. Quæ ad sacramentalia, & constit. Gregor. XIII. ibid. Concill. Trid. sess. 24. de inuocat. & reuer. &c. vers. In has autem.

AD nos delatum est, quòd in publicis auctionibus quæ fiũt, inter alias res emptioni expositas, voce præconis publicentur etiam imagines, reliquiæ, Cruces, & Agnus Dei in eadem auctione vendenda, [a] *ex quo creata sunt, & accrescunt scandala*, & mala exempla, præsertim inter Neophitas Indos. Proinde nemo post hac audebit eiusmodi imagines, reliquias, Agnos Dei, vel cruces in auctionibus, vel alibi venalia exponere; sed omnes obseruantissimi sint, eius quod hic constitutum est, Deum præ oculis habentes, & eam venerationem, quam sacris rebus debent. Et circa hoc noster Prouisor cæterique Iudices cum iuris rigore procedent contra præcones, & præconium mandantes, aliosque transgressores eorum, quæ hac nostra constitutione sanciuntur.

Cap. XXIV.

Vt constituti sint Notarij, seu punctatores Capellaniarum, memoriarum, & fundationum Ecclesiasticarum.

Conc. Mediol. I. part. 2. tit. de pior. locor. administrat. & Conc. III. tit. de ijs quæ ad bona Ecclesiastica, &c.

VT certa, & sufficienti ratione constet, qualiter satisfiat vltimæ voluntati defunctorum, aliorumque qui capellanias, memorias, & fundationes Ecclesijs relinquunt, vt sic exonerẽtur conscientiæ, constituti sint in posterum Notarij in Ecclesijs, & locis, in quibus eiusmodi memoriæ, capellaniæ, & fundationes fuerint: qui etiam Missas, in libro ad id seruando, diligenti cura clarè, & distinctè per singulos dies describent, vt visitatores ex dicto libro rationes exigant. In eoque eorundem Notariorum conscientias oneramus: & noster Prouisor & Vicarij studiosè curabunt, vt omnia hæc exequantur, & nostri pariter visitatores, vt inquirant, qualiter hæc eadem obseruentur, & adimpleantur, Vicarios, & notarios inobseruantes eorum quæ hic ordinata sunt inculpando, quatenus exonerentur conscientiæ, ac Deo per omnia seruiatur.

Cap. XXV.

De Iudicibus Ecclesiasticis ad cognoscendum causas ad has partes delegandas.

IVxta Decretum sac. Concil. Tridentini sess. 25. cap. 10. de reformat. nominamus ac designamus in hac Diœcesana Synodo Iudices, qui causas spirituales & ecclesiasticas, ad Ecclesiasticum forum spectãtes cognoscere possint, cùm per Sũmum Pontificem, aut quemuis Legatum, vel Nuncium ad has partes cõmissæ fuerint, Doctorem D. Ioannem Velasquez Archidiaconũ, Doctorem D. Stephanum Hernandez Vozmedianum cantorem, Doctorem Antonium de Molina, Doctorem Ioannem Diaz, & Doctorem Ioannem de la Roca, Præbendarios supradictos huius sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Ciuitatis Regũ, & Priorem S. Dominici, & Priorem S. Augustini, & Commendatorem Dominæ nostræ de Mercede, & Guardianum S. Francisci, qui nunc sunt, vel

Concil. Trid.

posthàc successerint in dictis officijs prælaturæ in Monasterijs huius Ciuitatis Regum.

Cap. XXVI.
De Examinatoribus Beneficiorum & Doctrinarum.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 4. c. 17. & Trid. ibi in margine.

SAcri Cōcilij Tridentini sanctionibus inhærendo nominamus Examinatores Beneficiorum & Doctrinarum, Doctorem D. Ioannem Velasquez Archidiaconum, Doctorem D. Stephanū Hernandez Vozmedianum Cantorem, Doctorem Molinam, Doctorem Ioannem à Roca Præbendarios omnes supradictos huius sanctæ Ecclesiæ, & Magistrum Auila Portionarium, & Baccalaureum Christophorum Sanchez Destrenedo, & Baccalaureum Hernandum Martinez, Parochos huius sanctæ Ecclesiæ, & Doctorem Centurion de Espendola Parochum Parochiæ S. Sebastiani, & Magist. Alphonsum de Horta, & P. Fr. Ioann. Martinez Ordinis Sancti Augustini Cathedraticum linguæ generalis Indorum, & Baccalaureum Betanzos, & Ioannem de Solis, & Ioannem Martinum Presbyteros. Qui iuxta sacrum Concilium Tridentinum debent præstare iuramentum.

Cap. XXVII.
De Testibus Synodalibus.

Conc. Limense anni 1583. Act. 4. cap. 23.

PRopterea Sancti Patres iustè & sanctè instituerunt, quòd Synodi singulis annis fierent, vt in eis tractaretur de correctione & emendatione malorum morum, & vt boni reformarentur, & vt in illis fieret, & tractaretur quod conueniret gubernio animarum, & rebus concernentibus Episcopatus. Vtque quod per easdem Synodos fieret, & constitueretur, maiori efficacia adimpleretur & sortiretur effectum, prouiderunt, vt nominentur & constituantur in vnoquoque Episcopatu Testes synodales viri boni & idonei, qui per totum Archiepiscopatum, quisq; in districtu sibi assignando, studiosè & solerter inquirant, qualiter obseruetur id quod in Synodis constitutum & præceptum est. Nos igitur tam sanctum institutum exequentes, designamus eos, qui sunt, vel fuerint Parochiarum huius Ciuitatis Rectores, & Visitatores huius Archiepiscopatus, vt per eundem nostrū Archiepiscopatum inquirant quod dictum est, & quod facere debent sine Scriba, vel Notario, seu strepitu iudiciali, sed solùm de plano; quoniam vlteriorem iurisdictionem non habent, nec Nos eam illis concedimus: Et quod sic secretò inquisierint pernotando, & consignando memoriæ testes, qui sciunt ac deponunt, tam defectus & culpas Vicariorum & Clericorum, quam etiā laicorum, absque iuramento testium, sed tantummodò per viam informationis, id ad Synodos & Concilia prouincialia ferent, & Nobis secretò tradent, vt Nos, re cognita, prouideamus remedium, prout meliùs Deo seruiatur. Præstabuntq; iuramentum officio suo benè & fideliter fungendi, & quod sic fecerint, coràm Nobis ad Synodos & Concilia prouincialia deferendi.

Indo-

Cap. XXVIII.

Indorum Parochi vniformem Missarum eleemosynam accipiant.

Rescripta sacrę Congreg. Conc. Trid. ad dubia super decretis Vrb. VIII. de celebr. Missar. ad 2. & 5.

QVoniam per visitationem huius Archiepiscopatus per Nos factam innotuit, pro Missis quas Indi celebrari curant, eleemosynam longè inæqualem accipi, tàm in Confraternitatibus, quàm aliàs: Nos vniformitatem absq; excessu cupientes, & vt omnia ad maius commodum & beneficium Indorum fiant, statuimus, quòd Indorum Parochi in posterum non accipiant, nec accipere possint maiorem eleemosynam, quàm duos pesos, (singulos nouem regalium) pro singulis Missis cantatis quas celebrauerint, siue sint Confraternitatum siue aliæ votiuæ, aut memoriarum deuotionis, vel defunctorum, quas fideles pro sua deuotione celebrari cupierint: Quòd si eum Missæ celebrentur vigiliæ, accipient tres pesos, singulos nouem regalium: Et pro singulis Missis recitatis, vnum pesum currentem nouem regalium. Et si in Doctrinis inualuerit consuetudo, in omnibus supradictis obseruetur. In locis autem Hispanorum omnibus obseruetur loci cuiusque laudabilis consuetudo. Super quibus dictorum Parochorum cõscientias oneramus. Et Visitatores peculiare studium adhibebunt, vt hæc obseruentur, & plectantur transgressores; ac tempore ipsius visitationis hanc constitutionem in Indorum oppidis promulgabunt, vt & reliquas omnes constitutiones ipsis fauorabiles, dum in doctrina congregati fuerint tàm Caciqui & Principales Indi, quàm eorum Rectores, & populares, eas illis propria ipsorum lingua declarando. Idẽque crebriùs facient Indorum Parochi, vt Indis ipsis innotescat, nec vllus prætendat ignorantiam: in quibus vtrorumq; conscientias oneramus, vt hac ratione non ampliùs ipsis tribuatur pro Missis, quàm præscriptum est pro ipsorum sustentatione, & vt per omnia Deo seruiatur.

Cap. XXIX.

De festis quæ seruari debent.

QVoniam in Synodo Diœcesana anno 1585. celebrata in Oppido Yungay constit. 58. Decretum est, quòd festa in Ciuitatibus, Oppidis, & locis habitatis obseruanda seruentur etiàm in agro; & in Concilio prouinciali anno 1583. in hac Ciuitate celebrata, & anno 1588 post factam illam Yunguayanam Constitutionem, per Sedem Apostolicam approbato, Actione 4. cap. 9. satis prouisum est, vt seruentur festa quæ ibidem peculiariter memorantur: Et quòd si vltra illa fuerint alia per approbatam consuetudinem vel priuilegium legitimum introducta, in singulis locis vel oppidis religiosè obseruentur ipsorum propria. Aduertendo ad ea quæ dicta sunt, Nobis visum est, dictam Constitutionẽ 58. dictæ Synodi Yungayanæ anni 1585. reuocare, prout omni meliori via, & quantum de iure possumus, reuocamus, relinquendo, prout relinquimus, in sua virtute & vigore Decretum cap. 9. act. 4. dicti Concilij prouincialis, vt per omnia obseruetur eo modo quo ibi contentum & sancitum est, & vt ritè seruiatur

Deo. Cùm autem in hac præsenti Synodo pro parte confratrum confraternitatis S. Iosephi huius Ciuitatis à Nobis petitum sit, vt eiusdem Sancti festum obseruetur; Nos, ea re cū Clero & populo præsenti collata, decreuimus in casu præcipere, prout præcipimus, vt dictum festum S. Iosephi in hac Ciuitate seruetur, dempta obligatione ipsum in agro seruandi.

Cap. XXX.

Quod Vicarij & Parochi habeant has Constitutiones synodales.

OMnes nostri Hispanorum Indorumq; Vicarij & Parochi habeant has Constitutiones synodales, quantum ad ipsos pertinebunt, intra quatuor menses à prima publicatione huius Synodi, sub pœna, quòd contra transgressores procedetur ad executionem pœnæ in præcedendi Synodi anni 1585. in Oppido Yunguay celebratę, constit. 9. Cōstitutiones Prouinciales ac Diœcesanas non habentibus impositæ, alijsque pro nostro arbitrio.

Hortamur ergo requirimus & mandamus omnibus & quibuscunque personis Ecclesiasticis & sæcularibus in hoc nostro Archiepiscopatu existentibus ac degētibus, quòd à die primæ publicationis huius Synodi in posterum eiusdem Constitutiones habeant, teneant, seruent & exequantur, nec earum tenorem & formam vllatenus excedant; eosdem commonentes, quòd contra transgressores cum omni iuris rigore procedetur, pœnas pecuniarias & alias ad nostrum arbitrium illis imponendo. Et omnia supradicta sic prouidimus per viam constitutionum synodalium, & reformationis, & omni alia, qua de iure possumus, & magis conueniat. Et præcipimus vt legantur & publicentur in hac sancta Ecclesia huius Ciuitatis Regum, & habeant vim & vigorem Constitutionum synodalium, quæ Nos illis damus, quantum ad ipsarum validationem requiritur.

Absolutæ sunt istæ Constitutiones ad honorem & gloriā Dei Domini nostri vltimo die Octobris anni 1592. sub vesperis festi omnium Sanctorum.

T. Archiepiscopus Regum.
Alphons. Ramirez Not. publ. Secretarius.
De mandato suæ Illustrissimæ Dominationis.
Bernardinus de Almanza Not. publ. Secretarius.

Indictio futuræ Synodi.

DToribius Alphonsus Mogrouejus &c. *Eodem tenore cum litteris conuocatorijs quintæ Synodi in fine Synodi quartæ sup. pag. 274. præterquam quod nunc futura Synodus octaua conuocetur ad Ciuitatem Regum, ac diem vltimum Octobris, anni 1594.* Datum in Ciuitate Regum vltimo die mensis Octobris, anni 1592. ad vesperas omnium Sanctorum.

Toribius Archiepisc. Regum.
De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.
Bernardinus de Almanza Not. publ. Secret.
Alphons. Ramirez Not. publ. Secretarius.

Ego

Ego Bernardinus de Almanza, Notarius publicus huius audientiæ, & Curiæ Archiepiscopalis Secretarius Illustrissimi Archiepiscopi Regum, Domini mei, fidem facio, & veridicum testimonium adhibeo, qualiter Synodus retroscripta celebrata fuit in hac Ciuitate Regum per suam Illustrissimam Dominationem, & in ea adstiterunt, nomine Decani & Capituli huius sanctæ Ecclesiæ, Doctor D. Ioann. Velasquez Archidiaconus, & D. Antonius de Molina, Canonicus, & alij multi pro seipsis, & cum potestate procuratoria. Et quod ad communicandas quasdam constitutiones eiusdem Synodi præsentes aderant, Ludouicus Roderiquez de Serna, perpetuus Decurio, vulgò *Regidor* huius Vrbis, & Gonzalus de Caçeres, eiusdem Procurator generalis, nomine Capituli, & Senatus: Et illi supradicti conuenerunt, & consenserunt in dictas Constitutiones, quæ absoluta sunt eo die vltimo Octobris, anni 1592. Quo die ego illas legi & publicaui in hac sancta Ecclesia Cathedrali ex eius vmbone, præsentibus dictis Archidiacono, & reliquis Præbendarijs, alijsq; multis: cuius rei fidem facio, & ad eius firmitatem hic adiunxi meum signum.

In testimonium veritatis.
Bernardinus de Almanza Notarius publ. Secret.
T. Archiepiscopus Regum.
De mandato suæ Illustrissimæ Dominationis.
Bernardinus de Almanza Not. publ. Secret.



Notæ

CAp. 3. [a] *Per locum iuris possumus.* Sanctus Leo Magnus, Papa epist. 79. alias 81. ad Dioscorum Episcopum, seu Patriarcham Alexandrin. & habetur cap. Necesse, de consecrat. dist. 1. *Illud quoque volumus custodiri, vt cum solemnior festiuitas cōcursum populi numerosioris indixerit; & ad eam tanta multitudo concurrerit, quam recipere Basilica simul vna non possit, sacrificij oblatio indubitanter iteretur.* Imo verò tot Missas singulis diebus Dominicis posse celebrare Presbyterum, quot sibi commissas habet Ecclesias, decretum est cap. 9. Concil. Emeriten. apud Lodisā in collect. Concil. Hisp. fol. 507. his verbis: *Prouide salubri deliberatione censemus, vt pro singulis quibusq; Ecclesijs, in quibus Presbyter iussus fuerit per sui Episcopi ordinationem praeesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre.*

Fr. Bernardinus de Cardenas Peruanus Chuquiagen. Ord. Min. Reg. Obseru. S. Theol. diuturnus Lector, & in Indorum conuersione operarot Apostolicus, ac deinde anno 1638. ob singularia merita Paraguayanus Episcopus Christianos Indos etiam defunctos ardenti charitate complexus, tùm circiter centenarius scripsit ad Alex. VII. Rom. Pont. discursum Theologicum, in quo petit concedi Sacerdotibus illarum partium, vt ipsorum quilibet, in die commemorationis omnium fideliū defunctorū, possit celebrare tres Missas, propter ingentem multitudinem animarum, quæ inter Purgatorij pœnas flagirant suffragia viuorum, & paucitatem Sacerdotum, qui ea per sacrificium cōferre possint: quia inquit calculando maximum numerum Sacerdotum, potest sine temeritate dici, quòd pro ternis quibusq; millibus Indorum Christianorū non inueniatur vnus Sacerdos.

Hanc suam petitionem, vt concedendam Pontifici suadeteт, ostenso in primis quanto studio Ecclesia semper prouiderit liberandis è Purgatorio fidelium defunctorum animabus; deinde §. 1. affirmat, & per singula sæcula, à primo Christiano vsque ad vndecimum discurrens docet, nullo iure diuino naturali, vel positiuo prohiberi Sacerdotibus, ne eodem die celebrent plures Missas, quam vnam; imò semper in vsu fuisse, vt cogente necessitate, vel iusta ratione plures ab eodem Sacerdote eodem die fierent. §. 2. proponit huius libertatis limitationes aliquas Alex. II. Pont. qui rexit Ecclesiā ab anno 1061. vsque ad annum 1073. & Innocen. III. atque Honorij III. qui omnes rescribebant vnam Missam vno die vni Sacerdoti sufficere. Verba Alexand. quem alij duo sequebantur, sunt sequentia relata cap. Sufficit. 53. de consectat. dist. 1. *Sufficit Sacerdoti vnam Missam in vna die celebrare; quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est vnam Missam facere, & valde felix est, qui vnam dignè celebrare potest; quidam autem pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit: qui verò pro pecunijs, aut adulationibus secularium vna die præsumunt plures facere Missas, non æstimo euadere damnationem.* Ita Alexand. neque quidquam plus, imò minus Innocent. & Honorius. Sed nullum in ipsorum verbis includi præceptum, ita vt Sacerdos necessitate, vel rationabili causa ductus, & nō propter pecuniam, vel adulationem, cœteroqui bene dispositus pluries, quam semel vna die celebrans peccat mortaliter, censet Cardenas authoritate, & ratione se fundans, vsque adeò vt, si quod sit de vna sola Missa præceptum, non vlla Constitutione, vel Canone, sed sola consuetudine inductum fuisse.

Deinde verò hanc ipsam consuetudinem suas pati exceptiones ostendit, §. 3. pluribus exemplis diuersarū diœcesum, Ecclesiarum, & Religionum, in quibus contraria, etiamnum hodie sinè euidenti necessitate obseruatur. Quibus ego addo consuetudinem nostræ Hiberniæ toto tempore persecutionis vel vrgentis, vel inopinatè imminentis. Nam propter paucitatem Sacerdotem, & Catholici populi multitu-

titudinem, Sacerdotes diebus festiuis non tantùm in locis per aliquot milliaria distitis, sed etiam intra Ciuitates, concurrente nouo Populo, nouam celebrant Missam; ita vt communiter absque vllo scrupulo bis vna die celebrent, potius id non absq; remorsu cõscientiæ omissuri, ne magna pars Catholici populi, contra præceptum Ecclesiæ, & ardentem deuotionem, quam erga sacrificium gerunt, ijs diebus omittant audire sacrum.

Ex quibus eodem §. vers. *pero Sacaremos*, certò concludit hic venerabilis Antistes, quod causa rationabilis necessitatis pro tali habitæ ab Episcopo, vel alio docto, & prudenti viro: vel propter vtilitatem viuorum, aut defunctorum, quæ simili necessitati æquiualeat, ex legitima consuetudine, vel priuilegio Pontificio, possit idem Sacerdos eodem die facere plures Missas, quam vnam, præter casus in ipsis Alexandri, Innocentij, & Honorij verbis contẽtos.

Hinc ipse Bernardinus Episcopus propter suas, & neophitæ plebis necessitates, quas in libello exponit, per quatuordecim annos continuos, antequam illum scripsisset, celebrabat singulis diebus duas Missas. Nec inane exemplum habuit in decreto huius Synodi Limensis Archiepiscopi Toribij, ipsius Paraguayanæ diœcesis quondam Metropolitæ; quandoquidem non minor fuerit vel vtilitas, vel necessitas Bernardini Episcopi, quam Parochorum, quibus Toribius bis in die celebrandi potestatem fecit; imò fortiora Bernardini motiua, si bene cõsiderentur. Hunc verò Bernardini libellum in laudata iam à nobis sua Bibliotheca Hispana omisit Illustris. D. Nic. Antonius alioquin solertissimus, non ipsius negligentia, sed mea obliuione, cum alios authores, & opera Hispanorum illi suggererem.

Cap. 12. ² *& à Sua Sanctitate approbatum*. Concilium hoc Prouinciale anni 1567. nunquam per se approbatum fuit à Sede Apostolica, vti docent Antonius à Leone Pinellus cap. 6. & Thomas de Herrera cap. 9. vitæ Toribij Archiepiscopi, & facilè colligitur ex verbis cap. 1. Act. 2. sequentis Cõcilij prouincialis anni 1583. vbi dum exprimũtur cætera eius authoritatis argumenta, de approbatione tamen Apostolica nulla est mentio, verba sunt ista: *Quæ verò deinde per Concilium prouinciale in hac eadem Vrbe coactum anno 1567. constituta sunt, cùm ritè, ac legitimè conuocatum, ac celebratum, atq; etiam promulgatum fuisse constet, ea cum omni veneratione suscipiantur; dummodo Conciliũ ipsum canonicum sit, & canonica statuta cõtineat, præterquam si quid rerum, ac temporis ratione exigente ab hac Synodo aliter dispositum, reuocatumq; sit*. Hoc ergo loco forsitan intelligitur indirecta eius approbatio, quatenùs, nimirum, Concilium illud Prouinciale Toribianum anni 1583. ab eadem S. Sede approbatum est, in quo verbis iam relatis limitatè acceptatum est, adeoq; tanquã pars eius, etsi non verbatim inserta, eadem approbatione affectum dici possit. Vel dic ea verba *à Sua Sanctitate approbatum* amanuensis calami cursu huc irrepsisse.

Cap. 17. ² *Ne Nigri, &c.* lumen huic capiti dabit ipsa Regis Catholici epistola, dum causas huius decreti, & prohibitionis refert: sic autem se habet.

EL REY.

MVy Reuerendo in Christo Padre Arçobispo de la Iglesia Metropolitana de la Ciudad de los Reyes, de las Prouincias del Peru, de mi consejo. Yo soy enformado, que en estas Prouincias ay muchos Negros, y mulatos, mestizos, y gente de otras misturas, y que cada dia va creciendo el numero dellos, y los mas son mal auidos, y que a si, muchos no conocen Padres, y todos se crian en grandes vicios, y libertades, sin trabajar ni tener oficio, y comen, y beben sin orden, y se crian con los Indios, y Indias, y se hallan en sus Borracherias, y hechezerias, y no oyen Missa, ni sermon, y asi no saben las cosas tocantes a nuestra sancta fee Catholica, y que de criarse desta manera, se podrian seguir muchos daños, y ynconbenientes, y porque conbiene accudir a remediario, y assi escriuo sobre ello al mi Virrey de essas Prouincias y a las Audiencias dellas, os encargo, que vos por vuestra parte, por la orden

orden que Vieredes que mas combiene, procureis que los otros daños, se euiten, y que la otra gente,que vbiere en esse Arzobispado viba con Christiandad, y apreuda, y tenga oficio, y que no habite en lugares de Indios, como por otras cedulas mias lo tengo proueido, y mandado. De Valencia a veinte y seis de Henero de mill quiniẽtos y trenta, y seis annos.

YO EL REY.

Per mandado de Su Magestad.

Antonio de Erasso.

Cap. 18. [a] *Et personæ Ecclesiasticæ ex accusatione diffamentur.* Malignis,& falsis accusatoribus tam multa fræna per sacros Canones iniecta sunt, vt præter propositam nobis breuitatẽ esset verba describere. De eis agit epist.decret. 2. Stephani I. Papæ apud Biniũ to.1. par.1.pag.134.edit.Colonien.an.1618. Et Eutichiani Papæ epist. 2. apud Binium eodem to. pag.170. epist.7. Damasi Papæ ibidẽ pag.511. & alijs plurimis locis in Binij indice vidẽdis verbo *accusatio*. Casum propono ex quo Iudices in simili re cauti sint,& vel cogant accusatorem ad prosequendam causam, vel nihil in scrinijs relinquãt, aut saltẽ publicent, quo iniustè forsan accusatus famæ suæ detrimentum patiatur. Titius,dato coram Iudice iuramento de dicenda veritate, accusauit Caium innocentem de crimine, quod ipse Titius commisit, fortè volens fidẽ Caio, ipsum,vti timebat, iustè accusaturo derogare. Caius tamen nec vocatus est,neque de his insidijs quidquam sciuit,donec vidit publicari solemniter decretum Iudicis,quo decernebatur,vt audiatur Caius de tali crimine expressò in decreto, quod *supponebatur* perperrasse. Intereà decretum hoc in varijs schedis & registris transcribitur, & Titius, contentus, vt videtur, hac nota infamiæ ceu faba in Caium ingesta racuit, donec post annos arrepta occasione proprium suum crimen coram grauibus viris improperauit Caio, cõtumeliam nequissimam confirmãdo eo decreto, periurij sui parto, allegato. Non euasit manus Domini, & tamen non desunt, qui talia facere non desinunt: Quis nunc tenetur restituere Caio famam, an iniquus accusator qui telam hanc orsus est? an qui talia scripta in scrinijs ad perpetuam infamiam honesti alioquin Caij ad posteros trasmittendam conseruant? an quis alius?

Cap.22. [a] *Nec res Deo dicatas ad prophanos vsus adhibeant* Ecclesia Christi sẽper abhorruit à rebus sacro vsui deputatis ad ludicros,vel prophanos vsus applicandis. Clemens Papa epist.2. ad Iacobum fratrem Domini dicit, *quod Altaris palla, Cathedra,* seu vt in margine, *canthara, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta,incendio dentur: quoniam non licet ea, quæ in Sanctuario fuerint, malè tractare,sed incendio vniuersa tradantur. Cineres quoque eorum in baptisterio inferantur,vbi nullus transitum habeat, aut in pariete, aut in fossis pauimentorum iactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur. Nemo per ignorantiã Clericus palla mortuum credat obuoluendum, aut diaconus scapulas operire velit, quæ fuit in altari, aut certè, quæ data est in mensam Domini. Qui hæc fecerit vel leuiter quasi nihil, & negligenter habuerit diuina mysteria, Diaconus triennio, sexq; mensibus à Dominico alienus erit Altari, graui percussus anathemate. Quod si Clericum Presbyter non commonuerit, decem annis, & quinque mensibus excommunicatus sit,propterea quòd de Dominicis Sacramentis subiecta sibi non commonuerit ministeria.*

Stephanus I. Pont. in sua prima Epist. decretal. ad Hilarium Episcopũ. *Vestimenta verò Ecclesiastica, inquit, quibus Domino ministratur, cultusq; diuinus omni cum honorificentia,& honestate à Sacerdotibus,alijsq; Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata debent esse,& honesta: quibus alijs in vsibus, cum Deo, eiusq; seruitio consecrata,& dedicata sint,nemo debet frui, quam Ecclesiasticis & Deo dignis officijs. Quæ nec ab alijs debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis hominibus,ne vltio,quæ Balthasar Regẽ percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes,veniat diuina, & corruere eos faciat diuinæ vltionis iustum flagelliũ ad ima*. Ita Stephanus I. & habetur in decret. Sixti I. & Higinij Pont. referturq; de consecrat. dist. 1. cap. vestimenta.

Concilium Aruernense tempore Vigilij

gilij Papæ An. Christi 541. cap.3. *Observandum ne pallis, vel ministerijs diuinis defunctorum corpuscula obuoluantur*, & cap.5. *De opertorio Dominici corporis, seu palla Altaris, nunquam Sacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur: quia sacro velamine vsibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur*. Et cap.7. *Ne ad nuptiarum ornatum ministeria diuina præstentur, ne dum improborum contactu, pompaq; sæcularis luxuria polluuntur, ad officium sacri ministerij videãtur indigna*. Concil. Bracarense. III. *Huius de cætero præsumptionis persona, quæ sitiendo diuina vasa, vel ministeria, aut in vsus suos translaterit, aut comedere in his, vel poculum sibi sumendum elegerit, gradus sui, vel officij periculum sustinebit; ita tamen, vt, si de sæcularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur: si vero religiosus, ab officio deponatur. Sub hac quoque damnationis sententia, & illi obnoxij tenebuntur, qui Ecclesiastica ornamenta, vela, vel alia qualibet indumenta, atq; etiam vtensilia, sitiendo, in suis vsus transtulerit, vel alijs donanda, vel vendenda crediderit*.

Diuinæ Scripturæ iussiones, ac diuinæ vltionis exempla in eos, qui rebus Deo sacratis extra sacras functiones vtuntur, copiosissimè per plures libros, ex ipsa Scriptura sacra collegit Concil. Aquisgranense sub Paschali I. Papa. octaua Synodus Constantinopolitana Act. 10. cap. 16. de hac re habet grauissima, quæ Binius tom.3. par.1. pag. 820. d.2. sic abbreuiauit n.16. Decimo sexto Canone vehementer prohibetur sacrilegus ille vsus à Michaële Imperatore introductus, quo laici lusus causa, sacra indumenta gestarēt Sacerdotum, de quo sæpè superiùs, & grauissimis pœnis eius criminis rei afficiũtur.

Hæc, & similia secutus Toribius Archiepiscopus Liman. non tantùm hoc diœcesanæ Synodi capite vniuersim prohibuit res Deo dicatas ad prophanos vsus adhiberi, sed nec illis tegi infantes, dum ad baptismum feruntur, vel referuntur. Itaque in Concil. prouinc. suo primo act.2. cap.15. statuit, vt sacræ vestes, & vasa similia non nisi sub clauis custodia de loco in locum transferantur. Et act.3. cap. 20. Ne in scenicis agantur Clerici, vel Monachi: quod iam diximus in octaua Synodo Constantinopol. tam grauiter, & vehementer interdictum esse. Et Ecclesias noctu claudi, nec lectisternia, vel vllas virorum, vel fœminarum pernoctationes in eis permitti, sub excommunicationis pœna prohibet. Et in Concilio 2. prouinciali cap.12. Ne detur sæcularibus pax per patenam calicis, sed per tabellam ad id destinatam, & ne hæc ipsa circumferatur per ministros altaris. Plura etiam huc spectantia refert in regula consueta, præsertim de officio Sacristani: vbi inter alia sub mulcta decem pesorum singulis vicibus luenda prohibet, nec quidquam omnino rerum Ecclesię cuiquam accommodare possit absque licentia, vel mandato ipsius Archiepiscopi: vt, inquit, emendentur defectus, qui hactenus occurrebant in accommodando ornamenta, & alias res Ecclesiæ. Et cap. 19. Synod. I. Diœces. vbi prohibet, ne pueros, vel laicos cuiuscunque qualitatis admittant ad Sacristiam, dum diuina officia in Ecclesia persoluuntur, nec ipsos Clericos nisi ad celebrandas Missas, ne violetur silentium, vel reuerentia debita sacro loco. De quo nos plura in notis ad illud caput, & ipse Archiepiscopus capite sequenti 15. eiusdē Synodi. & Synodo 5. cap.19. & Synod. VIII. cap.31. & alibi.

Quæ expediret vt aduerterent Sacristani, & alij Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum rerum præfecti, qui vela, & superpellicea laicis accommodant ad ornandum paruulorum cadauera, dum ad sepulturam efferuntur: Cum longè magis conueniret, vt quēadmodum in Ecclesijs parochialibus, & Oratorijs Confraternitatum sunt feretra, & nigri panni, aliaque, quæ communiter inseruiūt sepeliendis adultis, ita in ijsdem sunt albæ vestes innocentium paruulorum funeribus destinata, ad euitandam irreuerentiam, quæ non rarò superpelliceis, & velis Deo, & Altari destinatis infertur inter manus simplicium fœminarum, & vespillonum, vilium & sordidorum hominum, qui

corpuscula sepulchris inferunt. Quemadmodum ob leuiorem causam, etsi aliunde piam, Toribius noster in suo primo Concilio prouinciali act. 2. cap. 13. constituit, vt Episcopi, in conferendo Sacramento confirmationis, cereos, & lintea: Itemque Parochi in baptismo, cereos & capitiū baptismale dent Indis pauperibus, ne ea sibi comparare cogantur. Et Synodo VIII. Diœcesana cap. 27. ob eandem causam statuit, vt Parochi habeant arrhas, & amictus ad sponsos publicè velandos.

Ad graues illos antiquos & modernos Canones, ac Decreta & pœnas per eadē impositas cōduceret respicere eos etiam qui sacra reliquiaria ad infirmos deferūt, & relinquunt in manibus fœminarum imprudenter piarum. Vnde ipsarum reliquiarum, vel diminutio suspecta, vel identitas incerta reddi posset, vel debita reuerentia deesse. Eos quoq; qui sacras vestes ludicris spectaculis applicant. Et qui matronis, & nobilibus fœminis occasione quarundam festiuitatum, fructuum, bellariorum, & sorbitiuncularum mensas, spectante, & murmurante reliquo populo, in templis parant, & alia his similia.

Cap. 23. *Ex quo creata sunt & accrescunt scandala.* Cruces, imagines, ac thecas Sanctorum reliquijs, & cera per Rom. Pont. benedicta, quę vulgo Agnus Dei vocantur, singulis diebus in Europa vendi videmus, nec vllus in eo scādalizatur, dum omnes sciunt, non res sacras, sed artificum opus, & materiā, qua sacræ res ornantur, vel vnde conficiuntur, quę benedicta nō est, ita vendi. Rectè tamen horum auctiones inter Indos, & Neophitos prohibitæ sunt, quorum ruditas non discernebat materiam operis, & laborem opificis à figurā, vel forma sanctitatis, adeoq; scandalizabantur: & propter hoc scandalū illarum rerum venditio prohibita est, maximè per auctionem, quia quidquid fit de simplici vēditione, augebat admirationem, quòd res sacræ, vt prophanæ quæque subhastarentur. Nec obstat quòd illis taxata sit quantitas stipendij Sacerdotis celebraturi Missam, quoniam illud stipendium dabāt vt eleemosynam, & oblationem Deo factam, & taxatio facta fuit, non vt augeretur stipendium, sed vt potius diminueretur, & compesceretur auaritia quorundam Sacerdotum, qui plus accipiebant, & tolleretur difformitas, quæ iterum fortè generabat admirationē, tanquā si vnius Sacerdotis Missa pluris æstimaretur, quam alterius; cum ex Catholica veritate, quod ad sacrificij substantiam attinet, tantum valet ex opere operato, siue à bono, siue à malo Sacerdote offeratur.

SY-

SYNODVS VIII. DIOECESANA.

Celebrata in Oppido SS. Petri & Pauli Piſcobamba die xxiv. menſis Nouembris anno MDLXXXXIV.

NOs D. Toribius Alphonſus Mogrouejus &c. *Vt ſupra initio Synodi quinti pag. 277.*

Cap. I.

Parochi frequenter viſitent prædia, tentoria, ſtationes, aliaque loca, in quibus fuerint ipſorum Parochiani.

Concil. prou. an. 1583. Act. 3. c. 12. Concil. Mediol. IV. tit. Monitiones. verſ. Parochi preterea, &c. Concil. Aquileien. I. tit. de prædicat. verb. Dei verſ. Sapiētib. & inſipientib.

OMnes Parochi, quàm crebrò poterunt, ad minus ſexies per ſingulos annos, diligenter viſitent omnes ſtationes, tuguria, tentoria, aliaſque partes, in quibus fuerint, vel aſtiterint ipſorum Parochiani, ſub pœna contenta in Concilio Prouinciali anni 1567. Attendentes ad ſpiritualia detrimenta, quæ ex contrario ſequi poſſint; ſi deſit adminiſtratio Sacramentorum, vel doctrina, & ſpiritualis paſtus, aut perſona quæ refrenet offenſas, quas contra Deum Dominum noſtrum committant, in quo eorundem Parochorum conſcientias oneramus.

Cap. II.

Parochi non permittant, vt Indi deſtruant, vel deferant loca ſua reductionis.

Concil. prou. anni 1583. Act. 5. cap. 4. & Synod. diœceſ. V. cap. 16. vbi nota noſtra.

CAuebunt Indorum Parochi, ne permittant, vt Indi deſtruere, vel deſerere poſſint oppida, ad quæ tanta prudentia, & propria ipſorum vtilitate reducti ſunt; ſed eos potius compellant in eiſdem perſiſtere, inuocando, ſolicitando, & ſeriò procurando, cum opus fuerit, etiam auxilium brachij ſecularis. Quoniam ad hoc, & illi annexa, indeque dependentia, & ad procedendum cum toto rigore iuris, &, cum neceſſarium fuerit, etiam per cenſuras, vt locorum Præfecti eiuſmodi auxilium porrigant, committimus illis noſtras vices omni meliori via, & quantum de iure poſſumus. Nos etiam, cum expedierit, admoneant, vt per nos res innoteſcat D. Proregi vel alteri horum Regnorum Gubernatori, nec ſe immiſceant arbitrio proferendo ad eiuſmodi reductiones iam factas diſſoluendas, aut, vt Indi ad antiquas ſuas ſedes, vel alias partes redeant, ſine noſtra, vel noſtri Prouiſoris, & Vicarij generalis licentia in ſcriptis obtenta. Per quod cupimus euitare aliquas obliquas intentiones, & quòd Parochi ad complacēdum Indis eorumque Curacis, vt ipſos in viſitationibus quas ſubeunt, propitios habeant, vel tales reddere hac ratione procurent, non ſe præcipitent proferendis iniquis iudicijs contra proprias ipſorum conſcien-

ſcientias. De quo in viſitationibus ſpecialiter inculpabuntur, iuxta decreta Cõcilij Prouincialis an. 1583. in hac Ciuitate Regum celebrati, & à Summo Pontifice approbati, & per maieſtatem Regiam iuſſi, vt executioni mandentur, in quo diſtrictè iniungitur, vt Indorum ad oppida reductiones fiant. In qua re dicti Parochi attendere debent quãta inde corporis & animæ commoda eiſdem Indis proueniant.

Cap. III.

Indi non degant in Granarijs, vel inibi habeant res, quæ impediant ipſorum profectum ſpiritualem.

Conc. Aquileien. ad cap. 1. ſupra cit.

CVm ex viſitatione, quam fecimus, Nobis innotuerit, ſolere Indos degere in granarijs tritici & *mayzi*, vulgò, *colcas* vel *pincas* & alijs nominibus, *troxes*, vel *paneras*, ſaltem procul diſtantibus ab oppidis, in eiſque habere domicilium, gallinas, &, quos vulgò *cuyes* vocant, ibi habitantes, & maiori parte anni cum vxoribus, filijs, & familia moram trahentes, abſque Miſſa, vel doctrina, per quod carent etiam occaſione adminiſtrationis Sacramentorum, quæ propterea non poſſunt ipſis commodè miniſtrari: vt ſpiritualia hæc detrimenta præueniantur, huius Archiepiſcopatus Indorum Parochi non permittent, vt Indi degant in illis granarijs, vulgò *colcas* vel *pincas*, *troxes*, aut *paneras*, etiam ab oppidis procul diſſitis, domos, gallinas, vel *cuyes*, aliaſue res retineant, ſed eas reducant, ipſique redeant ad oppida, in eiſque viuant, & aſſiſtant, nec ordinariam habitationem in illis ſtationibus habeant; quandoquidem parua cuſtodia, & aſſiſtentia, breuique tempore ſatiſfacere poſſint ſecuritati ſui *mayzi* vel aliarum rerum, quas in eis habent, abſque ommiſſa aſſiſtentia oppidi: & ſic faciant, & adimpleant, ad conſcientias ſuas exonerandas, etiam contra tales procedendo.

Cap. IV.

Indorum partitiones, vulgò repartimientos, *quas Hiſpani facere ſolent, fiant in diebus ferialibus.*

Vide loca citata in notis.

EOrum, quæ in viſitatione deprehendimus, remedia proſequi cupientes, cum Nobis conſtiterit, [a] *Quòd dominicis, & feſtiuis diebus* inter Indos præceptis, *fiant eorundem Indorum diſtributiones*, ad ſoluenda tributa, & alias res, ante & poſt Miſſam; & quod aliqui Hiſpani expectent eiuſmodi dies, vt illi poſt Miſſam vniti, & congregati reperiantur, ad eas diſtributiones ſeu repartitiones faciendas; Vndè fit, vt Indi, illius rei metu, in eiuſmodi diebus fugiant, nec ad Miſſas, vel doctrinam accedant. Vt igitur, in alijs noſtris Ciuitatibus, Oppidis, & locis huius Archiepiſcopatus fiant huiuſmodi diſtributiones diebus ferialibus intra ſeptimanam, & in feſtiuis fieri non poſſint; omnes Indorum Parochi, & Vicarij noſtri dictis damnis ſpiritualibus remediũ apponent, non permittendo, vt illæ diſtributiones Indorum fiant in diebus dominicis, vel alijs feſtiuis, contra tranſgreſſores procedendo.

Indi

Cap. V.

Indi, & Aethiopes ignorantes catechismum ad eum addiscendum conuenient.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 2. c. 5. & Act. 3. cap. 12.

NOstri Archiepiscopatus Aethiopũ Indorumque parochi conficient matriculam, seu album omnium Nigrorum, & Indorum, qui versantur in labotitijs, machinis & opificio saccari, hæreditatibus, stationibus, alijsque negotijs detenti, Eosque examinabunt in doctrina christiana, & quos ignorantes inuenerint, per singulos dies ad Ecclesiam instruendos accedere facient in ipsis oppidis; quique iam ante sufficienrer instructi fuerint, frequentabunt tamen doctrinam diebus mercurij, veneris, dominicis, & festiuis: Et eum nondum baptizatos cathechizabunt ad Sacramentum ipsis administrandum, cum omni iuris rigore procedendo contra eos, qui hæc impediuerint vel perturbauerint, etiam cum opus fuerit per censuras: idque tùm, cùm domini locorum, & operum non habuerint in illis proprium sacerdotem, qui præmissa in ipsis locis & opificijs præstent. Nostrique visitatores in visitationibus corripient Parochos, quos in his remissos vel minus obseruantes deprehenderint.

Cap. VI.

Vtriusque sexus paruuli doctrinam manè & vesperi frequentent.

Ibidem.

VT paruuli benè instruantur, & percalleant catechismum, in Concilio prouinciali in hac Ciuitate Regum anno 1583. editum, Parochi per singulos dies, manè & vesperi ad templum conuocari faciant vtriusque sexus paruulos sui oppidi, in hoc obseruando laudabilem consuetudinem huius Archiepiscopatus, iubentes, & prouidentes, vt tanto tempore manè & vesperi assistant, quanto opus est, & sufficit, ipsisque liberum erit à necessarijs obsequijs & auxilijs parentibus suis alioquin præstandis.

Cap. VII.

Parochi Catechismum paruulorum, & Christianam doctrinam in Concilio edita memoriter retineant.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 2. cap. 3. 4. 5. & 6. Concil. Mediol. I. tit de fidei initijs &c.

VT Parochi officio suo perfectè fungantur, in eoque se laudabiliùs occupent, & Indos ædificent, atque ad discendum excitent, ijque inde diligentiores fiant, quòd apprehendant, & percipiant suos pastores pro ipsis laborare, & rectè aduertere, an benè intelligant, & studeant eis quæ docentur; ipsi, tanquam viri a curis temporalibus absoluti, sedulò curabunt, vt catechismum & Christianam doctrinam in Concilio prouinciali in hac Ciuitate Regum anno 1583. edita memoriter calleant, eandem ipsos docentes, eosque catechizantes, & illis prædicantes per suas proprias personas, superpelliceis induti; quo etiam parcent labori catechismum, doctrinam, & sermones legendi ex libris, in quibus hæc typis edita reperiuntur.

Pa-

Cap. VIII.

Parochi in libro scriptam habeant matriculam. Indorum tributariorum, & reliquorum suæ curæ pastoralis.

Act. 3. cap. 11. & 12.

VT fiat quod sancitum est in Concilio prouinciali celebrato in hac Ciuitate Regum, anno 1583. in quo decernitur, quòd singulis ducentis, vel trecentis Indis tributarijs constituatur proprius sacerdos: vt exoneretur nostra conscientia, omnes Indorum Parochi habeant matriculam in libro benè compacto, in quo, adnotato die, mense, & anno, clarè ac distinctè describent omnes Indos tributarios, tam coniugatos quàm liberos matrimonio, quàm à tributis exemptos tàm pueros, quam puellas, & vetulas præsentes, & absentes, & quot præsentes, quotque absentes sint, & qui ad Confessiones idonei, cunctasque suæ doctrinæ personas paruulas & maiores, vnicuique ætatem adnotando. Cùmque aliquis recens baptizatus illis conscribatur, ætatem eius indicando, & notando in margine qui tributis obnoxij, & qui ab eisdem exempti sint, vel alterius conditionis sit vnusquisque prædictorum. Et cum quispiam decesserit, in margine hanc notam *mortuus* apponant, & cùm aliquis tributo liberabitur, hanc notam *absolutus à tributo*. Et ad calcem totius matriculæ apponetur summa tributariorum omnium viuentium, & exemptorum, & paruulorum doctrinalium vtriusque sexus, & vetularum, & confessionibus idoneorum, & integer omnium personarum numerus, & ad partem in eodem libro & matricula describentur omnes qui morientur. Et singulis annis prædicto modo summariam relationem ad Nos mittent. Eritque cura visitatorum, eorum documentum accipere, cum visitauerint; eos Parochos incusando, qui eiusmodi, librum, & matriculam in forma præscripta non habuerint.

Cap. IX.

In libris Baptismalibus notetur Baptizatorum ætas.

VT innotescat an Parochi in Baptizando remissi fuerint, aut Baptizandos vltra tempus per constitutiones huius Archiepiscopatus præscriptum detinuerint, an pariter soliciti, vel negligentes; in baptismalibus libris describent ætatem quam agebant Baptizati, cùm Sacramentum susceperunt, & in hoc negligentes per visitatores inculpabuntur. Synod. 3. c. 14.

Cap X.

Parochijs indigentibus adhibeatur alius Sacerdos, qui curam animarum agat.

QVando in aliqua Hispanorum vel Indorum parochia per mortem, infirmitatem, vel absentiam parochi, vel ob aliam quamcumque causam, vel defectum iuris aut facti, opus fuerit alio sacerdote qui Sacramenta ministret, & animarum curam gerat, tunc poterunt nostri Vicarij, & Iudices, nostrique visitatores, quisque in suo districtu, adhibere alium sacerdotem pastorali cura cæteroqui liberum, qui administret Sacramenta, & in reliquis fun- Synod. diœces. VII. cap. 10.

fungatur officio parochi, interim dum habeatur proprius parochus. Ipsique nostri Vicarij, Iudices, & visitatores poterunt etiam intereà persè id munus obire, dùm constituitur alius. Quòd si non reperiatur alius alia occupatione liber, tunc Hispanorum, vel Indorum Parochus, loco proximus, Sacramenta ministrare poterit, & ministret, tàm Hispanis, quàm Indis. Et cùm non fuerit proprius loci Vicarius, Iudex aut visitator, qui hæc præstare valeat, (quod per mortē, absentiam, aliamue causam, vel defectum facti, vel iuris contingere possit,) erit autem necessitas statim prouidendi sacerdotem qui Sacramenta ministret, tùm ipsi sacerdotes alij, qui in ea Parochia degunt, vel, si nulli sint, proximus Hispanorum Indorumue Parochus illa ministret, & proximus Vicarius prouideat de sacerdote, qui Parochi etiam officio fungatur. Qui omnes, vt dictum est, poterunt tùm Matrimonij, cùm reliqua sacramenta ministrare, & Parochi officium in omnibus exercere: Quoniam ad supradicta, & eis annexa, indeque dependentia damus ipsis licentiam & commissionem, eorumque cuilibet in solidum; omni meliori via, & in quantum de iure possumus, vt in omnibus fiat, quod maximè conueniat, & exoneretur conscientia, Deoque Domino nostro debitum præstetur obsequium, nec vllibi desit qui animabus curandis incumbat.

Cap. XI.

Parochi pro rebus, quas ab Indis emerint, iustum persoluant pretium.

QVando Indorū Parochi quidquam ab eis ad suam sustentationem emerint, iustum pretium eisdem persoluent, iuxtà rei valorem in eo oppido currentem, in quo res venditur, secundum quòd, & eo modo quo alijs venditur, & per eos emitur, in hac parte attendentes ad multas querelas, quas à multis Indis remedium postulantibus, in visitatione per nos facta, accepimus. Eosque monitos volumus, quòd cum omni rigore iuris in eos procedetur, vbi nihil aliud prouisum fuerit in contrarium, vt moderatiori pretio quam tanti illis detur, quod cum bona & sana conscientia, & de iure fieri potuerit.

Cap. XII.

Ordinandi audiant, & discant linguam.

VT Indorum Sacerdotes sciant administrare Sacramenta, ac doctrinam, cathechismum, & verbi Dei prædicationem exercere, officioque suo per omnia fungi, Indorum linguam callentes, Prouisor & Vicarius generalis noster iuxtà decretum Concilij prouincialis & schedulam Regiæ maiestatis, sacerdotes degentes in Ciuitate Regum, cœterosque ordinandos compellet, vt audiant linguam, quæ inibi, tùm in academia, cùm in Ecclesia nostra cathedrali prælegitur, contra ipsos de rigore iuris procedendo.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 2. cap. 6.

Cap.

Cap. XIII.

Parochis non detur facultas absentiæ sine limitatione temporis.

Trid. sess. 23. cap. 1. de refor.

PRouisor & Vicarius generalis noster, cùm licentiam Sacerdotibus dederit se à beneficijs vel Parochijs absentandi, obseruabit decretum Sac. Concil. Trident. desuper editum; & quòd eiusmodi licentiæ, cùm concedentur, non sint generales, sed cum certa limitatione temporis, per quod absentes esse possint, in earumdem licentiarum litteris exprimenda, cùm ex aduerso multa incommoda & spirituales inconuenientiæ sequi solent cùm dicti sacerdotes eiusmodi generalibus licentijs vtuntur, easque in visitationibus ad suum fauorem & excusationem allegant. Et quæ hactenus datæ sunt, vel in posterum sic generales & absque certi temporis limitatione dabuntur, Nos reuocamus, & anullamus.

Cap. XIV.

Non dentur exemptiones à iurisdictione Iudicum, Vicariorum, & Visitatorum.

Concil. Trid. sess. 24. cap. 11. de reform.

ADuertentes quòd ab exemptionibus quæ quibusdam dari solent, multa sequuntur incommoda, & quòd delicta incorrecta, & à commerita castigatione immunia per nostros Iudices Vicarios, & Visitatores transeuntur, nec visitationes ipsæ tempestiuè fiant; statuimus quòd noster Prouisor, & Vicarius generalis ad hæc attendendo, nulli personæ Ecclesiasticæ, vel sæculari exemptiones concedat, quandoquidem non desint alia iuris remedia, per recusationes; & appellationes, cum dictæ personæ se senserint grauatas, vel Iudices habuerint suspectos. Et Nos quascunque exemptiones, quibuscumque personis Ecclesiasticis vel sæcularibus. Cuiuscumque qualitatis vel conditionis existent per nos, nostrumue Prouisorem & Vicarium generalem, vel alios quoscumque Iudices nostros hactenus concessas, vel in posterum concedendas pro nullis, nulliusque valoris damus, & nullam vim obtinere volumus, & ex nunc pro tunc anullamus & reuocamus.

Cap. XV.

Quod absque casu necessitatis non celebrentur Missæ in Oratorijs.

NOster Prouisor & Vicarius generalis, alijque nostri Iudices Ecclesiastici non dent locum, vt in Oratorijs per Ordinarium in quibusdam domibus, iuxtà Sacrum Concil. Trident. approbatis, Missæ celebrentur, præterquam in casu necessitatis: & contra Sacerdotes, qui contrarium fecerint, ex officio procedent.

Concil. Lima. anni 1583. Act. 2 cap. 24. Trid. sess. 22. de reform. Missæ.

Cap. XVI.

Indorum Correctores non impendant res vnius Ecclesiæ vel Hospitalis in vsus alterius.

CVm nobis constiterit per visitationem quam prosequimur, quod correctores oppidorum vnius Ecclesiæ, vel Hospitalis pecunias in alterius vsus expendant, nec eis gaudet Ecclesia, vel domus Hospitalis, ad quam propriè pertinebant; & quoniam iustum est, vt quælibet Ec-

Ecclesia vel Hospitale gaudeat eo quod suum est; statuimus & præcipimus dictis Correctoribus, ne posthac expendant, vel distribuant in alias id, quod ad vnam Ecclesiam vel Hospitale pertinet, sed quòd quælibet Ecclesia & Hospitalis domus habeat, quod suum est, & ad eam iustè pertinet, eoque gaudeat. Et quod aliter vel alio modo expenderint, nostri visitatores non transeant vel acceptent ad iustum computum, sed reddi, & restitui faciant Ecclesijs & Hospitalibus, ad quæ pertinebit, in visitationibus, rationibus, & calculis, quæ in eisdem cum dictis Correctoribus inierint, iuxtà schedulam suæ maiestatis.

Cap. XVII.

Visitatores in ratiocinijs Hospitalium non computent, quod Correctores dant, Chirurgis eo tempore quo non seruiunt.

Quoniam euenire potest, vt Chirurgi Indorum prouincijs assignati non visitent omnia prouinciæ loca, nec Hospitalia, quorum cura ipsis incumbit; & tamen accipiunt integrum salarium ex bonis eorundem Hospitalium, cum sint obligati ad visitandum omnia oppida Prouinciæ, Indorum bono & vtilitati incumbendo: Propterea statuimus, & præcipimus Correctoribus, ne dent vel soluant dictis Chirurgis salarium populorũ, quos, vel temporum, quibus eos non visitauerint. Et si contrarium fecerint, nostri Visitatores in suis visitationibus, quòd sic datum, vel solutum fuerit in computum non referent, sed reddi & restitui facient, & in communitatis ærarium reponi, in quo reponuntur, & reponentur nummi ad Hospitales domus pertinentes; ita tamen, vt dicti Chirurgi accipiant & recuperent salaria quæ ipsis iustè debentur.

Cap. XVIII.

Notarij iura, quæ ex visitationibus ipsis debentur, non accipiant ab Oeconomis Indis.

Quoniam ex eo, quòd Notarij iura sibi ex visitationibus debita exigant ab Oeconomis Indis, fit, vt ijdem Oeconomi pecunias per distributionem ab ipsis Indis colligãt, absque eo quòd eas iterum recuperare valeát à Correctoribus, in quorum potestate sunt Ecclesiarum & Hospitalium bona; de quo multæ ad nos pro parte Indorum querelæ peruenerunt. Hinc in posterum dicti Notarij, si aliquid ipsis debitum fuerit ex laboribus & scripturis quas fecerint in Ecclesiarum & Hospitalium rationibus calculandis, id ab ipsis Ecclesijs & Hospitalibus accipiẽt, & non ex bonis dictorum Oeconomorum. Et quidquid ea ratione hactenus acceperunt, id totum restituent & reddent Indis eisdem, nisi prius satisfactum & per ipsos recuperatum sit, quod ita soluerint; in quo ipsorum cõscientias oneramus: & nostri Visitatores eos restituere facient, & in posterum obseruare, quod hic constitutum est.

Cap. XIX.

Visitatores visitent bona Hospitalium, Ecclesiarum, & aliorum pioru operum, quæ administrant Depositarij generales, eorumq; rationes exigant.

NOstri Visitatores visitent bona, quæ Ecclesias, Hospitalia, Capellanias, & alia pia opera concernunt, & sunt, vel erunt in manibus Depositariorum generalium, eaque expendi distribuiq; faciant iñ loca, & effectus, quibus deputata sunt, iuxta sancita sac. Concil. Trident. & Schedulæ Maiestatis Regiæ, omnia obseruando, & exequendo in eadem Schedula contenta, vt sequitur.

Sess. 22. cap. 8. de reform.

EL REY. Por quanto por parte de vos el M. Reuerendo in Christo Padre, Arzobispo de la Ciudad de los Reyes, de las Prouincias del Peru, de mi Consejo, se me a hecho relation, que por quanto visitastis el Districto de vuestro Arzobispado, y aueriguastis, que en poder de los Depositarios generales estauan los bienes, que los Indios aplican para Capellanias, y fabricas de Yglesias, y Hospitales, y para suplir tributos de Indios pobres; y que tambien entendistis, que los dichos Depositarios traigan los dichos bienes, y los censos de las comunidades, de los otros Indios, ocupados en sus tratos, y grangerias, sin querer dar quenta de ellos, y para remedio desto conbenia que vos y vuestros visitadores tomasedes cuenta dello a los dichos Depositarios, y les compeliesedes, a que pagasen los alcances de lo que para el dicho effecto vbiese entrado en su poder, para que todo se gastase, y siruiese en aquello, para que estubiesen consignados, y destinados, y se cumpliese con la obligacion y intencion de lo que lo vbiesen aplicado: y auiendo se praticado sobre ello, por los de mi Cõsejo de Indias, tube por bien de mãdar dar esta mi cedula. Por la qual mando, que de aqui adelante de las casas de comunidades, donde sta ordenado se metan por bienes de los Indios, se pague, y saque lo que para las dichas Capellanias, y obras pias, y Hospitales vbieren dejado los Indios en dineros, en rentas, y cuentas: y los prelados que os sucedieren podais, y puedan tomar la cuenta dello. y hazer, que se executen, y complan. y mando assi mismo a mi Virrey de las dichas Prouincias, que no se entrometa en lo susodicho, sino que os lo dejo paraque estè, y quede a vuestro cargo. Fecha en Burgos a catorze de Septiembre de mill, y quinientos, y nobenta y dos annos. *Yo el Rey.* Por mandado del Rey nuestro Señor.

Iuan Vasquez.

Cap. XX.

Clerici habeant Calendarium perpetuum noui Breuiarij.

CVm ex eo, quòd Clerici Calendarium perpetuum noui Breuiarij non habeant sequatur, & sequi possit, vt vnum officium recitetur pro alio, nec fiant commemorationes debitæ, aut lectiones, vel responsoria ritè legantur, aliaq; multa ignorantiæ mala, in quæ etiam experti sine illo Calendario non rarò incidunt: Proinde clerici omnes nostri Archiepiscopatus, omni, qua poterunt

terunt

terunt celeritate, curabunt habere, & habeant illud Calendarium perpetuum, ipsumq; emant, cum eius copia dabitur, & haberi poterit. Nostrique Visitatores plectent clericos qui culpabiliter illo caruerint.

Cap. XXI.
Diebus Dominicis distribuatur panis benedictus.

Concil. Naonen. cap. 9.

IVxta Decretum Concilij Prouincialis anni 1567. celebrati in hac Ciuitate Regum, omnes Hispanorum, Indorumq; Parochi, singulis diebus Dominicis,ª *dabunt panem benedictum*, secundum eiusdem Cōcilij constitutionem; etiam de oratione benedictionis panis, quæ habetur in Missali nouo, non obstante consuetudine, qua iam longò tempore dari desiuit.

Cap. XXII.
Hispanorum, Indorumq; Parochi hortentur populum ad accipiendum Bullam Cruciatæ.

SVos Parochianos inaniment, excitentq; Hispanorum, & Indorum Parochi ad accipiendam Bullam sacræ Cruciatæ, & pendendum Deo & Regi, quod inde debuerint, suas conscientias hac parte exonerantes, quantum fuerint obligati, attendentes ad bona, & effectus spirituales, quæ ipsis inde redundant, & ad magnas necessitates, quas patitur Rex noster Dominus, vt apparet ex Schedula suæ Maiestatis ad Nos expedita ex S. Laurentij 11. Augusti 1593.

Cap. XXIII.
Vt obtineantur iura Seminarij.

OMnibus Vicarijs Ciuitatum, Truxilli, Guanuci, Chachapoyarum, Moyobambæ, & Oppidorum Santæ, Sañæ, Chancayæ, Cañetis, Ycæ, omnibusq; Parochis doctrinarum, in quibus erit arca communitatis, in qua colliguntur, vel colligenda sunt tributa & salaria Parochorum, doctrinarum & fabricarum Ecclesiarum, & Hospitalium, vt eorum vnusquisque in suo districtu, & doctrina notum faciat Correctoribus, & reliquis personis, quorum curæ commissa fuerit pecunia & ærarium, vt in ijsdem ærarijs retineant, & seruent nummos, qui debentur, vel debebuntur Seminario ad tres pesos pro centum, secundū quòd, & vt est constitutum in Concilio Prouinciali celebrato in hac Ciuitate Regum anno 1583: contra ipsos procedendo. Sic faciant & adimpleant cum toto rigore iuris, etiam per censuras, cùm id opus fuerit. Nosterq; Prouisor, & Vicarius generalis, cæteriq; nostri Vicarij, & Visitatores habebunt curam recuperandi Seminario quidquid ipsi debebitur, ex Decimis, Capellanijs, Confraternitatibus, & reliquis reditibus Ecclesiasticis, à personis quarum intererit ea soluere alijs quorū erit accipere. Et si contrarium fecerint, vel soluere noluerint, ea exigent ex proprijs bonis ipsorum Correctorum, & aliorum ad quos pertinebit. Ipsosq; dictos Vicarios, & Parochos monemus, quòd contra ipsos procedetur, ac totum ex proprijs ipsorum bonis persoluere co- Act. 2. c. 44.

Sf 2 gen-

gentur, quidquid per ipsorum incuriam non reparabitur, si supradicta non adimplebunt. Iidemq; Vicarij & Parochi Nos, nostrumq; Prouisorem & Vicarium generalem certiores reddent eorum, quæ circa dictas notificationes, & recuperationes faciunt, & iam fecerũt, & quantitatis pecuniæ collectæ & recuperatæ. Ipsamq; pecuniam collectá & obtentá, ijdem Vicarij ad nostrum Prouisoré, mittent, ad hoc vt colligatur & reponatur in ærario clauium ipsius Seminarij, quod ad hunc effectum deputatum est, studiosè curantes, vt pecunia solertèr & citò expediatur. Iniungimus autem nostro Prouisori, vt præmissa exequatur, ac sedulò desuper inuigilet, aduertendo, quòd indè sustentandi sint pauperes collegæ, qui in dicto Seminario & Collegio viuent, iuxta curam, solicitudinem, administrationem, & gubernium, quæ nobis competunt, & instantiam ac formam, quibus ea nobis iniunxit Rex noster Dominus in sua Regia Schedula tenoris sequẽtis.

EL REY.

Marques de Cañete: Pariente, mi Virrey, Gouernador, y Capitan general en las Prouincias del Peru, el Arzobispo de la Ciudad de los Reyes me a escrito; que deseando fundar el Collegio Seminario, que tanto se encargò a los Prelados en el Sess.23.c.18. santo Concilio de Trento, comprò vna Casa con su propria hazienda, y para el mismo, en el entre tanto, que se compraua otra, de los dineros del Seminario, y en a quella su Casa, metio beinte y nueue muchachos, con vn Clerigo Rector, que los tubiese a cargo, y diese orden, en que fuesen prosiquiendo sus estudios, y que estando en esto estado, y la tierra con mucho contentamiento de ver puesto en execution el dicho Seminario, Vos embiastis a tomar possession en mi nombre del dicho Collegio, en virtud de titulo de mi patronazgo, y pusistis vn majordomo, el qual luego que el dicho Arzobispo lo supo, hizo hechar de la dicha Casa, y contradixo la dicha possession, pidiendo en esa mi Real audiécia, se diese por ninguna, y que auiendo se trattado sobre ello en el acuendo, non salio Decreto, ni prouision, y que auiendo el hecho poner en las dichas Casas, quando las compro, sus armas con vn Capello Arçobispale, embiastis despues al Gouernador de vuestra Guardia, y otras muchas personas a que se las quitassen, como en effecto lo hizieron, y pusieron las mias: y que aunque procedio por censuras, y Ecclesiastico entredicho, no quisistis sobreseer en ello, sin embargo que la dicha audiencia, espidio lo hiziesedes, hasta que en ella se determinase lo que combiniese, en lo qual auia receuido agrauio. Pues quando las dichas Casas non fueran suias, y compradas con su proprio dinero, como auia constado por la escriptura de venta, que se auia presentado en la dicha audiencia, sino que se vbieran comprado a costa del dicho Collegio Seminario, le pertenecia su gouierno, encargando, como el santo Concilio de Trento encarga esto a los Prelados, suplicandome os mãdase dejaseds a los de essas partes exercitar su Iurisdicion, y en especial, en lo que toco a los Collegios Seminarios, sin embarazaros en ello, a titulo de dicho patronazgo, ni en quitar

quitar sus armas a los dichos Prelados, que las quisieren poner en ellos. E visto por los demi Real Consejo delas Indias, porque, como saueis, en carta de treinta de Octubre del año pasado de nobenta y vno, os escriui lo que era mi voluntad se hiziese en lo que a este toca, os mando, que dejeis el gouierno y administracion del dicho Collegio Seminario a la disposicion del dicho Arçobispo, y tambien el hazer la nominacion delos Collegiales, cõforme a lo dispuesto por el dicho santo Concilio de Trento, y en el que se celebrò en essa Ciudad, del año passado de ochenta y tres; y assi mismo que en las Casas del dicho Collegio pueda poner sus armas, si quisiere, con que tam bien se pongan las mias en el mas preheminente lugar, en reconocimiento del patronazgo vniuersal, que por derecho, y authoridad Apostolica me pertenece, y tengo en todo el stado delas Indias. Fecha en S. Lorenzo, a beinte de Mayo, de mill y quinientos y nouenta y dos. *Yo el Rey.* Por mandado del Rey Nuestro Señor. *Iuan Vasquez.*

Cap. XXIV.

Vt seruetur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesijs Indorum.

Concil. Trid. sess. 13. cap. 6. & can. 7. & cap. Sanè, de celebrat. Missarum. Concil. Limen. anni 1583. c. 21

SAnctissima Eucharistia in Ecclesijs seruata magnum est præsidium, & admirabile tutamen populi Christiani; magnaq; inde prouenit commoditas prompti viatici decedentium infirmorum: cupiendũ proindè, curendumq; est, vt Ecclesiæ Parochiales Indorũ tanto bono potiantur. Quod nos exequi volentes volumus, vt omnes huius nostri Archiepiscopatus Indorum Parochi sibi iniunctum intelligant, quòd in omnibus doctrinarum suarum Ecclesijs repositum habeant & conseruent Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, ordinando & prouidendo, vt in ipsis Ecclesijs sit custodia, seu tabernaculum in quo seruetur, bonæq; portæ, cum suis repagulis, seris, & clauibus; vtq; Ecclesiæ ipsæ sartæ tectæ sint, earumq; fenestræ clauis & seris obseratæ, & lucerna cum sufficienti oleo in ea semper ardeat, aliaq; necessaria ad tanti Sacramenti dignam custodiam, ac debitam obseruantiã non desint. Quando verò Parochus ab vno oppido ad aliud suæ curæ discesserit, consumet priùs Sacramentum Ecclesiæ quam relinquit, nec ibi relinquatur donec redierit; ita vt obseruent ea quæ circa hæc Decreta sunt in Cõcilio prouinciali anno 1583. in hac Ciuitate Act. 2. cap. 41. celebrato, & quod magis conuenit cultui diuino, in quo ipsorum Parochorum conscientias oneramus. Et Vicarij, in quorũ districtu doctrinæ huiusmodi seu Ecclesiæ Parochiales extiterint, præmissa omnia solerti studio exequantur ad maiorem gloriam & honorẽ Domini nostri Dei.

Cap. XXV.

Clerici omnes Ecclesiarum comitentur Sanctissimum Sacramentum ad infirmos deferendum.

CVm corda contrita & humiliata Deo sint placita, & creaturarum erga Creatorem deuota gratitudo; omnes Clerici parochialium Ecclesiarum huius nostri Archiepiscopatus, cùm Sanctissimum Sacramen-

mentum ad infirmorum viaticũ deferetur, quisque in sua Parochia, vel qui etiã in aliena præsentes fuerint, ipsũ superpelliceis induti reuerenter comitabuntur, vel sustentabunt conopeum quo tegitur, nullum stipẽdium, vel salarium indè accipientes, quamuis ab Oeconomis, vel Ministris Confraternitatum, aut alijs vltrò offeratur. Eosq; monemus, quòd contra transgressores ex iuris seueritate procedetur. Nosterq; Prouisor & Vicarius generalis, alijque nostri Iudices huius Archiepiscopatus omnia hæc exequẽtur, præbendo se bonos ac fideles ministros suæ diuinæ Maiestatis, iuxta leg. 2. tit. 1. lib. 1. nouæ collectionis.

Cap. XXVI.

Ecclesijs & Hospitalibus tribuantur tres Nouenæ.

Synod. Diœc. III. cap. 31. & Synod. IV. cap. 28. & 29.

VT effectum sortiatur Decretum Concilij prouincialis in Ciuitate Regum anno 1583. celebrati cap. 13. Act. 3. editum. Omnes nostri Vicarij, quisque in suo Districtu, & Indorum Parochi in suis doctrinis diligẽter studeant colligendis & recuperandis tribus Nouenis, quæ debentur Ecclesijs & Hospitalibus Doctrinarum. Et quod obtentum fuerit, in earumdem Ecclesiarum & Hospitalium libris describerit, rationem Nobis nostroq; Prouisori & Visitatoribus inde reddituri, contra detentores cum omni rigore iuris, etiam cum opus fuerit, per censuras procedendo. Eosque monemus, quòd si in hoc obseruantes non fuerint, vel dictas Nouenas colligere neglexerint, contra ipsos procedetur, & quidquid earũ omiserint recuperare, id totũ ex proprijs ipsorum bonis exigetur. Ad quæ, & omnia illis annexa, ex eisque dependentia, vices nostras ipsis in solidum committimus. Nostriq; Visitatores ipsos mulctabunt, & soluere compellent, quidquid colligere vel exigere neglexerint, vt vnusquisque, quod suum est, rectè obtineat. Vt verò Nouenarum quantitas cognoscatur, & qualiter exigi distribuique debeant, videatur Decretum Synodi Diœcesanæ anni 1586. cap. 29.

Cap. XXVII.

Indorum Parochi habeant arrhas, & amictus ad velandos, seu benedicendos sponsos.

OMnes Indorum huius Archiepiscopatus Parochi habebunt arrhas & amictus, quibus omnes suæ Parochiæ sponsi copulandi sint, ne Indi ad nuptias venientes nouis semper sumptibus illa conferre cogantur. Nec ab eis ea petant, vel accipiant Parochi, aut sibi approprient. Et nostri Visitatores in suis visitationibus transgressores plectent.

Conc. Lateran. sub Alex. III. cap. 7.

Cap. XXVIII.

Indi nec directè, nec indirectè ad oblationes compellantur.

EXorbitantias & exquisita media, quibus Indi ad oblationes coguntur, cõpescere cupientes, omnes Indorũm Parochos commonemus, vt caueant, ne Indos ad offerendum directè, vel indirectè, expressè, vel tacitè, per se, vel per interpositas personas compellant, aut vim vllam illis inferant, claudendo portas Ecclesiæ, ne sine oblatione fa-

Concil. Mediolan. IV. tit. de Parochijs, & Parochialibus functionibus & officijs.

cta

tia egrediantur, auferendo illis, vel auferri iubendo pallia, vel alia pignora, nec mittendo petitum eleemosynam ad ipsorum domos, per ipsorum *Curacas* seu Rectores, aut officiales vel Ministros, nec dicendo illis, quòd quando oblatum accedat, non ferant oua, mayzium, vel alias res Parocho minus gratas, sed argentum, & res maioris emolumenti ipsius. Nec oblationes instituant antequam inchoetur Missa, nec postquam absoluta fuerit; sed quando offerendum erit, id fiet sub offertorio Missæ, iuxta sanctos mores & laudabilem consuetudinem. Ipsos Indos monendo, eisq; clarè ac distinctè declarando, quòd per Concilium prouinciale anno 1583. & per Constitutiones huius Archiepiscopatus non possint Parochi cogere Indos ad oblationes sibi dandas, sed quòd in ipsorum integra libertate sit offerre, vel omittere. Eosdemq; Parochos monemus contra ipsos procedendum esse cum toto rigore iuris, & ad exemplarem demonstrationem. Nostriq; Visitatores circa hæc eos grauiter inculpent.

Cap. XXIX.

Iudices Ecclesiastici possunt ministrare omnia sacramenta, præter Matrimonium.

NOstri Vicarij & Visitatores, quisque in suo districtu, poterunt ministrare, & ministrent Sacramenta, & in omnibus fungi officio Parochi Hispanorum & Indorũ parochiæ, absque præiudicio Parochorum, vel iurium Parochialium. Sacramentum verò Matrimonij nec ministrent, nec ministrare possint illis qui non fuerint ipsorum proprij parochiani sine licentia Ordinarij, vel proprij ipsorum Parochi: Quantumuis iidem Vicarij & Visitatores in suis commissionibus, & patentibus habeant sibi concessam cognitionem causarum matrimonialium, non obstantibus quibuscunq; commissionibus, quas nostri ad id faciẽdum habeant; quas anullamus, & volumus ne illis vtantur, postquam ista Constitutio ipsis innotescat, sed nostro Prouisori & Vicario generali ius suum saluum & illæsum relinquant, vt illo vti possint, & vtantur, quod ius illis permittit.

Cap. XXX.

Missæ Confraternitatum dicantur diebus ex Missali nouo non impeditis.

MIssæ Confraternitatum & votiuæ dicantur diebus ex ritu noui Missalis non impeditis. Quando verò celebrandæ sunt in festis Indorum, tunc Parochi nullam ab eis pro illis Missis eleemosynam accipient, tanquam pro Missis votiuis, vel Confraternitatum, quia tunc celebrantur de festo & officio diei, attento quod illis diebus obligati sint ad celebrandum pro suo populo, & benefactoribus. Synod. II. Dioec. cap. 2. & ibi Nota nostra.

Cap. XXXI.

De modestia ac decentia in Templis seruanda.

VT Indi in rebus diuini cultus ædificentur, eumq; pro rei dignitate æstiment, & erga eum afficiantur, exemplum ab Hispanis & alijs desumentes, qui in ipsorum Ecclesiis

clesias ingrediuntur: Ita in eas intrabunt, in eisque versabuntur, tanquam anima & corpore benè & deuotè dispositi; sic rectè vestiti,& non seminudi, vel sine pallijs, vel cum ocreis & calcaribus,tanquam ad iter accincti, vel alijs impertinentibus,ac indecentibus modis, quibus non comparerent in conspectum Regis terreni, nec alterius potentatus, cui deberent reuerentiam; vti decreuit sacrum Concilium Tridentinum. Et nostri Iudices contra huius Constitutionis violatores procedent.

Sess. 22. in decreto de celebr. Missam.

Cap. XXXII.

Visitatores taxent iura Tabellionum.

Concil. prouin. an. 1583. Act. 4. cap. 2. & 4. & leges ibi in margine.
Et Edictum gener. I. supra pagina 68.

NOstri Visitatores, Tabellionum, seu Notariorum iuribus taxandis intendent, quæ ex actis visitationis eisdem iustè proueniant, pro ducendis rationibus,conscribendis inuentarijs, & visitationibus Ecclesiarum, Hospitalium, Confraternitatum, aliorumque; ita vt in tota vna doctrina, seu Parochia Indorũ, non excedant quatuor pesos currentes nouem regalium, siue Parochia consistat in vno, siue in pluribus oppidis: ita vt ex omnibus rationibus, inuentarijs, & visitationibus Ecclesiæ, Hospitalis,& Confraternitatum, vel alia quacunq; re vnius doctrinæ non percipiat vltra dictos quatuor pesos. Et si Ecclesia, Hospitale, vel Confraternitas fuerit pauper, nihil omnino accipiat. Dictiq; Visitatores & Notarius describent, & subscribent in libro Ecclesiæ, & visitationis, quantum ex eiusmodi iuribus perceperit Notarius,vt non possit illa percipere inscio visitatore, & vt in omnibus supradictis fiat quod exonerationi cõscientiæ & obsequio Dei maximè conueniat.

Cap. XXXIII.

Quæ pecora possint Parochi habere pro sua sustentatione.

INhærendo Constitutioni Concilij Prouincialis anni 1583. in quo intentatur censura Clericis doctrinarum, qui plura nutrierint pecora quam ipsorũ sustentationi necessaria sint. Nos excessibus occurrere cupientes ordinamus,quòd Parochi doctrinarum in posterum alere possint verueces duodecim, duodecim capras, & porcos duos, & cõsumpto hoc grege, vel etiam priùs, tantundem emere possint; ita tamen, vt hunc solum numerũ semper alere,nec vnquã excedere liceat. Quòd si minori se sustẽtare valeant, illum sufficientem, nec maiorem habeant, attendentes dictas censuras alioquin sibi imminere.

Act. 1. cap. 5.

Cap. XXXIV.

Causæ anullandi Matrimonia ad Ordinarium remittantur.

QVia causæ Matrimoniales magni momenti sunt, ideò quotiès de Matrimonio soluendo quæstio fuerit,vt cum alijs contrahatur, nostri Vicarij, Iudicesq; Ecclesiastici,quibus potestas erit,de causis Matrimonialibus cognoscere,factis processibus, & causa finita, & partibus ad sententiam audiendam citatis coram nobis, aut nostro Prouisore & Vicario generali, dictam causam ad Nos determinandam, & per sententiam definiendam remittant.

Concil. Trid. sess. 24. cap. 10. de reform.
Concil. prouin. anni 1583. Act. 2. c. 15.

Deci-

Cap. XXXV.

Decimarum Controuersiæ ad Ordinarium remittantur.

Concil. Engilenhemen. cap. 19.

IN Decimarum collectione lites & controuersiæ nonnunquam oriuntur, si vnum vel minus ex decem soluendum sit, si ex vna re, & ex alia non, propter consuetudines, & præscriptiones, quæ obligare solent. Cumq; Iuris quæstio sit, quid fieri oporteat, expedit vt determinetur per personam peritam, quæ rem intelligat, & sciat quid factu opus sit, & per iura sancitum: Nos animaduertentes hoc Decimarum negotium ad Antistites pertinere, & ad Præbendarios Ecclesiæ nostræ Cathedralis, eiusque Ministros, & duas Nouenas ad Dominum nostrũ Regem, & ad Ecclesias, & Hospitalia nostri Archiepiscopatus, earumq; Parochos, & Beneficiarios; cupientesq;, vt res ista comperta sit, & quisque, quod suum est, accipiat, nemoq; defraudetur, nec introducantur consuetudines, vel præscriptiones indebitæ, nec percipientibus nec scientibus ijs ad quos Decimæ pertinent: Statuimus, vt omnes nostri Vicarij, & Iudices Ecclesiastici, quoties aliqua negotia decimalia se obtulerint, vel coram ipsis supradictis penderint, tunc fulminatis processibus, eisdemq; conclusis ad sententiam definitiuam exclusiuè, & citatis ad sententiam partibus, ad Nos, vel nostrũ Prouisorem & Vicarium generalem causam remittant, vt ea visa, & inita consultatione, iustitia in casu fiat. Interim autem dum causa terminetur, facient solui decimario vnum ex decem, & ille vades dabit, quòd iudicio & sententiæ staturus sit, & redditurus, si quid vltra iustum acceperit: vel si vades non dederit, facient illi solui iuxta consuetudinem, quam ex processu fuisse constabit: Ordinando quòd in examine testiũ, declaretur tempus, à quo hactenùs consuetudo ipsa vel præscriptio, quã allegauerint, & à quot annis introducta fuerit, vt ab illo, qui sententiam laturus sit, percipiatur, an habeat conditiones temporis & annorum, quos iura requirunt, vt consuetudo & præscriptio legitima sit.

Cap. XXXVI.

Vicarij Clericos inhonestè viuentes ad Ordinarium cum informationibus remittant.

IVxta Decretum Concilij Prouincialis in hac Ciuitate Regum anno 1583. celebrati, & à Sede Apostolica approbati, in quo statuitur, quòd Sacerdos doctrinæ, qui inhonestè vixerit, illa priuetur, nec alia illi conferatur propter malum exemplũ, & ædificationem, quæ indigenis inde præbetur. Nostri Vicarij super hoc diligenter inuigilent, & cùm quispiam huiusmodi repertus fuerit in doctrinis ipsorum districtus, sumptis informationibus, si sufficientes fuerint, eum coram Nobis, nostroue Prouisore comparere facient, ipsas informationes clausas & sigillatas mittendo, relictoq; loco missi alio idoneo, & non aliàs occupato Sacerdote, qui Sacramenta ministret, & officio Parochi per omnia fungatur; cuius faciendi licentiam illi dabunt. Et Nos ad hæc vices nostras illis committimus, vbi verò talem Sacerdotem non inuenient, Nos vel no- Act. 3. cap. 19.

nostrum Prouisorem certiores reddent, vt prouideamus, quod casui conueniat,& in locum hunc mittendi alium expediamus. Alia quoque delicta castigandi curam gerent ijdē Vicarij, non exspectato Visitatorum accessu. Eosq; monemus quòd eam non agentes, Visitatoribus ipsis pœnas luent.

Cap. XXXVII.

Hispani, qui inter Indos indecenter vixerint, ad Hispanorum oppida per Parochos arcebuntur.

QVia malum exemplum quorundam Hispanorum, qui inter Indos viuunt, possit vergere in destructionē doctrinæ, qua instruuntur, esseq; illis occasio & incitamentum imitandi illorum malos mores, omnes Indorum Parochi feruenter studebunt, vt si Hispanus quispiam in ipsorum doctrinis inhonestè vixerit, dando huiusmodi malum exemplum Indis, ipsum remittent ad proprium ipsius Parochum Hispanorū, vt ipsum recognoscat, & Parochus ipse sciat, qualiter viuant ipsius Parochiani, eosque ad melius instruat, & spirituali pastu verbi Dei pascat. Et Nos ijsdem Indorum Parochis commissionem ad hoc, omniaque illi annexa, indeq; dependentia in forma damus; & vt procedat cum toto rigore iuris, &, cùm necessitas requirat, etiam per censuras.

Cap. XXXVIII.

Indorum Parochi, qui plura habent Oppida, diebus Dominicis, & festiuis dicant duas Missas.

QVoniā per Constitutiones huius Archiepiscopatus Indorū Parochis concessum est, vt diebus Dominicis, & ex præcepto festiuis possint legere duo sacra, in duabus Ecclesijs adeò distantibus, vt vnius populus non possit commodè assistere Missæ in altera: Ideò aduertant Parochi, vt suo debito in hac parte satisfaciant, dicendo illas duas Missas, ne priuent sacrificio suos Parochianos ijs diebus, quibus ei interesse tenentur, & ipsi Parochi ad id eis celebrandum, vt exoneretur vtrorumque conscientia.

Synodus VII. Diœces. c. 3. cum nota nostra ibid.

Cap. XXXIX.

Parochi celebrent duas Missas pro suo Antistite, & pro alijs Sacerdotibus decedentibus in hoc Archiepiscopatu.

INhærendo bonis ordinationibus, & laudabili consuetudini Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & sacrarum Religionum, Collegiorum, & Congregationum; & vt inter omnes sit vniformitas, & bona correspondentia, seriò petimus, &, quantum possumus, flagitamus,& exhortamur in Domino, omnes qui sunt vel fuerint huius Archiepiscopatus nostri Sacerdotes, vt quamprimùm ipsis innotuerit, obijsse Prælatum, vel alium huius Archiepiscopatus districtus nostri Sacerdotem, celebrent pro ipso duas Missas, cum responsorijs. Et

Regula consueta cap. 18. supra pag. 155.

nos=

noster Prouisor, cùm aliquis Clericus decessent in hac nostra Ciuitate Regum, monebit reliquos Vicarios, & Sacerdotes huius Archiepiscopatus, & Vicarij vicissim Prouisorem, cæterosque Vicarios, & Sacerdotes eiusdem Archiepiscopatus. Quo toto existimamus præstari Deo gratū obsequium, & magnam his regnis ædificationem: Et quòd reliqui Episcopi nobis Suffraganei animabuntur ad idem charitatis officium, ad magnam gloriam & honorem Domini nostri Dei.

Cap. XL.

Indorum Parochi Prælatum generaliter moneant, cum Parochiani indigebunt absolutione reseruata.

Quoniam per Gregorij XIII. diploma datū Romæ 1. Nouembris 1583. ad instantiam Catholicæ Maiestatis, & ad has partes missum, per Licentiatum D. Thomā de Salazar, Commissarium sanctæ Cruciatæ, visum in Concilio Prouinciali anni * 1583. & adiunctum alijs priuilegijs concessis Indis, & in eodem Concilio visis, conceditur omnibus Archiepiscopis & Episcopis Indiarum, & personis ab eisdem in hac parte nominandis, deputādis ac subdelegandis, vt à crimine hæresis, Idololatriæ, Schismatis, & alijs quibuscunque casibus, & rebus reseruatis, tam in conscientiæ, quàm in exteriori foro, absoluere possint quoscunque Indos, viros & mulieres, iniuncta illis aliqua salutari pœnitentia, iuxta qualitatem culpæ; declarante Sua Sanctitate, hoc non impedire, quod priùs declaratum est, quòd per Bullam Cruciatæ non conceditur absolutio ab hæresi: quoniam quoad Indos non derogatur dicto priuilegio, & facultati absoluendi ab hæresi, & alijs casibus reseruatis. Nos cupientes eiusdem diplomatis contenta exequi, & vt natiui gaudeant hoc beneficio; Ordinamus, vt omnes Parochi huius Archiepiscopatus, districtus nostri, quando fuerit opus, vti dicto diplomate, & absoluere suos Parochianos à casibus supradictis, in quas inciderint, tunc per viam, quæ iura permiserint, Nos generatim certiores faciant, vt de sufficienti remedio prouideamus, ad vtilitatem, & profectum animarum, vt in toto fiat quod expedit, ad exonerandas conscientias, & vt seruiatur Deo.

Marginal notes: Bul. Pauli III. vt supra pag. 111. — * Vide notas.

Cap. XLI.

Omnes Parochi eos conscriptos habeant, quibus Viatici, & extremæ vnctionis Sacramenta ministrauerint.

Vt innotescat quòd Indi in rebus Catholicæ nostræ fidei proficiant, & ipsorum Parochi diligentes, & soliciti sint, & obseruent sancita Concilij prouincialis anni 1583. in Ciuitate Regum celebrati Act. 2. c. 19. & 28. vbi seriò præcipitur omnibus Parochis, ne omittant Viaticum dare omnibus Indis, & Aethiopibus, quos in articulo necessitatis, & requisitis dispositionibus constitutos inuenerint, quæ sunt fides, & pœnitudo peccatorum, idq; suo modo; cùm in extrema illa necessitate, res tam perfectæ & absolutæ exigi non debeant, vt Sanctorum Patrum sancita docent, quibus sufficit aliqua ostensio fidei & pœniten-

Marginal note: Vide loca citata in margine illius cap. 19. supra pag. 11.

Tt 2 tiæ,

tiæ,& ſalutaria Sacramenta conſtitutis in vltimo periculo vitæ. Et pariter diſtrictè præcipitur, ne quorundam Parochorum ignauia interponat friuolas excuſationes in adminiſtrando Sacramēta extremæ vnctionis, quòd detur idem Sacramentum iuxta Conſtitutionem Concilij Prouincialis, in Ciuitate Regum, anno 1567. celebrati ſeſſ.3. c.35. omnibus fidelibus Indis & Aethiopibus, ſeu Morenis, qui pœnitentiæ ſigna ſuo tempore monſtrauerint. Et peculiarem curam gerent Parochi, obſeruantiſſimiq; ſint,vt Indos omnes in libro conſcribant, quibus miniſtrata fuerint ſacramenta Viatici,& extremæ vnctionis, cum nota diei, menſis, & anni. Et in hac parte negligentes & remiſſos plectent noſtri Viſitatores.

Cap. XLII.
Sacerdotes & ordinandi diſcant cantum.

QVia multi Clerici,qui cantare neſciunt, ac proindè, cùm exercent officium in celebratione Miſſarum, & miniſterio altaris, magnam cauſant indecentiam, & populum ad inquietudinem, rumorē, & indeuotionem prouocant, ac diuertunt ab attentione ſacrificio debita, dantq; occaſionem vt loquantur & murmurent de ipſis, & alijs, qui ipſos ad ordines promouent, & de Iudicibus Eccleſiaſticis, qui non apponunt remedium. Noſter Prouiſor & generalis Vicarius,iuxta Decretum Cōcilij Prouincialis, in quo ſtatuitur, vt cantus per Cantorem Eccleſiæ noſtræ Cathedralis doceatur,id executioni mandantes,ſtatim, vt ratio poſtulat,& abſque vlla dilatione iubebit, & procurabit, vt Sacerdotes, & reliqui ordinandi, qui cantum non ſatis ſciunt, examinentur,vt cognoſcatur qui ſint,& quòd cantū audiant, ac diſcant. & inſtructi doctiq; ſint, procedendo contra ipſos cum omni rigore iuris.

Concil. prouin. anni 1583. Act. 3. cap. 29.

Cap. XLIII.
Iudices expediti contra Parochos remittant cauſas concluſas ad ſuperiorem pro ferenda ſententia.

AD euitādos quoſdam ſiniſtros affectus, expenſas, itinera, & vexationes Parochorum, cum Iudices aduersùm ipſos mittuntur, [illegible] mendas informationes, eaſq; a[illegible] periorem remittēdas, ſi Parochi [illegible] pabiles reperiantur, manſuris in e[illegible] rum loco ipſis Iudicibus & exercitu ris officium parochiale, donec terminetur cauſa,cum ſpe & prætentione ſucceſſionis, & gaudendi ſalario doctrinæ. Cùmq; hæc ſint incentiua, ne informationes benè, & cum debita rectitudine inſtituantur, &,vt ſollicitentur teſtes ad Sacerdotem è doctrina eijciendum, ne in illa permaneat: Proinde noſter Prouiſor & Vicarius generalis, cæteriq; Iudices dict's malis remedium adhibentes, vbi oportuerit Iudicem aliquem aduersùs Parochum expedire propter aliqua delicta ab eo patrata, curabunt, vt talis ſit Iudex, in quem harum rerum ſuſpicio cadere non poſſit, vel qui prætendat,aut procuret in doctrina remanere, & quòd ferat cōmiſſionem fulminandi proceſſus vſque ad ſententiam excluſiuè, & quòd citatis partibus ipſum

remit-

remittat ad Iudicem, qui dictam cõmissionem dedit, vt illum terminet, & proferat sententiam; relinquendo Parochum in sua doctrina, vt per Visitatores in suis visitationibus fieri consueuit: Ipse Iudex Commissarius processum deferet ad illum, qui causam terminaturus sit, nisi in casu tam graui & atrocis delicti, vt aliter fieri conueniat.

Cap. XLIV.

Vicarij, Visitatores Doctrinarum, Parochi, caeteriq; Iudices Ecclesiastici procedent contra saeculares, qui rusticis laboribus impediunt doctrinam, & causant damna spiritualia.

Superius in hac Synodo cap. 4. & in eius notis vbi Constitut. Pauli III.

QVoniam ex visitatione generali, quam prosequimur, satis instructi sumus, & nobis constat, quòd ex praedialibus & rusticis laboribus, quos per indigenas Indos exerceri faciunt ipsorum Correctores, in conficiendis pannis, sagis, &c, quos vulgò *anacos*, & quos *lliquillos* vocant, dando illis gossipium nendum, & iubendo, vt lanam in fila ducant, & caligas faciant, & canabaceas soleas, vulgò, *alpargates*, & quas *guazgas* appellant, & limitando illis pensi certum tempus, ac distribuendo illis gossipium diebus festiuis, eosque ad id exspectando, dum egrediantur à Missa, vel doctrina, vbi congregati reperiuntur; & vendendo illis vinũ, eosq; mittendo ad alios labores corporales, & alia praedia, ex quibus nascuntur, & nata sunt multa damna spiritualia; nimirum quòd dicti Indi & Indae ad remotas partes abeant, & se in montibus abscondant dictis diebus Dominicis & festiuis, & per vnum vel alterum annum non accedant ad Missas, vel doctrinam, aut confessiones, prae timore eiusmodi exactionum, & ibi sine sacramentis moriuntur, & quòd Christianum nomen abhorreant, & paruulos suos odio prosequantur, dicendo ipsis, vt semel moriantur ne perueniant ad statum tot miseriarum, & laborum, quot ipsi patiuntur: Et quòd cùm Indae, ex infirmitate, dicta opera perficere non possunt, ac timent ne puniantur, soluunt Correctori rem valoris septem pesorum, vt eam vendere possint. Et quòd opus à dictis Indis factum, vel septem vel octo pataconibus vendant, cùm ipsis constiterit tantum tribus: Et quod Indi scandalizentur, eo quòd Correctores ipsis vendãt octo pesis, id quòd propriae ipsorum vxores, & filiae texuerunt, & neuerunt. Et quòd Indae per sui corporis prostitutionem, in Dei offensam, acquirant pecunias, quibus emãt pannum dandum Correctoribus ne illum cogantur intolerabili labore conficere; emunt autem octo pataconibus cùm Correctores pro eo conficiendo illis non dent plus quam duos: Et quòd vinum supra iustum pretium eis vendant, eosq; vi cogant ipsum sic emere: quo inebriantur, & ebrij exercẽt multas ceremonias antiquas, contra nostram sanctam legem, itemq; incestus, & blasphemias; ita vt appareat, quòd si haberent, vbi possent se abscondere, relinquerent legem Dei, & reuerterentur ad maiorum suorũ superstitiones: Et quòd pueri in praedijs dictorum Correctorum occupati non frequentent doctrinã, & quòd laborent diebus Dominicis & festiuis, vt praefixo tempore possint absoluere, & netam dent lanam

quam

quam acceperunt, & factas caligas, & soleas, & alia supradicta; cum dictis Correctoribus eiusmodi laboritia iustis, considerabilibusque causis districtè prohibita sint sub grauibus pœnis, per instructiones iam olim à Pro-Regibus datas, & iterum nuper per ordinationes factas à D. Garcia Hortado de Mendoza Marchione Cañetæ Pro-Rege horum Regnorum 21. die mensis Iulij proximè præteriti huius præsentis anni 1594. Et cum dicti Correctores præstiterint iuramentum eas obseruandi, & sic adimplendi, ordinato etiam per dictum Dominũ Pro-Regem Marchionem Cañetæ, quòd à Correctoribus, qui in posterum instituentur, exigatur idem iuramentum, easdem ordinationes obseruandi, & adimplendi. Nos igitur ad prædicta respicientes, & ad iuramentum quod præstant ijdem Correctores, cupientesq; remedium adhibere,& vt prædicta mala spiritualia, Deiq; graues offensæ cessent, omni meliori via,&, quantum de iure possumus,commissionem damus omnibus Vicarijs, & Iudicibus Ecclesiasticis, & Indorum Parochis huius nostri Archiepiscopatus, earumq; cuilibet insolidum, vt non permittant dictis Correctoribus præsentibus vel futuris, nec alijs personis quibuscũque, quæ fuerint causa dictorum damnorum spiritualium, vel partis eorum per sua prædialia lucra, vt se in illis intromittant, per se vel per interpositas personas, ordinantes & prouidentes, vt gossipium, & lanam,& alias res, quæ Indis ad effectus supradictas distributæ fuerint, illico suis Dominis reddantur; cõtra transgressores procedendo. Sicq; facient & impleant eum toto rigore iuris, etiam, cùm opus fuerit, per censuras, vsque ad declarandum quòd illas incurrerint, ipsosq; in tabellam redigendum, donec effectu desistant à dictis laboribus,& lucris prædialibus. Nobis,prout reseruamus,reseruando dictarum censurarum absolutionem. Quoniã ad prædicta, & eis annexa, & ex eis dependentia, & ad creandum Notarium & reliquos ministros necessarios,& ad fulminandum processus in causis supradictorum, eosq; per sententias terminandum, & ad debitam executionem perducendum vices nostras illis committimus: ita vt in toto fiat quod conueniat, & exonerentur conscientiæ, ac debitũ Deo præstetur obsequium. Exhortando, prout exhortamur, & præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna centum pesorum, vulgò, *ensayados* ad causas pias applicatorum, & alijs pœnis arbitrarijs, vsque ad priuationem officiorum, & doctrinarum, dictis Vicarijs, Parochis, & Iudicibus, vt supradicta exequantur: Nostrisq; Visitatoribus iniungimus & præcipimus, vt peculiarem curam gerant, eos in hoc onerandi.

Attento paritèr quòd per visitationem, quam facimus, intellexerimus, ex eiusmodi lucris prædialibus sequi etiam sequentia damna & grauamina temporalia & corporalia; videlicet,quòd impediatur Indis cõmercium cum Hispanis, dùm non permittantur transire ad acquirenda necessaria sustentationi suæ vitæ; cũque hoc sit incentiuũ & instrumentum mendicationis, furtorum, & latrociniorum,dum portæ ipsis occluduntur, & impediuntur,vt non possint

sint se aliter sustentare. Cùmq; ista prædia sunt causa, quòd vectigalia Domini nostri Regis impediantur, ac defraudentur, & abscondantur, nemine audente ea à dictis Correctoribus petere, eo quòd sint Ministri Iustitiæ: Et quòd Prouincia redigatur ad extremam penuriam, dum innatæ merces, triticum, & farina, cæteraq; extrahantur ad partes remotas: Quòd Indi malè tractentur, nec permittantur liberè lucrari tributa per ipsos soluenda, nec exercere suos agros & possessiones: nec Indæ mulieres parare pannum quo se, suos filios, aut coniuges vestiant, sed nudæ & incultæ sint, & sic incompositæ, & laceratæ, ad summam indecentiam, frequentent Ecclesiam & doctrinã: dum prætenditur quòd indigenæ non gaudeant requie, quã sua Maiestas eis optat; propterea à dictis Correctoribus in Domino postulamus, vt ab huiusmodi tractibus & laboribus lucrisq; abstineant, quæ seriò & sedulò ipsis prohibita sunt, eosdemq; admonemus, quòd si hoc non obseruauerint, sua Maiestas certior fiet omnium horum damnorũ spiritualium, temporalium, & corporalium: Eiusq; Pro-Rex nomine Regis, iuxta ipsius suæ Maiestatis Schedulam. Dat. Vlisiponæ 17. Maij 1582.

Cap. XLV.

De Examinatoribus Beneficiorum.

Trid. sess. 24. cap. 18. Concil. Liman. anni 1583. Act. 4. c. 17.

SAcri generalis Concilij Tridentini, & prouincialis nostri anno 1583. in Ciuitate Regum celebrati, & à sancta Sede approbati sanctionibus inhærendo, vt extet is numerus personarum, ex quibus necessariæ & alias non occupatæ, & litteris, ac linguis idoneæ, & in Parochorum, cæterorumq; officijs peritæ eligi possunt ad eos quibus Beneficia conferuntur ritè examinãdum; Nos eiusmodi beneficiorum & doctrinarum examinatores nominamus Doctorem D. Ioannem Vasquez Archidiaconum, & Doctorem D. Matthæum Diaz de Paz Scholasticum, & Doctorem D. Stephanum Vozmedianum Cantorem, & Doctorem Molinam, & D. Ioannẽ Diaz, & Doctorem Ioannem de Roca, & Licentiatum Menacho, & Magistrũ Guzman, & Doctorem Andream Diaz de Albrego, Canonicos nostræ sanctæ Ecclesiæ Cathedralis, & Baccalaureum Christophorum Sanchez de Renedo, & Baccalaureum Ferdinandum Martinez, Parochos nostræ sanctæ Ecclesiæ, & Magistrum Huerta, & P. Fr. Ioannem Martinez Ord. S. Augustini, Cathedraticum linguæ generalis Indorum, & Baccalaureum Bitanzos: qui iuramentum præstabunt ex præscripto Sac. Conc. Trid.

Cap. XLVI.

De Iudicibus Ecclesiasticis ad cognoscendum causas per Suam Sanctitatem, vel Apostolicos Legatos, aut Nuncios remittendas.

IVxta Decretum sacri Cõcili Tridentini sess. 25. c. 10. de reform. nominamus, ac designamus in hac Synodo Iudices, qui cognoscere possint, & cognoscant causas spirituales & Ecclesiasticas, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, per suam Sanctitatem, vel quemuis Legatum, aut Nuncium Apostolicum in his partibus committendas, Doctorem D. Pe-

D. Petrum Nuñez Decanum, Doctorem D. Ioannes Vasquez Archidiaconum, Doctorem D. Matthæum Diaz de Paz Scholasticum, Doctorem D. Stephanum Fernandez Vozmedianum Cantorem, D. Christophorum Medel Thesaurarium, Dignitates nostræ sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Ciuitatis Regum.

Cap. XLVII.
De Testibus synodalibus.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 4. cap. 23.

SAncti Patres iustè, & sanctæ instituerunt, quòd Synodi singulis annis fierent, ad hoc vt in illis tractaretur de correctione, & emendatione malorum morum; & reformatione bonorum, deq; animarum regimine, & reliquis concernentibus Episcoparus. Et, vt quod in eis fieret, & constitueretur, efficaciùs adimpleretur, & sortiretur effectum; decreuerunt, vt in singulis episcopatibus nominarentur, & constituerentur Testes synodales boni & idonei, qui per totum Archiepiscopatum solerter inquirant, quisq; in assignato sibi districtu, qualiter seruentur, & adimpleantur ea, quæ in Synodis ordinata, & iussa fuerint. Nos igitur tam sanctum institutum sequentes: Designamus in hac Synodo Parochos præsentes & futuros Ciuitatis Regum, nostrosq; huius Archiepiscopatus Visitatores, vt dicta per nostrum Archiepiscopatum inquirant. Quod sine Scriba, Notario, vel strepitu iudiciali, sed simplicitèr & de plano facere debent, cùm vlteriorem Iurisdictionem non habeant, nec Nos eam illis damus. Et quod sic inquisiuerint, ac testes qui rē nouerint secretè notando, & monumentis consignando, tam de defectibus Vicariorum, & Clericorum, quam etiam Laicorū, sine testium iuramēto, sed per viam informationis, ad futuros Synodos & Concilia prouincialia deferent, & secretò Nobis tradent, vt iuxta obsequium Deo debitum adhibeamus remedium. Debentq; præstare iuramentum, officio suo benè & fidelitèr persungendi, & quod sic fecerint coram Nobis ad futuras Synodos & Concilia Prouincialia ferendi.

Cap. XLVIII.
Vicarij & Parochi habeant apud se has Constitutiones synodales.

OMnes nostri Vicarij, & Hispanorum Indorumq; Parochi &c. vt supra cap. 3. Synodi præcedentis, anni 1592.

Absolutæ sunt istæ Constitutiones ad honorem & gloriam Domini nostri Dei 24. die mensis Nouembris anno 1594. in die Sancti Chrisogoni Martyris sub vesperas S. Catharinæ virginis & martyris.

T. Archiepiscopus Regum.

De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.

Bernardinus Ramirez, Not. Secret.

Indictio futuræ Synodi.

NOs D. Toribius &c. *Eodem tenore cum litteris Conuocatorijs quintæ Synodi in fine Synodi quartæ supra pag. 273. præterquam quod nona nunc futura Synodus conuocetur ad eundem diem Sancti Chrisogoni 24. Nouembris anno 1596.* Dat. in Oppido Sancti Petri, & Sancti Pauli Piscobambæ 24. die mensis Nouembris 1594.

T. Archiepiscopus Regum.

De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.

Bernardinus Ramirez, Not. Secret.

EGo *Bernardinus Ramirez, Secretarius Illustrissimi Domini Archiepiscopi Regum, &c. Fidem facio, & veritati testimonium adhibeo, quòd Synodus retrò contenta celebrata fuerit in hoc oppido SS. Petri & Pauli Piscobamba, per Suam Illustrissimam Dominationem, assistentibus in ea Visitatore Melchiore de Figueroa, cum potestate quorundam Parochorum huius Archiepiscopatus, & alijs multis personis cum simili potestate. Et ad conferendum de Constitutionibus eiusdem Synodi venerunt, & præsentes consenserunt illis. Quæ hodie die Iouis 24. mensis Nouembris 1594. quo die illas legere & publicare finiui, cum eas legere incœperim die præcedenti 23. eiusdem præsentis mensis & anni, in Ecclesia huius Oppidi Piscobambæ, præsentibus dicto Visitatore Melchiore de Figueroa, & Mattheo de Morales Parocho huius Oppidi, & Didaco Alphonso de Rojas Parocho & Vicario Tauca, & Licentiato Leonardo Cortes, & Ioanne Baptista Franco Presbytero, & multis alijs Hispanis. Quibus testimonium adhibeo. Et in fidem subscribo.*

Bernardinus Ramirez Secret.

gratis. *Toribius Archiepiscopus Regum.*

De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.

Bernard. Ramirez, Not. pub. Secret.

Vu Notæ

Notæ ad Synod. Diœcef. VIII.

CAp. 3. [a] *Cuyes*. Sunt animalcula, quæ in Europa porcellos Indicos appellamus,& quibus Indi ad suas superstitiones, & Idolorum cultum abutebantur, vt supra Synodo Diœcesano III. cap.45.& nos in nota ad cap. 12. primæ Synodi Diœcesanæ. Merito ergo hic prohibentur, tùm propter periculum superstitionis, quam in istis granarijs,tanquam in locis solitarijs faciliùs, & securiùs exercere possent Indi, tùm ob alias causas in hoc capite assignatas.

Cap. 4. [a] *Quod Dominicis, & festiuis diebus fiant Indorum distributiones*. Sub Pauli III. Pont. tempore adeò exarsit quorundam auaritia in his distributionibus faciendis, quæ alibi *mita* vocantur, vt miseros Indos, cùm ad audiendas Missas, doctrinamq; capescendam conuenirent, inuiti, ac reclamantibus religiosis Sacerdotibus, qui genti tunc ad fidē conuertendæ,& in ea instruendæ zelanter studebant, à doctrina, & Ecclesijs ad opera sui lucri abripiebāt; violentiæ suæ causam afferentes, quòd Indi non essent veri homines, adeoque nec doctrinæ Christianæ, & Sacramentorum capaces. Quapropter, delata ad Paulum Pontificem querela, Sua Sanctitas per Bullam datam Romæ anno 1537. quarto nonas Iunij, Pontificatus anno 3. apud Waddingum to. 8. Annal. Min. eodem anno 1537. constituit in hunc modum.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

VEritas ipsa, quæ nec falli,nec fallere potest,cum Prædicatores fidei ad officium prædicationis destinaret,dixisse dignoscitur: *euntes docete omnes gentes*. Omnes dixit, absque omni delectu, cum omnes fidei disciplinæ capaces existant. Quod videns, & inuidens ipsius humani generis æmulus, qui humanis operibus, vt pereant, semper aduersatur, modum excogitauit hactenùs inauditum, quo impediret, ne verbum Dei gentibus, vt saluæ fierent, prædicaretur, ac quosdam suos satellites commouit, qui suam cupiditatem adimplere cupientes, Occidentales, & Meridionales Indos, & alias gentes, quæ temporibus istis ad nostrā notitiam peruenerunt, sub prætextu, quod fidei Catholicæ expertes existāt, vti bruta animalia illis seruientia vtegeant. Nos igitur, qui eiusdem Domini nostri vices, licet indigni, gerimus in terris, & oues gregis sui nobis commissas, quæ extra eius ouile sunt, ad ipsum ouile toto nisu exquirimus, attendentes Indos ipsos, vtpotè,veros homines,nō solum Christianæ fidei capaces existere,sed,vt nobis innotuit,ad fidem ipsam promptissimè currere, ac volentes super his congruis remedijs prouidere, prædictos Indos, & omnes alias gentes ad notitiam Christianorū in posterùm deuenturas, licet extra fidem existant, sua libertate, ac rerum suarum dominio priuatos, seu priuandos non esse, imo libertate, & dominio huiusmodi vti, & potiri, & gaudere liberè, & licitè posse, nec in seruitutem redigi debere: ac quidquid secus fieri contigerit, irritum, & inane, ipsosque Indos, & alias gentes verbi Dei prædicatione, & exemplo bonæ vitæ ad dictam fidem Christi inuitandos fore, authoritate Apostolica per præsentes literas decernimus, & declaramus, non obstantibus præmissis, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Datum Romæ anno 1537. quarto Nonas Iunij, Pontificatus nostri anno tertio.

In eundem sensum Catholici Reges perpetuò scribebant ad suos in Peruuia Pro-Reges,Præsules & Præfectos tribunalium; sed priuatorum hominū cupiditas, horum nihil respiciens, eos committebat excessus,quos Seruus Dei Toribius hoc capite, & hac ipsa Synod.8.cap.44. & multò plures, grauiotesq; quas ipse Rex in suis ad Toribiū litte-

litteris Vlisiponæ 17. Maij anno 1582. datis recenset. Sed quæ studia in ea re semper ponebat Seruus Dei: præter alia constat ex cap. 5. act. 2. Concilij prouincialis anni 1583. & cap. 43. eiusdem act. & cap. 3.act.3.& cap. 12. eiusdem: & Synod.3. Diœcesf. cap. 18. 26. 47. 52. 54. 61. 71. 82. & 83. & Synod.4. cap.4. & Synod.5. cap.7. Synod.6. cap.4. & 8. & Synod. 7. cap. 7. 9. 10. & Synod.8. cap.r. 2. 3. 4. 5. 44. Et quanquam per has leges tot modis, & vijs prouideret Indorum tempotali, æternoque bono ardentissima charitas huius Apostolici Præsulis, sed plures referunt eius vitæ Scriptores.

Cap.21. [a] *Dabunt panem benedictum.* Antiquissimum in Ecclesia ritum fuisse constat, vt populus ad Missas conueniens adferret munera, vt fortè alia, sic etiam panem, & vinum. Hæc verò veterum rituum Scriptores oblationes vocabant, vt hoc Symbolo significarent se cum Sacerdotibus offerre, id est alteros, alterosq; suo modo: idq; fiebat eo tempore Missæ, quo legitur offertorium; quod ideò fortassis ab oblationibus, seu ab offerendis illis muneribus offertorij nomen accepit. Siuè verò ex his ipsis oblationibus per verba Sacerdotis, aliqua in Christi corpus, & sanguinem conuerterentur, siuè simplici tantum benedictione sacratentur, de quo latè, & eruditè Eminentissimus Card. Bona Rer. liturg. l.1. cap.23. & Gabriel Albaspinus Episcopus Aurelianen. de Eccl. veteribus titibus lib.1. obseruat.5. At siuc, inquã, Euchatistica, & vera propriè dicti Sacramenti consecratione afficerentur, siuè simplici tantum benedictione, vt aqua benedicta, sal, oua, & similia, quæ non Sacramenta propriè dicta, sed sacramentalia vocamus: id constat, hæc oblata, & quomodocunq; sacrata, iterùm in præsentem tunc populum distribui, & partim etiam ad absentes mitti consueuisse, in signum spiritualis vnitatis omnium in vno capite Domino nostro Iesu Christo, & eiusdem communionis cum Sacerdote sacrificante. partes autẽ oblationum, quæ his vsibus vel vtiles, vel necessariæ non fuissent; Sacetdotum, & pauperum vsibus cedere. Horum documenta apud iam laudatos authores, & præcipuè apud Cardinalem collecta sunt, nec breuitas mihi proposita finit, vt omnia describam: satis est scopum, originem, vsum insinuasse, vt ostendamus etiam in hoc ritu, quod ante diximus, veteris Ecclesiæ faciem Præsule Toribio apud Indos renouatã fuisse. Expediebat enim, vt non solum Hebræi, Græci, & Latini, sed etiam Peruani externo aliquo Symbolo cognoscerent, se sacrificij participes esse, & eiusdem cum sacrificante communionis, per quod fideles Indi ab infidelibus, & Christo per baptismum incorporati à Catecumenis, & communicantes ab excommunicatis discernerentur. Deinde vt rudis ille, & adhuc in fide infantilis populus, hoc lacte nutriretur, & ex freqũeti oblatione assuesceret contemptis idolis, quibus priùs litabat, verum Deum, & Christum colere. Ritum hunc non alibi clariùs, & copiosiùs expressum inuenio, quam in Concilio Nannetensi cap. 9. cuius hæc sunt verba sub hoc titulo. *De Eulogijs populo à Presbyteris dandis.*

Vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos offerunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyteri conuenienter partes incisas habeant in vase nitido, vt post Missarum solemnia, qui communicare non fuerunt rati, eulogias omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant, & illa, vnde eulogias presbyter daturus est, antè in hæc verba benedicat.

Oratio.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta, & spirituali benedictione, vt sit omnibus salus mẽtis, & corporis, atq; contra omnes morbos, & vniuersas inimicorum insidias tutamentum, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, panem vitæ, qui de cælo descendit, & dat vitam, ac salutem mundo, & tecum viuit, & regnat, &c.

Hanc benedicendi formulam, & orationem retinuit vniuersalis Ecclesia in

Missali Romano, quamuis etiam alteram, sed disiunctiuè vsurpandam apponat, per quam sumentibus apprecatur, vt corporis, & animæ sanitatem percipiant.

Ex hoc autem Concilij Nannetensis loco habemus, duplicē olim in Ecclesia communionem in vsu fuisse; alteram sacramentalem per sumptionem veri corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, alteram ceremonialem, & mysticam per sumptionem illius panis benedicti, quo significabatur sumētes eum Ecclesia Catholica in mystico Christi corpore communicare: deinde priorem communionem dari solitam illis, qui dignè dispositi accedere vellent, posteriorem autem illis, quibus ad priorem accedere, vel non vacaret, vel non liberet, vel etiam non liceret ex aliquo defectu debitæ dispositionis. Et hoc est, quod in Peruuia introductum fuit, & obseruari sancitum in Concilio prouinciali anni 1567. sub Archiepiscopo Loaisa, ac deinde dissuetum, Toribius Archiepiscopus in morem reuocari constituit. Nam superiori Synodo VII. cap. 8. & hac ipsa Synodo VIII. cap. 28. suscipiendis his oblationibus modum ponit, & eas, seu panem benedictum populo distribui, hoc præsenti capite statuit, iisdem ferè verbis, quibus priùs Concilium Nannetense. Sed id imprimis aduertendū, siuè, quod Eminentissimus Cardinalis Bona multis docet, ipsum sacræ Eucharistiæ augustissimum Sacramentum, ex oblato per populum communi pane, ab antiquis conficeretur, seu secùs; In Peruuia tamē non nisi ex azimis hostijs fieri consueuisse, vti docemur ex cap. 5. Synod. Diœcesf. IV. superiùs, in quo Toribius Archiepiscopus affirmat, se in visitatione Diœcesis comperisse, multos Clericos ōmisisse Missas defectu hostiarum, & ferri, per quod conficerentur; atque adeò statuit, vt singuli Sacerdotes eiusmodi ferra, seu forcipes ferreos habeant in suis parochijs, seu doctrinis: & vt regionum, seu districtuum præfecti ea instrumenta ipsis procurare debeant.

Altero loco cauendum est à duobus extremis erroribus, qui circa hos panes benedictos committuntur, prior est peruersi Witcleffi, & discipulorum eius, ore blasphemo asserentiū, quòd exorcismi, & benedictiones factæ super vinum, panem, aquam, oleum, & similia, sint vera practica necromantiæ potiùs quàm sacræ Theologiæ: neque creaturis conferunt altiorem virtutem, quam sunt in natura propria. Sed hos naturæ Idololatras, & inimicos gratiæ prolixè confutat, ac doctissimè confundit ex scripturæ sacræ, & Sanctorum Patrum fontibus Thomas Waldēsis, de sacramentalibus tit. 24. qui est de benedictionibus.

Quod ego teneo, in Scholis docui, hæc Ecclesiæ Christi sacramentalia, seu creaturas Dei, sacris exorcismis, & Ecclesiasticis benedictionibus, diuinæque virtutis inuocatione lustratas non solùm vim quamcunque habere ad illos effectus conferendos, quos eis inter benedicendum apprecatur Sacerdos, sed eosdem benè dispositis & obicem non ponentibus conferre etiam, vt loquuntur Theologi, ex opere operato: & in hoc ea cum veris, & propriè dictis Sacramentis conuenire: ab eis autem per hoc differre, quòd Sacramenta propriè dicta, non tantum alia dona, sed etiam ipsam gratiam sanctificantem, vel eius incremētum benè dispositis, ex opere operato conferant; sacramentalia verò etiā, sed ex opere operantis, eandem gratiā subinde augeant: ex opere tamen operato non conferant illam, sed alia dona in earum benedictionibus expressa, remissionem peccatorum venialium, expulsionem Dœmonum, corporis sanitatem, liberationem à veneficijs, tēpestatibus, aut alijs periculis &c. quæ fiunt vel per aliqua auxilia gratiæ actualis, vel per externam Dei protectionem his sacramentalibus ex diuina institutione promissa, de quo videndus Ioānes à Carthagena disp. 8. de Sacramentis & alij. Nec obstat absurda ratio Witcleffistarum, quòd, scilicet, non videant mutationem in creatura exorcizata, tum quia non opus est, vt animalis homo semper oculis conspiciat;

ciat, ea, quæ sunt spiritus Dei; tum quia falsa est illorum assertio, quoniam & Ecclesiasticæ scripturæ sensibilibus, & miraculosis horum sacramentalium effectibus plenæ sint, & passim quotidie cernuntur; quamuis, vel occulto Dei iudicio, vel ex aliquo obice, non semper ita manifesti sint.

Posterior error, & priori ex diametro oppositus est Græcorum, adeò inueteratus in Populo, vt etiam aliqui ipsorum Episcopi errorem agnoscentes non audeant eum corrigere, sed dissimulant, & publicè simulant externa actione, se idem cum populo sentire; nimirum cum oblata, seu dona, hoc est, panis, & vinum ex ara minori, ceu mēsæ propositionis, quam nos credentiam vulgò vocamus, antequam consecrata sunt, per Sacerdotes sacrificantes ad altare maius, in quo consecrari debent, solemniter deferuntur iuxta ipsorum ritus, priùs quidem Sacerdotum precationibus benedicta, & quasi ad sacrificium expiata, quam actionem illi magnam introductionem appellant: tum populus passim in Græcia valde demissè se inclinat, vel in Russia se prosternit, terram fronte percutit, & veluti præsentem in ea oblatione cælorum Regem alloquitur, & adorat: sic enim communiter populus credit. Quem diuinum cultum, huic rei minimè debitum, Græci, inter quos reperies quandoq; doctos, adeò tenaciter imbiberunt; vt si quis velit eos verum docere, atque ab hac corrupta consuetudine dimouere, omninò ipsis execrandus iste sit, & detestabilis, ac velut Hæreticus habeatur. Ita ferè Petrus Arcudius, & ipse Græcus Corcyreus, sed Catholicæ cōmunionis lib. 3. cap. 19. qui in eodem, & sequentibus hanc adorationem diuinam puræ creaturæ, seu verè mauis idololatriæ speciem vocare, execratur, & solidis fundamentis reprobat. Scindunt postea Græci panem, & seruata parte, quam Sacerdos verbis Dominicis in verum Christi corpus conuertit, reliquam in bolos diuisam populo distribuunt. Sed quorsum, inquis, tantam historiam? Ne Peruanus populus vnquam in extrema desiectat, vel si alicubi etiam per Europam, quod mihi incertum est, ea ceremonia adhuc vigeat, vt Wicleffi tempore, vel in Anglia, vel alibi viguisse, ipsius apud Vvaldensem verba initio cap. 16. indicare, seu supponere videntur: *Secundum quod*, inquit, *benedicuntur panes diebus Dominicis*: Recentiorem indicat Ant. à Leone Pinellus in suo libro de Chocolate, impresso anno 1636. fol. 41. *Costumbre que ay en algunas Iglesias de dar pan benedito a la Missa mayor.*

In medio autem consistit virtus, & Catholica veritas; adeoque docere debent Catholici Sacerdotes, honorandum esse panem illum benedictum, & multa virtute per sacerdotalem benedictionem è cælo præditum, vt Vvicleffistarum charibdin euitet populus: sed nondum statim Christi corpus esse, vel eo cultu adorandum, quo adorari debet venerabile Sacramentū Eucharistiæ, quod est panis ille supersubstantialis, Christi verbis, per Sacerdotem, post Missæ præfationem consecratus, & in altum eleuatus, vt ab omnibus palam, vt verus Deus, & homo Christus Iesus sub speciebus panis & vini adoretur, quem ipse deinde Sacerdos ad sacrificij complementum sumit, & ritè accedentibus distribuit dicendo: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*, vt iterum populus, hac differentia cognita, non incidat in syllam Græcanici erroris, sed veræ latriæ cultum Deo tribuat, & duliæ tantùm Dei creaturæ, Sacerdotum precibus benedictæ.

Cap. 22. *Vt apparet ex Schedula Sua Maiestatis*: Hanc Schedulam allegauit Toribius, vt ostenderet quanta penuria pecuniarum premeretur Rex, vt populus, ea considerata, promptius illi contribueret. Sola illa classis bellica non multo priùs in Angliam directa, vt Regnum illud ad Catholicam fidem reduceret, quam Elisabetha Regina sæuè premebat, exemplo esse posset, cuius sumptus ingentes esse oportuit: & tamen, nec incepto quidem conflictu, tota perijt. Sed nos integram Epistolam describemus, vt appareat, quan-

quantum operæ, & industriæ ad Catholicorum Regnorum cõseruationem contulerit Noster Toribius, antequam eam acceperit, & quam gratum Regi fuerit ipsius in ea re studium.

El Rey. Muy Reuerendo in Christo Padre Arzobispo, de la Ciudad de los Reyes, de las Prouincias del Peru, de mi Consejo. Por cartas del Virrey Marques de Cañete he intendido, de quanta ymportãcia a sido vuestra ayuda, traza, y buenos medios, paraque con tanta concordia, amor, y fidelidad se ayan recibido los arbitrios, de que a sido farzoso vsar, para tener conque poder defender, y conseruar essos Reynos, sin auerlo podido excusar. Tanta es la necessidad, enque me hallo, gastado, y cõsumido mi patrimonio en defensa, y amparo dela Christiandad. y como quiera que esto es muy proprio de vuestra obligacion, y muy conforme a la satisfacion que rengo de vuestra persona, os lo agradezco, y ternè memoria deste seruicio, para hazeros merced, en lo que rocare a vuestra honra, y acrecenramienro. De San Lorenzo, a once de Agosto, de mill, y quinientos, y nouenta, y tres annos.

Yo el Rey.

Per mandado del Rey nuestro Señor.

Iuan de Ybarra.

Cap. 5. [a] *Quoniam per Gregorij XIII. diploma*. Huius diplomatis meminit etiam Solorzanus de Iure Indiarum, tom. 2. lib. 3. cap. 24. n. 29. & sequentibus citans confessionarium Concilij Limensis anni 1583. cum ergo tùm ex hoc capite Synodi, tùm ex confessionario apud Solorzanum constet, hoc Pontificis Gregorij diploma in Concilio illo anni 1583. visum esse, corrigendus est error Notarij, ex cuius actis Hispanicis nos Synodum latinè descripsimus, circa annum dati diplomatis: Nam cum Concilium anno 1582. die 15. Augusti inchoatum, & anno sequenti 1583. die 18. Octobris vltima eius actio publica celebrata fuisset, nõ poterat videre diploma datum Romæ primo Nouembris eiusdem anni. Reponendum ergo, datum fuisse diploma an. 1582. vel 1581. aut alio veriori, per illos, quibus id inspiciẽdi copia fuerit, qua ego careo. Vt notare oportuit ne mihi ipsi hic error imputaretur. Imo suspicor pro Paulo III. superiùs inter priuilegia Indorũ, debere reponi Gregor. XIII.

Est tamen quod hic aliquis aduertere possit, cùm in eodem Concilio Prouinciali act. 2. cap. 17. vniuersim concedatur Parochis, & approbatis Indorum confessarijs, vt ab omnibus casibus Episcopo reseruatis, & censuris annexis absoluere possint. Et inter priuilegia Indorum superiùs pag. 112. habeatur, vt à Paulo III. concessum, quòd Indi per ipsorum Parochos, vel eos, qui ipsorum curam agunt, possint absolui ab omnibus etiam Summo Põtifici reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis: Cur nihilominus Archiepiscopus hoc loco iubet, vt Parochi, quando opus fuerit vti hoc Gregor. Pont. diplomate, ipsum certiorem faciant; quid enim opus est recursu ad Episcopum, vel propter casus ipsi Episcopo reseruatos, cum Concilium prouinciale concedat Parochis, & approbatis confessarijs, vt ab omnibus casibus reseruatis, & à censuris annexis per se absoluere possint, vel propter casus reseruatos Summo Pontifici, cum Paulus III. eos casus concesserit immediatè Parochis, & alijs qui Indorum curam gerunt.

Sed facilè his respondemus, imprimis hic non agi de casibus Episcopo reseruatis: & si ageretur, ratio in prõptu est ex illo ipso cap. 17. Concilij Prouincialis, in cuius vltimis verbis prouisum est, vt liceat Episcopo aliquibus Parochis hanc facultatem restringere, cum ei videbitur expedire. Quomodo autem restringet nisi monitus nouerit, & personam Parochi, & culpam delinquentis?

Nunc ergo cum hic tantum agatur de absolutione eorum, quæ in Gregor. Bulla exprimuntur, & Pontifex nonnisi Archiepiscopis, Episcopis, & ab eisdem designandis eorum absolutionem concedat: meritò Toribius Archiepiscopus, & Parochi personam, & peccati speciem scire voluit, vt sciat an

an prioris prudentia, vel doctrina cum posterioris qualitate proportionem habeat, ad imponendam pœnitenti salutarem, & condignam pœnitentiam.

Quod autem ad Pauli III. priuilegium attinet, si non me fallat opinio, non Paulus III. sed Gregorius XIII. dici debuit, & priuilegij circumstantiæ diligentiùs exprimi, vt in hoc Synodi cap. & apud Solorzanum fit; ita vt, pro *Parochis, & alijs qui Indorum curam agunt* dici oportuerit: *Archiepiscopi, Episcopi, & quos isti ad absoluendum destinauerint*. Moueor, quia ex hoc ipso capite Synodi, & confessionario apud Solorzanum constat, Gregorij diploma in Concilio visum fuisse, & inter Indorum priuilegia referri iussum; & tamen in hac materia nulla est mentio Gregorij inter priuilegia, sed vt ego quidem opinor ex errore Paulus pro ipso allegatur. Rursus nec in hoc capite, nec apud Solorzanum, qui rem ex professo, & prolixè tractat, vlla est mentio Pauli, vel huiusmodi eius priuilegij, sed solius Gregorij.

SYNODVS IX.

DIOECESANA.

Celebrata in Ciuitate Regum, die xvi. mensis Iulij, Anno MDCII.

EXciderunt hic Synodi tres, scilicet anni 1596. 1598. & 1600. Nam celebratas per Toribium fuisse tredecim, vel quatuordecim Synodos, & tria Concilia prouincialia scribit Antonius à Leone cap. 6. & 9. vitæ Toribij. Et ipse Archiepiscopus in Relatione visitationis Liminum ad Clementem VIII. Pont. missa 14. Aprilis anno 1598. apud eundem Ant. à Leone cap. 6. citato refert se cum alijs præcedentibus celebrasse Synodum anni 1596. quæ cum duabus sequentibus in authographo nostro desunt, & conuocasse ad alias seruato interuallo biennij iuxta indultum Gregorij XIII. Censendum est ergò ipsum eas celebrasse; tum ob exactissimam Serui Dei in cæteris vigilantiam, & obseruantiā talem, vt etiam inter visitandam Diœcesim, ne statuto tempore Synodos omitteret, ipsas in pagis, vel oppidulis celebraret; tum propter modum, quo procedit in sequenti initio Synodi anni 1602. vbi eodem modo de biennio indulti loquitur, quo solet post celebratam biennio prius præcedentem Synodum, nec vllam mentionem facit alicuius intermissæ Synodi: quod non fecisset, si intermisisset: sicut nec fecit, quando Concilium iij. prouinciale vsque in decimum annum dilatum fuit. Nam in eius decreto præparatorio causas omnes dilationis exposuit, idem omnino hic facturus, si talis dilatio præcessisset.

NOS D. Toribius Alphonsus Mogrouejus Diuina miseratione, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus horum Regnorum, & Prouinciarum Peruuiæ, Domini nostri Regis Consiliarius, &c. Obligationi nostræ satisfacere cupientes, Synodum Diœcesanam, iuxta sacrum Concilium Tridentinum, singulis annis celebrandi, & iuxta diploma Gregor. XIII. fel. record. in quo, speciali gratia & fauore, Nobis concedit, vt quamdiù vixerimus, satisfacere possimus, dictam Synodum singulis biennijs celebrando: conuocauimus charos fratres nostros, Decanum & Capitulum nostræ sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Ciuitatis Regum, nostrosq; Parochos, & Vicarios, cæterasq; personas Ecclesiasticas & sæculares, quæ de iure, vel consuetudine tenentur interuenire, & assistere dictæ Synodo nostri Archiepiepiscopatus, qui de iure vocari debeant; cuius Synodi conuocatio fuit ad vigesimum sextum diem mensis Iunij, anni præsentis 1602. infra octauam S. Ioannis Baptistæ, sub vesperas S. Leonis Papæ & Confessoris. In qua Synodo ordinauimus, & statuimus Constitutiones sequentes; quas volumus, & præcipimus obseruari, & adimpleri, secundum quod, & eo modo, quo in eisdem continetur.

Obli-

Cap. I.
Oblationes defunctorum non fint ficta.

QVòd in oblationibus,& memorijs, quæ pro defunctis fiunt, * *non apponantur facci palearum*, nec lagenæ aquæ; vel aliæ res, quæ in specie non compleant.

II.
Arcana confeßionis non curiosè inquirenda.

QVòd nemo Ecclesiasticus, vel sæcularis immisceat se interrogandis Indis, quid sanè porrò cōfessi fuerint, vel inquirendo, aut cognoscendo, cur orent, aut oblationes dent, vel Missas celebrari curent; directè vel indirectè, scire studentes, si illa per viam pœnitentiæ, vel tanquam in confessione ijs iniuncta faciant.

Cap. III.
Mendicorum animæ curandæ.

QVòd noster Prouisor, & Parochi in hac Ciuitate Regum, cæteriq; Parochi, & Vicarij nostri Archiepiscopatus immatriculari faciant pauperes Indos, & mendicos, etiam extraneos, vt confiteantur, & in reliquis obligationi suæ satisfaciāt.

Cap. IV.
Piarum voluntatum executio.

QVòd Collector Missarum, aliquo moriente, extrahat notam omnium piorum operum, & suffragiorum, quæ defuncti in suis testamentis reliquerint, clausulas authenticas describendo, eamq; notam in hac Vrbe tradet nostro Prouisori, & alibi, Vicarijs Prouinciarum, vt vltimarum voluntatum adimpletio curetur. Et has notas in libro conscriptas habeat, vt rationes per eas ineantur, conferendo sumptus funerum parochialium.

Cap. V.
Ab oblationibus nemo dehortandus.

QVòd cùm Indi Dominicis & festiuis diebus liberè offerunt, nemo Hispanus, vel alius eos impediat, seu directè, vel indirectè perturbet; sed potiùs eis exponant, quàm bonum opus sit eleemosyna, eosque ad eam, idq; ex animo, & libera voluntate faciendam excitent.

Cap. VI.
Prophanæ picturæ à Templis arcendæ.

QVòd Ecclesiæ prophanis gentilium, aliorumuè imaginibus non ornentur, vel appendantur in eis eiusmodi picti tapetes.

Cap. VII.
Hospitalium administratores.

QVòd qui in posterum gesserint, vel nunc gerunt curam Hospitalium, vel bonorum eorundem, tàm in Indorum, quàm in Hispanorum oppidis. Nos eos nominamus eorundem Hospitalium & bonorum ad ea spectantium Administratores. Circà quod, ineundo cum eis rerum rationes, & sumendo ab eis iuramētum, quod præstare debent, & circà tempus, quo eam administrationem exerceant, cæteraq; his annexa, vel

ea concernentia, per Iudices nostros Ecclesiasticos ad quos pertinebit, obseruetur Constitutio Clementina, *Quia contingit*, de relig. dom. & sacri Concil. Tridentini. Dictiq; Iudices eos pro eiusmodi Administratoribus nominabunt, cùm visitantur Hospitalia, & eorum bona, ac eorum rationem ab ipsis exigent.

Sess. 25. de reform. cap. 8.

Cap. VIII.
Mendicatio non locanda.

QVòd causa petendi eleemosynas pro Ecclesijs, Confraternitatibus, vel alijs rebus, non fiant pacta, vel conuentiones locationis, cum illis, qui eas petituri sunt; sed vt eædem eleemosynæ petantur, & fiant absque vllo genere scrupuli consciẽtiæ, vel alio, quod malè sonet.

Cap. IX.
Periculosæ deuotiones tollantur.

QVòd noster Prouisor, vel alij nostri Iudices Ecclesiastici nec locum dent, nec vllatenùs permittant, vt, vel [a] *noctu, vel interdiù, in vesperis, aut festo die* Sancti Ioannis, vel alijs, fiant altaria in priuatis domibus, in hac parte penitùs extirpãtes consuetudines desuper introducendas, & superstitiones, & offensas, quæ contra Deum nasci possunt, intrantibus in eas domos hominibus laruatis, & alieno amictu transformatis. Nullaq; persona Ecclesiastica, vel sæcularis accommodet ornamenta, imagines, vel alias res, ad paranda eiusmodi altaria. Et Parochi hanc Constitutionem in suis parochijs publicari facient, vt nemo prætendat eius ignorantiam.

Cap. X.
Cautio ad matrimonia Indorum.

QVòd quando Indorum Parochi quempiam iuncturi sunt matrimonio, priùs inspiciant librum Baptismi, & cùm ex eodem libro non apparuerit, ipsum fuisse baptizatum, fiat, quæ fieri poterit inquisitio de ipsius baptismo, & in clausula, qua scribetur eius matrimonium, exprimatur, quomodo de baptismo constet, cum relatione ad inquisitionem de eo factam, & ad testes, & patrinos, vtrosque nominatim exprimendo.

Cap. XI.
Oblationes in die defunctorum.

QVòd Parochi doctrinarum non iubeant Indis, vt ferant oblationes omnium Sanctorũ ante diem commemorationis Defunctorum, sed in hoc seruentur laudabiles consuetudines Ecclesiæ.

Cap. XII.
De celebratione Missarum.

QVòd cum Parochi excesserint circa eleemosynas Missarum, & Confraternitatũ, accipiendo plus quam per Constitutiones huius Archiepiscopatus præscriptum est, vel cogendo ipsos ad acquirendam pecuniam, seu directè, vel indirectè vim ad id inferendo, vel alio modo cogendo, vt eos Missas celebrare faciant: Tunc nostri Visitatores, & Vicarij possint reuocare & reuocent cùm ipsis expedire videbitur, dictas Confraternitates, & celebrationem illarum Missarum, siue cantentur, siue recitentur, vel iungantur Vigi-

Synod. VII. Diœcesana cap. 28.

liæ ad liberam voluntatem eorum, qui eas celebrari faciunt, & non ad voluntatem Parochorum.

Cap. XIII.
De eleemosynis Missarum.

QVòd Parochi non compellant Indos, vt eleemosynas Missarum, vel Cōfraternitatum ipsis dent, non in comestibilibus, piscibus, ouis, lignis, vel alijs rebus, sed quòd satisfaciant per eleemosynam pecuniariam, quæ colligitur diebus Dominicis, & festiuè colendis: Nec ipsos cogant ad largitiones, & contributiones inter Indos faciendas, neque quòd plures Missas dici curēt, quàm ex collectis eleemosynis fieri possit.

Cap. XIV.
De decimarijs.

QVòd quando decimarij venerint, ad colligendas Indorum Decimas, ostendant priùs scripturas & sufficientia mandata eorum, qui ea dare possunt, ad illas decimas obtinendas, eaq; præsentent Parocho, qui in dicta collectione illis assistet.

Cap. XV.
Visitatores examinent sententias latas per Iudices.

QVòd Visitatores à Vicarijs, & Iudicibus Ecclesiasticis exigant rationem processuum, quos fulminauerint, & sententiarū quas tulerint.

Cap. XVI.
Acta secum ferant.

QVòd Visitatores secum deferant acta visitationum, inquisitionum, & sententiarum, quæ compacta fuerint, vt videatur, an reinciderint in delicta, & res, de quibus moniti, & instructi sunt.

Cap. XVII.
Reseruatur absolutio fraudantium loca pia.

QVòd Nobis reseruamus absolutionem Correctorum, Oeconomorum, Administratorū, & aliorum quorumcūq; Ecclesiasticorū & secularium; exceptis Indis, Mulatis, & Aethiopibus, qui in suis prædijs & laboritijs insumpserint, vel directè, aut indirectè, per se, vel per interpositas personas, occupata detinent bona fabricarum, Hospitalium, Confraternitatum, Capellarum, aut piorum locorum, ita quòd nullus Sacerdos, absque nostra licentia, illos absoluere possit. Et Visitatores, Vicarij, & Parochi istam Constitutionem publicari faciant, & in eorum notitiam deuenire ad quos pertinebit, & etiam Confessariorum, ne quisquam prætendat ignorantiam.

Cap. XVIII.
Tabacum ante communionem nemo sumat.

QVòd personis sæcularibus prohibetur, [a] *ne ante communionem*, per os, vel nares, sumant fumum, aut puluerem tabaci, vel sayræ, etiam sub prætextu medicinæ, quemadmodum Sacerdotibus priùs constitutum est.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 3 cap. 24.

Cap. XIX.
Aqua ex calice, laicis ne detur.

QVòd cum sęculares communicant, Sacerdotes non porrigant ipsis aquam per calicem; sed quòd in Ecclesia sit aliud vas ad hoc destinatum.

Cap. XX.
De osculo altaris.

QVòd Sacerdotes dum celebrant, vbi in rubricis Missalis pręscribitur osculum arę, non osculentur calicem loco altaris, sed in hac obseruent rubricas Missalis noui.

Cap. XXI.
Pœna Clericorum qui lucris intendunt.

QVòd Visitatores & Vicarij Oppidorum Hispanicorum, & eorum singuli in solidum in suo districtu possint amouere, & auferre Fiscales, & Sacristanos, aliosque Ministros doctrinarum Indicarum, qui se occupauerint in congregandis Chinensibus ad fila torquenda, vel pueris & alijs Indis ad conficiendas storeas, tuguria, vel ad sationes, aut prædia, aliasue res ab ipsorum cura alienas, & ei inconuenientes: Et ipsorum loco collocare alios Dei obsequio idoneos.

Cap. XXII.
Parochi corporales pœnas non exigant.

QVòd Parochi in castigationibus, quas ex præscripto Constitutionum synodaliũ Indis inflicturi sunt, nullum corporale damnum, vel detrimentum illis inferant.

Cap. XXIII.
Potus ex ficubus interdictus.

QVòd Iudices Ecclesiastici, & Parochi non permittant vel locũdent, vt Indi conficiant [a] *potum ex ficubus*; nec vt vllus eum vendat.

Cap. XXIV.
De eleemosyna Missarum.

QVòd Sacerdotes vna die ab illis, qui Missas eo die dici sibi volunt, non accipiant nisi eleemosynam, seu pitantiam vnius Missæ tantùm. In quo ipsorum conscientias oneramus, vltra quòd, qui plures acceperint, seuerè castigabuntur.

Cap. XXV.
Cautio matrimoniorum.

QVòd caueant Parochi, ne vnam personam pro alia matrimonio iungant, dum fictè mutant nomina, ad decipiendum in hac parte Parochum: sed omnem adhibeat diligentiam, & necessarias probationes in matrimonijs celebrandis.

Cap. XXVI.
Officia Sacristani.

QVòd Sacristani maximopere studeant Ecclesiarum, altarium, aliarumq; suæ curæ rerum nitori & munditiei: & Parochos comitentur, cùm Sacramenta ministrant, & Missas dicturos ad induendum se iuuẽt. Et noster Prouisor, ac Iudices in transgressores inquirant.

Vt

Cap. XXVII.
Vt assistant Sacramenta ministrantibus.

QVòd quando Parochi exibunt ad ministranda Sacraméta Viatici & extremæ vnctionis, alij, qui eos associantur, incedant cum debita deuotione, non distracti in discursus & confabulationes, nec alias res ab eo, quod facere pergunt, alienas.

Cap. XXVIII.
Visitatio non relinquatur imperfecta.

QVòd Visitatores, antequam ab Oppidis discedant, terminent, & per sententiam, cum omni possibili celeritate & breuitate, absoluant causas sibi per sententiam absoluere permissas, circa visitationes, earumque expeditionem, & procuratioñe, obseruando Decreta sac. Conc. Trid. & nostri Prouincialis anni 1583.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 4. cap. 1. 2. &c.

Cap. XXIX.
De pœnarum impositione.

QVòd pœnæ transgressoribus imponendæ, sint ad arbitrium Iudicis, qui causam terminauerit; præter eas, quæ per Constitutiones Prouinciales determinatæ, & certis delictis inflictæ sunt.

Cap. XXX.
Pecunia pia citò reponenda.

QVòd Administratores, Oeconomi, cæterique, in quorum potestatem deueniet pecunia ad Hospitalia, Ecclesias, Confraternitates, Capellas, & alia loca pia, & Seminariū pertinens, ante tertium diem, postquam dictam pecuniam recuperauerint, & in ipsorum potestatem peruenerit, ipsam reponant in arcam trium clauium ad hoc destinatum. Et quod Confraternitatum Aethiopum, Indorum, & Mulatorum Oeconomi, in quorum potestate fuerit illa pecunia, nihil eius expendant sine assensu & licentia nostri Prouisoris in hac Ciuitate Regum, & Vicarij, vel Parochi in alijs locis.

Cap. XXXI.
SS. Sacramentum quo ritu deferendum.

QVòd quando deferetur Sanctissimum Sacramentum, id cum velo, conopeo, cereis accensis, thuribulo fumigante, cruce, campanula, corporalibus, ara, & aqua benedicta fiat. Et sit præparatum altare, & locus decens, in quo reponatur, & vnde ministretur infirmo. Et Sacerdos indutus sit superpelliceo, stola, & mozzetta. Vel quando cætera habere commodum non fuerit, tum Sacerdotes superpelliceum & stolam aliaque, quæ poterit, adhibeãt.

Cap. XXXII.
Epistolæ figuratis hostijs non claudantur.

QVòd non fiant hostiæ ad Epistolas, crucibus & Sanctorum imaginibus claudendas: neque quispiam eis ad hunc effectum vtatur.

Li-

Cap. XXXIII.

Libelli contra Clericos, quando & quomodo accipiendi.

Libelli supplices, qui Visitatoribus contra Clericos porriguntur, porrigentium nominibus subscripti sint; nec aliter à Visitatoribus accipiantur, nec nisi dentur intra terminum visitationis.

Cap. XXXIV.

Habeatur cura Clericorum inopum.

QVòd adhibeatur cura nominandi Clericos pauperes, & egenos in comitiius funerum; & Missæ illis commendentur, alijsq; qui Ecclesiam frequentant, & eidem inseruiunt.

Cap. XXXV.

Præiudicia Parochis non fiant.

QVòd in Hospitalibus, & Monasterijs Monialium, & Sacellis non sepeliantur ipsorum Sacellani, vel alia persona; nec vigilias aut Missas, aut funeralia in eis celebrentur, non priùs monito ipsorũ Parocho. Et nullus sæcularis efferat corpora sepelienda ad alias Ecclesias, extra ipsorum parochiam, non priùs pariter monito proprio Parocho. Nosterque Prouisor & Iudices contra transgressores procedent.

Cap. XXXVI.

Sacerdotes non sine bireto ad aram procedant.

QVòd Sacristani, cæterique, quorum erit paramenta præbere Sacerdotibus ad celebranda sacra, non ijs dent, qui non adferent bireta, quibus capita tecti ad altare procedant.

Cap. XXXVII.

Ex præscripto Missalis osculanda manus Sacerdotis.

QVòd in casibus, in quibus Missale Romanum nouum præscribit, vt osculentur Sacerdoti manus, non porrigantur manipulus, aut stola, vel casula ad osculum præ manu excipiendum.

Cap. XXXVIII.

Funeralium rationes vt excipiendæ.

QVòd Parochorum quispiam assistat rationibus pro funeralibus reddendis.

Cap. XXXIX.

Sacristani habitent iuxta Templa.

QVòd Sacristani degant propè Ecclesias, quarum sacrarij curam habent, vt ingruentibus necessitatibus præstò sint.

Cap. XL.

Colores mutandi curam gerant.

QVòd Parochi studeant, vt suppetant paramenta diuersorum colorum ad celebranda sacra, prout Missalis noui Rubricæ, pro diuersis intra annũ temporibus præscribunt.

Cap. XLI.

Visitatorum Notarij sint Clerici.

QVòd Visitatoribus iniungitur, vt in visitationibus quas fecerint; adhibeant Notarios Clericos, & non

& non Laicos, cùm id poterunt, & quòd sint personæ quæ conueniant.

Cap. XLII.
Syndicatio Visitatoribus danda.

QVòd Visitatoribus constituatur sindicatio officiorum, & munerum, quæ gerunt, vbi expedire videbitur, assignando eis terminum competentem.

Cap. XLIII.
Clerici Decimas nec locent, neque conducant.

QVòd Parochi doctrinarum Indorũ non locent Decimas suarum doctrinarum, per se, nec per interpositas personas, propter damnã spiritualia, corporalia, & temporalia, & occupationes quæ inde sequi possent, iuxta Concilium Prouinciale anno 1583. & Schedulam Regiæ Maiestatis datam Valisoleti die 10. Februarij 1607. cæterique Clerici seruabunt dispositionem iuris, ne fiant conductores, attendentes ad id, quod in hac materia graues, doctiq; viri resoluunt de Clericis locantibus Decimas.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 3. cap. 11.

Cap. XLIV.
Declaratio Constitutionum Antistiti reseruata.

QVòd in dubijs circa hãc, vel alias Synodos per Nos celebratas, eorum solutio, & declaratio Nobis reseruata sit.

Cap. XLV.
Parochi & Vicarij habeant Constitutiones.

QVòd omnes Indorum, Hispanorumq; Parochi, & Vicarij habeant hanc Synodum authenticatam per Baccalaureum Didacum de Morales, Not. publ. nostrum, & non per alium quemcunq; Notarium, quamuis etiam noster sit, interim, dùm aliud per Nos dispositum non fuerit, intra octo menses primæ publicationis eiusdẽ Synodi, vel priùs, si priùs poterunt, sub pœna, quòd cum toto rigore iuris, & ad exemplarem demonstrationem, contra ipsos procedetur.

Cap. XLVI.
Potestas delegata eas exequendi.

NOstris Prouisori, Visitatoribus, Vicarijs, & Parochis, cæterisque Iudicibus Ecclesiasticis, quibus huius Synodi Constitutiones ordinauimus, & in illa contentum iniunximus, licentiam damus, & committimus vices nostras, ad omne id, & ei annexum, vel ab eo dependens: Et vt Notarios, Fiscalem, & reliquos necessarios ministros nominent: & vt cum omni iuris seueritate procedant; etiam, cùm opus fuerit, per censuras: & ad fulminandum causas in omnibus quæ præcedentes Synodos, vel istam illis prohibita non fuerint, quantum de iure possumus; ita, vt in omnibus exoneretur conscientia, ac Deo debitum præstetur obsequium.

Exa-

Cap. XLVII.
Examinatores beneficiariorum.

SAcri generalis Concilij Tridentini, &c. *vt in Synodo præcedenti cap.* 45. in hac Synodo nominamus Examinatores beneficiorum & doctrinarum, Doctorem D. Ioannem Velasquez Archidiaconum, Doctorem D. Matthæum Gonzales de Paz Scholasticum, Doctorem D. Stephanum Fernandez Vozmedianum Cantorem, Doctorem Antonium de Molina, Doctorem D. Ioãnem Diaz de Aguilar, & Licentiatũ Bartholomæum Menacho, D. Ferdinandum Guzman, Doctorẽ Andream Diaz de Albrego, & Canonicum Christophorum Sanchez de Benido, & Licentiatum Ioann. Garces de Andrada Pensionarium, & Beneficiarios Ioannem Sanchez de Prado, Ioann. de la Roca, Benedictum Fernandez, & Alphonsum Menacho, Doctorem Alphonsum de Huerta, & Cathedraticum, qui est vel fuerit, linguæ generalis in vniuersitate huius Ciuitatis.

Cap. XLVIII.
Iudices Apostolici.

IVxta Decretum sac. Concil. Tridentini, &c. *vt in Synodo præcedenti cap.* 46. Iudices Apostolicos nominamus, Doctorem D. Petrum Muñez Decanum, Doctorem Ioannem Velasquez Archidiaconũ, Doctorem D. Stephanum Fernandez Vozmedianum Cantorem, Doctorem D. Matthæum Gonzales de Paz Scholasticum, D. Christophorum Medel Thesaurarium, Dignitates nostræ sanctæ Ecclesiæ huius Ciuitatis Regum.

Cap. XLIX.
Testes synodales.

SAncti Patres iustè & sanctè, &c. *vt in Synodo præcedenti cap.* 47. *per totum caput.*

Hortamur proindè, requirimus, & præcipimus omnibus, & quibuscunque personis Ecclesiasticis, & sæcularibus; existentibus, & habitantibus in hoc nostro Archiepiscopatu, ad quas supradicta pertinebũt, quòd à die primæ publicationis Constitutionum huius Synodi, ac deinceps, eas pro talibus Constitutionibus Synodalibus nostri Archiepiscopatus teneant in omnibus & per omnia, nec earum tenorem & formam vllatenùs excedant: Eosdem admonentes quòd contra transgressores cum tota iuris seueritate procedetur, etiã, cùm opus fuerit, per censuras. Et omnia supradicta prouidemus, & ordinamus per viam Constitutionum synodalium, & reformationis, & per omnem aliam meliorem viam, per quam de iure possumus. Et præcipimus vt publicentur & legantur in nostra sancta Ecclesia Cathedrali, & in reliquis partibus, quibus conueniet; & vt nostri Vicarij faciant eas publicari in suis districtibus, & habeant vim & vigorem Constitutionum synodalium, quæ Nos illis damus, quantum ad earum validationem requiritur.

Abso-

Absolutæ sunt istæ Constitutiones ad honorem & gloriam Dei Domini nostri, die 16. mensis Iulij, Anno 1602.

gratis. *T. Archiepiscopus Regum.*

De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.

Baccalaureus Didacus de Morales.

Indictio futura Synodi.

NOs D. Toribius Alphonsus Mogrouejus, &c. *vt supra eodem tenore cũ litteris Conuacatorijs quintæ Synodi in fine Synodi quartæ pag.* 273. *præterquam quòd decima nunc futura Synodus conuocetur* ad diem decimam sextam mensis Iulij, anni 1604. *Diem triumphi sanctæ Crucis* ad Ciuitatem Regum. Dat. die 16. mensis Iulij, anno 1602.

gratis. *T. Archiepiscopus Regum.*

De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.

Baccalaureus Didacus de Morales.

Notæ in Synod. IX. Diœces.

CAp. 1. ¹ *Non apponantur sacci palearum, &c.* Casus non alibi vsitatus, adeòq; non facilè intelligendus est: Quòd in Hispania, & inde per Indias in funeribus & anniuersarijs, menstruisq; memorijs animarum, & in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, ipsorum superstites amici adferant oblationes ad feretra, vel sepulchra defunctorum, easque ibi ad pompam relinqui volunt, donec adueniens Sacerdos absoluat officia, responsoria, Missas, vel alias preces ad petitionem offerentis, vel consuetudinem Ecclesiæ, pro æterna requie defunctorum. Consistunt istæ oblationes in cereis candelis, panibus, nummis, lagenis vini, saccis frumenti, & si quæ similia. Fiebat autem abusus, vt vel ipsi offerentes loco frumenti adferrent in saccis paleas, & loco vini aquam, vel vacuas lagenas ad pompam adornandam: vel certè Sacerdotes, aut Sacristani, priusquam inchoabatur officium, repositis apud se oblationibus, lagenas vacuas, vel aqua repletas, & saccos palea turgidos apponebant ad sepulchra. Et hoc est, quod bona ratione prohibetur hoc capite; quoniam prior actio erat illudere Deo per fictas oblationes, & scandalizare reliquum populum, qui hoc exemplo vanissimæ pompæ retrahi poterat à sacro, & viuis, ac defunctis vtili instituto veræ oblationis, & charitatis erga suos defunctos. Posterior autem offendit offerêtes, qui volunt, vt ipsorum oblatio prostet ad sepulchrũ donec absoluatur officium, ne viderentur maiorum obliti, vel erga eos impij esse, contra morem patriæ.

Cap. 9. ² *Noctù, vel interdiù, in vesperis, aut festo die, &c.* Hinc Episcopi, etiam alicubi in Europa, vbi ad speciẽ ornatæ imaginis cuiusdã personæ san-

ctæ, in eius vigilia, & festo per integrã noctem, & diem, ad tibias, & fistulas, conuiuia, compotationes, choreas conueniunt in domibus priuatis omnis ætatis, iunioris præsertim viri, & fœminæ, occasionem, & exemplum habent, vt benè considerent, an aliqua superstitio, vel sacræ imaginis, vel festiuitatis irreuerentia, vel antiquæ deuotionis modernus abusus sit, aut an impediatur vera deuotio, quæ in sacrificio, & synaxi, in confessione peccatorum, in auditione verbi Dei, in eleemosynis, in ieiunio, & oratione consistit. Quibus & Sanctos, & Deum nobis deuincimus, perq; eorum negligentiam non parùm offendimus: *Sic enim Sanctorum glorificationi congaudet Ecclesia, vt eorum proponat sequenda vestigia*. Aug. ser. 44. de Sanctis, & serm. 47. *Ab ipsis Sanctorum Martyrum in veritate festiuitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum martyrum exempla sequuntur.* Et iterum: *Qui Sanctos Martyres in quãtum potuerit, imitari noluerit, ad eorundem beatitudinem venire non poterit*. Multa, & pulchra Greg. tom. 3. serm. 1. de Martyribus. Vel ergo Sanctorum solemnitates sũt, & vt tales agantur: vel non sunt, & è medio tollantur, nè in prophanis spectaculis blasphemetur venerabile nomen sanctitatis, aut malè ædificentur aduersatij Catholicæ religionis, dum cultum Sanctorum in delitias amicorũ prorsus conuerti apud Catholicos videant:

Cap. 18. [a] *Ne ante communionem, &c.* Ex malis moribus non rarò nascuntur bonæ leges, dum earum necessitas magis innotescit. Nos loco ad marginem huius capitis citato satis notauimus de abusu tabaci in Sacerdotibus celebraturis, & quæ Concil. Mexicanum statuit etiam contra eos laicos, qui ante sacram communionem illud sumerent: Vidit Archiepiscopus Limanus eandem vbique esse rationem, illamq; suam in Concilio Prouinciali constitutionem ideò hic ad laicos communicaturos extendit. Sed cum etiam in choro sua adferat incommoda, dum vnus alteri pixidem porrigit, fit complementum mutuæ salutationis, vterque sumit, & sternutat, reliqui sternutantibus nutu saltem benè ominantur, subrident nonnunquam, omnes deniquè à diuinis distrahuntur, & fiunt excreationes nec suaues auditu, nec visu gratæ, dum puluis etiam in cappas & superpellicea spargitur, laici non ædificantur. His fortè considerationibus, vel si alijs motus nuper propè Vrbem Eminentissimus, & Reuerendissimus Iulius Cardinalis Spinola, Sutrinus, & Nepesinus Episcopus in exactissimis, & eruditis Constitutionibus suæ Synodi Diœcesis Sutrinę an. 1671. tit. de horis canonicis c. 10. inter alias regulas officium diuinũ in Choro soluendi, hanc etiam habet: *Nec tabacebi puluerem sumant*. Sequentur fortè alij Antistites eiusdem zeli circa cultum diuinum: at longè ampliorem, magisq; seueram eius prohibitionem habet Synodus magnæ Canariæ celebrata anno Christi 1628. & Madriti impressa anni 1629. Constit. 9. de vita, & honestate Clericorũ, his verbis, sed Hispanicè: *Item ordinamus, vt nullus Clericus ante Missam dicendam, nec per duas horas post dictam, sumat tabacum. Nec illi, neque laici vnquam in Ecclesijs, sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, & mille maripetinorum, singulis vicibus*.

Non omittam non inelegans argumentum, quod ex Indianis his Synodis cõtra eiusmodi abusum tabaci notauit Ant. à Leone Pinellus in libro de Chocolate par. 2. fundam. 3. §. 4. n. 17. quòd nimirum, cùm nos Europæi tabaci vsum ab Indis didicerimus, cur eius abusum corrigere ab ijsdem non discamus, sed fortè, quia

----- facilis descensus auerni

Sed reuocare gradum ----- 6. Aneid. num. 126.

Hoc opus, hic labor est -----

Cap. 23. [a] *Potum ex ficubus, &c.* De his potubus, seu potabilibus liquoribus Peruuianorum toties antè mentio in his Toribij Mogroueji monumentis facta est, vt ego vehementer cupierem aliquem habere Scriptorem, qui ipsorum naturam & vsum ampliùs declararet. Casu nunc tandem in manus venit liber, seu quæstio moralis Antonij de

de Leone Pinelli, de Chocolate, vbi occasione huius potus, de reliquis ferè omnibus tractat, docetq; plura, quæ Toribij nostri de his liquoribus constitutiones multa ratione, grauiq; fundamento nixas comprobant. Aliqua eo libentiùs describo, quòd ipsius Toribij mentionem cum laude habeant, & nostras aliàs coniecturas solida veritate confirment. Ea libenter darem latinè, si aliorum festinatio id fineret, nō mea, qui malui semper cunctādo perfectiorem prolem, quàm festinando cœcos parere catulos. Pinellus ergò par. 2. fund. 3. §. IX. sic ait.

§. IX.

De la Chicha del Perù, y sus especies.

LOs Yndios de las Prouincias del Perù por no carecer de bebidas artificiales, ynuentaron algunas de que vsaban, y vsan hasta oy, con tanto excesso, que ha sido necessario darles modo, y ponerles tassa, y limitacion; porque siendo, como es, la principal, que vsan de maiz, suelen en vna fiesta gastar, quanto han cogido, y tienen para sustentarse todo el anno, quedando despues tan faltos de comida, y bebida, que se enflaquecen, y sujetan a mil enfermedades, como lo conocio, y procuro remediar a quel gran Virrey, y legislador del Perù Don Francisco de Toledo en varias ynstrucciones, que dio, y ordenanças, que hizo, y en las particulares, del modo de vender estas bebidas a los mismos yndios, que las hazen, si bien nada ha bastado, ni el estar auertido por cedulas Reales, y nueuas ordenanças de Virreyes, para que se escusen las borracheras: (por este termino hablan todas las ordenes:) que assi en las juntas, y fiestas, como fuera dellas hazen, y de que resultan muchas ydololatrias, y supersticiones. Y assi en constituciones, que para la extirpacion dellas dexan los Visitadores de la ydololatria en los pueblos, es vna, que el cura guarde las prouisiones, que contra las borracheras, y *Chicha* estan despachadas, como consta del Padre Pablo Iosef de Arriaga, que en otro lugar dice, que la principal ofrenda, y la mayor parte de los sacrificios de aquellos Yndios es la *Chicha*, que por ella, y con ella comiençan todas la fiestas de las [a] *Huacas*, que sō sus ydolos, en ella median, y en ella acaban, y es el todo. y assi tienen para hazerla ministros, y supersticiones particulares: y si es para las *Huacas*, el que la haze se llama *Azuac*, ò *Accac*: en los llanos se eligen para esto hombres, y en la sierra mugeres, y en algunas partes han de ser donzellas, como el mismo Padre Arriaga lo affirma. y se refiere en las ordenanças, que para los Corregidores de naturales hizo el Virrey Conde del Villar.

[a] al. Guacas.

Esta bebida pues, que generalmente en el Perù se llama Chicha, se haze de varios granos, y frutos, y el principal es el maiz, del qual se hazen tres diferentes especies. *Es infra*.

La primera *Chicha*, que oy se haze del maiz, es la que beben los Españoles, y en Chile se llama *muday*, en el Perù *Chicha tostada*, porche se tuesta y muele, y cuezc, y despues se azeda vn poco, y està en ynfusion hasta, que aclara; y en algunas partes es rosada como vino aloque, con el picante de la aloxa, pero mas fresca, sedatiua, y saludable, y assi se bebe comunmente para quitar la sed, como dice el P. Iosefe de Acosta. y desta ni se duda, ni puede, que sea essencial bebida, por tener todas las calidades, que conforme a lo que hemos dicho ha menester para serlo.

La segunda vsan los Yndios comunmente en sus fiestas, conuites, y bebidas ordinarias, y la llaman *açua*, y en Chile *perper*. El modo con que la hazen, para que en la infusion hierua, y se azede, es poco limpio, porque mascan la harina, como el Padre Acosta refiere, y luego con agua la cuezen, y cuelan, y en estando fria, la dexan azedar, y queda hecha bebida, que embriaga, siendo mucha, y nunca ellos se contentan con poca; porlo qual no ay fiesta en que no queden todos caidos hasta la mañana. Antonio de Herrera dice que la vsan los Yndios de Mechoacan en la nueua España. Los de

Chile con ella nos hazen la guerra, por ser el medio para sus juntas, y no ay ninguna, de que no falgan contra los Españoles, quantos en ella concurren, como algun dia se vera en mi Historia de aquel Reyno, que con particular affecto deseo acabar, y sacar a luz. Esta segunda Chicha aunque no es tan clara como la primera, y tiene algo de sustento, porque danle mas sustancia del maiz, es bebida, y por tal se vsa para quitar la sed, y no para otro fin, como del vino hemos dicho, y assi no quebranta el ayuno.

La tercera es la que llaman *zora*, *sora*, y *vinapu*, y en los llanos, *yale*; aunque esta tiene algo mas. para la zora mojan el maiz; y le dexan hasta, que brote, como la ceuada para la cerueza. Brotado le muelen en ciertas piedras, que son sus molinos, y con agua le cuezen, y dexan en infusion, y se haze tan fuerte que poca cantidad embriaga. Por lo qual, y por ser bebida dañosa, aunque muy apetecida de los Yndios, se la prohibieron sus Reyes yncas, como dicen el Padre Acosta, Garcilasso, y el Doctor Matias de Porras. y oy les esta prohibida por ordenanças del Virrey Don Francisco de Toledo, y de los que le han sucedido. En los llanos desde Chancay, que es cerca de Lima, hasta truxillo, para ofrecer a las *Huacas*, como consta del P. Arriaga, mezclan esta zora con maiz mascado, y le echan poluos de Espingo, que es vna frutilla seca, y redonda a modo de almendra, de olor muy vehemente, aunque no bueno, que se lleua de las Chachapoyas. y en Iaen de Bracamoros, ò Pacamoros, solian los naturales pagar en esto sus tributos, y se vendia como fruto medicinal a los destos llanos, hasta que el Arçobispo Don Toribio Alphonso Mogrodeio, sabiendo que lo comprauan para offrenda de sus *Huacas*, prohibió el venderselos, con que cessó el tributar en ello los de Iaen. Con estos poluos, y el maiz mascado queda la Zora mas fuerte, y espessa, y es la que llaman *Tale*. y despues de auer echado sobre la *Huaca* lo que les parece, beben la demas los hechizeros, que andan por ministros, y quedan como locos. En la sierra hazen esta zora para las *Huacas* del maiz verde, que entonces llaman a sus maçorcas, ò espigas, Choxlos, ò Choclos, y los recogen para este efetto los Parianas, que son Yndios diputados a este exercicio. Mascan el maiz para ella mugeres doncellas, y mientres se ocupan en esto, ayunan, no comiendo sal, ni axi, y si son casadas, no duermen por entonces con sus maridos: y esta queda muy fuerte, y espessa, y la llaman *tecti*. *Et iterum*.

Desde Guamanga hasta la Ciudad de Cordoua, de Tucuman, en el Perù, que son mas de quinientas, y cincuenta leguas de tierra continuada, de mas de las Chichas de maiz que hemos dicho, vsan los naturales otras de diferentes cosas. De la *Tuca* la hazen tan fuerte, como la Zora, y assi prohibida, como ella. Es la *Tuca* vna raiz, que en tierra firme, y islas de Barlouento llaman *Cacaui*, y en el Brasil *Mandioca*, de la qual hazen la comun harina de palo, con que se sustentan, como lo escriuen Pedro Magallanes de Gandauo, y Iuan Estadio Hesso. Geronimo de Huerta, y fray Claudio de Abeuile. Iuan Estadio refiere el modo con que los Brasilienses hazen desta mandioca su beuida, coziendo sus raizes, y passandolas a otra vasija, que es la infusion donde hierue, y luego las moças mascan aquella massa, y la ponen en vaso a parte, adonde con mucha agua buelue a cozer, hasta que hierue, y de alli se trasiega a tinajas, que tienen enterradas, adonde esta dos dias cobrando lo azedo, y fuerte, con que queda perfeta, y capaz de embriagar: *& cum sit crassioris substantia*: (dice este Autor:) *probè nutrit*. Iuan Lerio Burgundo pone la misma forma de bebida de Mandioca, y dice la llaman a esta, y a la, que hazen de maiz como la azua del Perù, *Cauoin*. Del cacaui trata Goncalo Ferdinandez de Ouiedo aunque no dice, que en las yslas, ni en terrafirme se haga della bebida comun: sino que el agua, o çumo que se le quita para hazerla harina,

crudo

crudo es veneno, y cozido lo comen los Yndios como potage. y si lo cuezen mucho, les sirue de miel. y buelto a herbir, y serena, es muy fuerte vinagre. Del escriue tambien el Doctor Iuan de Cardenas. En Honduras muelen el maiz con cortezas de enzina, y vnas hoyas como sauila, que llaman Guaza, y echada esta massa en grandes ollas la dexan corromper, y acedar, y luego la mezclan con aguamiel, y la cuelan, y es su bebida de mayor regalo, que llaman *chupo*, y es tan fuerte, que luego embriaga. Es tales prohibida a los Yndios, porque con su fuerça los obligaua a mil torpeças, y desatinos, y aun los acabaua. *Huc usque Pinellus.*

De Potu ex ficubus, hæc sola habet verba num. 11. *de otras muchas cosas vsaron los Yndios hazer bebidas. Herrera dice que los de Mechoacan de higos*, nec vllam eius bonam, vel malam adscribit qualitatem; sed certò supponendum est, non sine graui aliqua causa per Toribium eum hic prohiberi, vel damni alicuius publici, vel superstitionis in eius natura vel vsu.

SY-

SYNODVS X.
DIOECESANA.

Celebrata in Ciuitate Regum, die xxxi. mensis Iulij, Anno MDCIV.

NOS D. Toribius Alphonsus Mogrouejus, &c. *vt in superioribus Synodis*. Cuius Synodi conuocatio fuit ad diem 16. mensis Iulij huius præsentis anni 1604. *diem triumphi sanctæ Crucis*. In qua dicta Synodo ordinauimus & statuimus Constitutiones sequentes, quas præcipimus & volumus obseruari & adimpleri, secundùm quod, & eo modo, quo in ipsis continetur.

Cap. I.
Parochi post resignationem beneficij ministrent Sacramenta.

QVòd, quando aliqui Hispanorum vel Indorum Parochi cómurauerint, vel resignauerint suas Parochias, noster Prouisor dabit ipsis facultatem administrandi Sacramenta, tàm matrimonij, quàm cætera, sicuti faciebánt ante commutationem, vel resignationem, vsque dùm cum effectu suppetat, & ad sit alius Parochus successor in eiusmodi parochijs. Iniungimus autem, vt omnes eiusmodi sint, vt sacramẽtis ministrandis, & officia Parochi omnia præstando sufficiant.

Cap. II.
Oleum & Chrisma in singulis Ecclesijs seruanda.

QVòd Parochi in singulis Ecclesijs suæ parochiæ habeant vasa olei & chrismatis fideliter custodita, ne opus sit, ea ex vno oppido ad alterum ferre.

Cap. III.
Testes baptismi fideliter adnotandi.

QVòd Hispanorum Indorumque Parochi in conscribendis libris Baptismi, simul cum nominibus patrinorum scribant semper nomina testium.

Cap. IV.
Idem illicò post hoc, & alia Sacramenta faciendum.

QVòd ijdem Parochi, postquam ministrarunt Sacramenta Baptismi, Confirmationis, vel Matrimonij, tunc statim in ipsis libris describant nomina Baptizatorum, Cõfirmatorum, & Coniugum, absque vlla temporis dilatione, nec ea memoriæ suæ, vel solutæ schedulæ committant, vel alio modo differant, sed in ipsismet libris illicò describant.

Cap. V.
Parochi non exerceant prædia.

QVòd doctrinarum Parochi, qui in suis doctrinis habebunt prædia,

dia, vulgò *charcas*, vineas, vel alia bona, capellaniæ, memoriarum, vel anniuersariorum, ea per se ipsos non administrent, sed alijs locét, vel per tertias personas administrentur, vt ipsi officio suo pastorali liberè fungi possint, & alia cessent incommoda.

Cap. VI.
Nec ea conducant.

QVòd Indorum Parochi non administrent, vel conducant vineas, hæreditates, vel alia bona, suarum doctrinarum Ecclesijs, vel Confraternitatibus annexa, accipientes pro suo labore aliquam eorum partem, sed ea locent, vel per alios administrent, ne doctrinæ, vel curæ pastorali dignè exercendæ obstaculo sint.

Cap. VII.
Matriculæ Sacramentorum non committantur laicis.

QVòd Parochi non tradant Correctoribus, vel alijs Ministris sæcularibus libros Matrimoniorum, & Baptismatum; sed si aliqui eos videre voluerint, id fiat præsente Parocho. Nec testimonia sine Parochi assistentia ex eis extrahi permittatur.

Cap. VIII.
Populus ad Missas, & doctrinam quomodò conuocandus.

QVòd Parochi, cum Fiscalibus, & alijs Ministris per Oppidorum suæ doctrinæ calles omnes discurrant, vt Parochianos ad Missam & doctrinam Dominicis, & diebus festiuè colendis ducant; omnes in Cœmiterio congregando, & constituendo ad portas Ecclesiæ, qui singulos ex matricula nominatim vocent, ducente quolibet Indo præfecto ad id constituto, Indos suæ curæ commissos, prout per Constitutiones huius Archiepiscopatus iam sancitum est; Hortantes locorum Correctores, & eorum officiales, vt ad hoc concurrant.

Cap. IX.
Quomodò etiam ad confessiones.

QVòd Indorum Parochi, ex Parochianorum suorum matriculis, vocent Indos ad confessionem, non relinquentes ipsorum Indorum arbitrio, ac dispositioni liberæ, vt ad hunc effectum accedant.

Cap. X.
Oblationes vbi & quando faciendæ.

QVòd Indorum Parochi non instituant oblationes, antè vel post Missam, in Ecclesia, nec minùs extra illam in Cœmiterio, vel alio loco; sed solùm tempore offertorij, iuxta laudabiles consuetudines huius Archiepiscopatus.

Cap. XI.
Liberæ esse debent.

QVòd neque *Caciqui* seu Indorum Primores, nec Prætores, nec Fiscales, nec alij ministri pro Indorum doctrinis colligant oblationes de domo in domum, ad eas Parocho tradendas, cōtributiones eiusmodi oblationum inter Indos exigendo. Nec Indorum Parochi se sic faciendo interponant, nec eos per matriculam ad offerendum vocent.

Nec

Cap. XII.
Nec per præconem indicenda.

QVòd Indorum Parochi, etiam in diebus oblationum, non faciant eas per præconem indici, nec in id cõsentiant, vel fieri permittant.

Cap. XIII.
Nec directè vel indirectè cogantur.

QVòd Indorum Parochi per tertias personas non faciant Parochianos suos ad offerendum surgere, nec locum dent vel permittant ulli, vt eis iubeat, vel surgere, aut ad oblationem accedere faciat, vel vllam vim directè vel indirectè eis ad offerendum inferant; sed vt offerre, vel non offerre, in libero ipsorum arbitrio relinquatur.

Cap. XIV.
Parochi idoneos Sacramentorum administros adhibeant.

QVòd Indorum Parochi, cùm ipsis expedire videbitur, alijs Indorum Parochis concedant, vt suorum Parochianorum confessiones excipiant. Eisque iniungimus, vt eiusmodi facultatem, cùm cõcedenda sit, non nisi viris integræ idoneitatis concedant. Et quòd pœnitentes peractæ confessionis schedulas à confessario subscriptas ferant, iuxta Decretum Concilij Prouincialis anni 1583. sess. 2. cap. 15. in quo sancitur, quòd Episcopi subinde constituant Indis confessarios extraordinarios, propter causas ibidem recensitas.

Cap. XV.
De casibus Archiepiscopo reseruatis.

QVòd Parochi in suis Ecclesijs habeant pendentem tabulam casuum nobis per huius Archiepiscopatus constitutiones reseruatorũ. Et quòd in ijsdem Ecclesijs, diebus Dominicis & festiuis semel, sed tribus distinctis præconijs publicentur, vt ad omnium notitiam perueniant. Casus autem reseruati ex Constitutionibus huius Archiepiscopatus desumpti sunt sequentes.

Casus Archiepiscopo reseruati.

I. REseruamus Nobis absolutionem Hispanorum, qui non soluerint decimas & primitias: & eorum qui illis obstiterint, vel eos impediuerint, vel causam dederint, quòd Indi vel alij, qui decimas & primitias debuerint, eas non persoluant.

II. Item reseruamus Nobis absolutionem Hispanorum, qui vendiderint *Chicha* solius *Zora*, vel mixtam *Yuca*: & eorum Hispanorum, qui dederint vel vendiderint Indis *guarupo*, seu potum ex aqua & melle extersionis primi vasis, vel mustum, vt id bibant.

III. Item illorum, qui Indos cõtra ipsorum voluntatem in diebus festiuis laborare faciunt in suis fundis, & laboritijs: Et eorum, qui ex ordine, vel mandato dominorum, in administratione eiusmodi operarum & fundorum, vel causa, & persuasione ipsorum per se, vel per interpositas personas eos ad id compellunt.

IV. Item absolutionem Correctorum

ctorum seu Prætorum, qui Indos diebus Dominicis & festiuis laborare fecerint, vel in eius rei causa fuerint, quòd ad doctrinam non accedant, aut quòd mariti fugiant à suis vxoribus, aut vxores à maritis, vt non possint ducere vitam coniugalem; vel quòd propter illos labores, & prædia non frequentent doctrinã: ita, vt nullus Sacerdos absque nostra licentia possit illos absoluere.

V. Item Correctorum, Oeconomorum, Administratorum, vel aliorum quorumcunque, exceptis Indis, Mulatis, & Aethiopibus, qui in sua prædia & lucra expenderint, vel occupata retinuerint, directè vel indirectè, per se, vel per interpositas personas, bona Ecclesiarum, fabricarũ, Hospitalium, Confraternitatum, Sacellorum, vel piorum locorum; ita vt à nullo Sacerdote absolui sine nostra facultate possint.

Cap. XVI.

Ecclesiastica pecunia cura.

Qvòd acquisitiones, quas fecerint Visitatores & Vicarij, siue ex condonationibus, siue pro Seminario, seu ex alijs effectibus, scribantur in duobus libris, quorum vnum teneat Vicarius, & alterum Notarius, ab eorum vtroq; subscriptos.

Cap. XVII.

Clarè ac distinctè conscribenda.

Qvòd, quando Vicarij ad Nos, vel nostrũ Prouisorem in hanc Vrbem mittent pecunias ad Seminarium pertinentes, id cum omni distinctione, & claritate faciant, exprimendo, à quibus, & à quo in quod tempus ipsam acceperint. Eademq; distinctione & claritate scribatur in rationibus exigendis de dictis effectibus, per Nos vel nostrum Prouisorem, vel alium cui committetur. Ipsaq; pecunia statim reponatur in arcam trium clauium ad hoc destinatam, præsentibus eius clauigeris, & Nobis, ac nostro Prouisore, & ab omnibus in libro Seminarij subscribatur.

Cap. XVIII.

Ara sacra solis linteis sternatur.

Qvòd, quando celebratur Missa, nec storeæ nec lectisternia, seu laneæ lodices supra sanctum lapidẽ sternantur, sed omnia linostina, vt præscribit Missale.

Cap. XIX.

Sacerdos celebraturus inspiciat altaris paramenta.

Qvòd, quando Sacerdos celebraturus est Missam, videat an in altari sit ara sacrata, & adsint tria tabalia linea, per Missale præscripta, & si ara tabulæ inserta sit, an fortè tabula sursum, & ara deorsum versa sit, vt si ita reperiat, vertat, ad Missam ritè faciendam.

Cap. XX.

Ara sacra linteo insuatur.

Qvòd Parochi habeãt sacras aras linteo insutas, vt à laicis tangi non possint.

Cap. XXI.

Suppeditanea crucibus insignita non sint.

QVòd in suppeditaneis, & pauimentis altarium, vel similibus, locis non sternantur tapetes, in quibus depictæ sunt cruces.

Cap. XXII.

Sacra Eucharistia pro locorum opportunitate seruetur.

QVòd Parochi in omnibus suis Ecclesijs seruent sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum, vbi decenter & commodè, & cum bona custodia fieri poterit. Intereà verò dùm commodum non fuerit, ipsum in omnibus Ecclesijs habere, habeatur in templo oppidi, in quo Parochus præsens aderit, eo modo, & secundum quod ordinatum est in constitutionibus huius Archiepiscopatus.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 2. cap. 21. 25. 26.

Cap. XXIII.

Clauis tabernaculi nulli laico committenda.

QVòd clauis tabernaculi Sanctissimi Sacramenti, nullo vnquã tempore tradatur, vel concredatur vlli cuiuscunq; qualitatis laico, sed ipse Sacerdos eam seruet, & retineat in bona custodia.

Cap. XXIV.

Censuræ generaliter publicatæ singulos afficiunt.

QVòd censuræ generales, postquã publicatæ fuerunt, nulli personæ in particulari notificentur, sed sufficiat ipsa publicatio in Ecclesijs facta, procurando in hac parte euitare damna, controuersias, & incõmoda, quæ sequi possent, opinantibus illis quibus sic notificarentur se grauatos esse.

Cap. XXV.

Cruces in locis sordidis ne pingantur.

QVòd non apponantur cruces in atrijs domorum, nec angulis aut Cœmiterijs, vel locis turpibus, ad ea ab immũditia vel sordibus defendenda, sed seruentur in locis decentibus cum debita reuerentia vt ratio postulat. Et cruces in sordidis illis locis iam positæ auferantur.

Cap. XXVI.

Ad signum salutationis flectamus genua.

CLericos & laicos in Domino hortamur, vt cum datum fuerit signum salutationis Angelicæ, ad recitandum *Aue Maria*, genuflectant extra tempus paschale.

Vide notas supra pag. 212. & seqq. ad cap. 4. Synod. 2.

Cap. XXVII.

Præbendarij in capitulo legant constitutiones.

QVòd Præbẽdarij singulis annis, saltem semel faciant, se ipsis præsentibus in capitulo, legi constitutiones Conciliorum Prouincialiũ annis 1567. & 1583. in hac Ciuitate celebratorum, vt in ipsis fieri decretum est. Et per Præsidem iniungitur.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 4. cap. 24.

Et

Cap. XXVIII.
Et Regulam consuetam.

VT ordinationes contentæ in Regula consueta, facta in hac Ciuitate anno 1593. iuxta Decreta sac. Concil. Trident. memoria non excidant, & vnusquisque suæ satisfaciat obligationi, Decano & Capitulo huius nostræ sanctæ Ecclesiæ iniungitur, vt diebus Veneris cuiusque septimanæ, dum Capitulum congregatum fuerit, pergant eas ordinationes & capitula eiusdem Consuetæ legere, & omnia publicētur, ne quisquam earum ignorantiam prætendere possit, eo modo & secundum quod sic ordinatum est, vt fiat, cap. 46. eiusdem Consuetæ. Ipsosque in Domino hortamur, vt id adimpleãt, & ad debitam executionem perducant.

Cap. XXIX.
Sacerdotes nullo ferè loco vel tempore sumant tabacum.

QVòd Sacerdotes, post Missam, non fumant tabacum in Ecclesia, Sacristia, Choro, plateis, vel vicis; nec domi aut frequenter in alijs locis publicis, vltra prædicta. Nec ante Missam vllo modo, prout in Cõstitutionibus huius Archiepiscopatus Decretum est.

Concil. Limen. anni 1583. Act. 3. cap. 24. & Synod. Diœces. IX. cap. 18. ac vtrobiq; Notæ nostræ.

Cap. XXX.
Missæ intra Monialium Cœnobia non celebrandæ.

QVòd in Monasterijs Monialium Missæ intra Clausuram ipsarum non celebrentur, siue ad dandum Viaticum, siue ob aliam causam.

Cap. XXXI.
Sacella ad Missas aperta sunto.

QVòd vbi ex Sacellorum fundatione, quicunque Sacerdotes Missas in eis celebrare possint: illi qui eorundem Sacellorum curam gerunt, ea ad hoc aperta habeant.

Cap. XXXII.
Parochi se mutuò iuuent.

QVando duæ doctrinæ sibi vicinæ fuerint, & Sacerdos vnius non poterit celebrare duas Missas in duabus dissitis doctrinæ suæ curæ pastoralis, Parochus alterius doctrinæ vicinus Ecclesiæ alterius oppidi, in quo secunda Missa dicẽda fuit, tunc poterit secundam suam Missam celebrare in illa Ecclesia oppidi alterius doctrinæ.

Cap. XXXIII.
Cadauerum effossores plectuntur.

QVoniam Concilium Prouinciale anno 1567. in hac Ciuitate celebratum, par. 2. cap. 103. circa id quod ad Indos pertinet, sub præcepto decreuit, vt sequitur. Quòd nemo audeat effodere corpora defunctorum Indorum, quantumuis infidelium, nec ipsorum inuertere sepulchra, Episcopis in hac Synodo renouantibus Decretum Clementis III. qui excommunicationis pœnam sepulchrorum perturbatoribus imponit, si quisquam ausus fuerit dictorum Defunctorum corpora effodere, & effossa relinquere, vt à canibus vel volucribus deuorentur, is in excommunicationis latæ sententiæ, & centum pesorum pœnam incurret.

Proinde Nos omnibus ad quos pertinebit iniungimus, vt illud Decretũ obseruent, attendentes ad pœnam & censuram in eo positas.

Cap. XXXIV.
Prouidetur copia Confessariorum.

PRouisor & Vicarij nostri, in quorum districtibus erunt doctrinæ, vel Conuentus Regularium, & conuenerint Hispani vel alij non Indi, dare poterunt, & dabunt licentiam Parochis secularibus sui districtus, vt Sacramẽta ministrare possint, & ministrent Hispanis, Aethiopibus, Mulatis, Zambahigis, & Mestizis, alijsq; personis non Indis; excepto quòd matrimonium non administrent sine licentia Ordinarij, vel Parochi secularis quem habuerint: ipsiq; Vicarij pariter illis ministrent Sacramenta præter Matrimonium, nisi ad hoc etiam habuerint licentiã ab Ordinario vel proprio ipsorum Parocho seculari vel nostram: Et circa vagantes homines in matrimonio seruetur Decretum sac. Conc. Trid.

Sess. 24. c. 7. de reformat.

Cap. XXXV.
Processiones Parochiales Limæ.

QVòd in omnibus Parochijs huius Ciuitatis processiones Corporis Christi ducantur per omnes calles totius Parochiæ, iniungentes prout iniungimus, quòd ipsi calles ad id decentes sint, & quòd in processione incedatur cum deuotione, & silentio quæ ratio requirit.

Cap. XXXVI.
De officio Sacristani.

QVòd Sacristani habeant tabulam rerum, quas facere debent, & obseruare in hac Ciuitate, & in toto hoc Archiepiscopatu nostri districtus, extractam ex Regula consueta, & Constitutionibus huius Archiepiscopatus, vt in forma sequenti.

Singulis septimanis apponẽt mũdas mappas, &c. *Omnia habentur in ipsa Consueta cap. 28. & 29. supra pag. 161. exceptis paucis quæ hic sequuntur.*

Quòd, cùm Sacristani non fuerint sacris ordinibus initiati, tum Parochi lauent, & lauari faciant singulis mensibus corporalia, purificatoria, aliosq; pannulos ministerij altaris, & calicum pallas, singulis septimanis, & albas, amictus, ac tobalia per singulos menses.

Quòd, quando Sanctissimum Sacramentum defertur ad infirmos in oppidis Hispanorum, Sacristanus cũ incensario præcedat.

Quòd Sacristani Ecclesiarum Hispanorum, vel Indorum pulsent & pulsari faciant campanas meridie, & noctu pro animabus defunctorum.

Quòd Sacristani associent Parochos, quando exierint ad ministranda Sacramenta: & Missam celebraturos ad induendum iuuabunt. Et crucem ac lanternam cum accensa candela præferent, quando illi vadunt ministratum Sacramentum extremæ vnctionis.

Quòd nec Sacristani, nec alius cui incumbat paramẽta celebraturis Sacerdotibus ministrare, ea vlli concedant, qui non afferat biretum, quo tectus ad altare procedat.

Festa

Cap. XXXVII.
Festa & ieiunia Limensia.

QVòd Parochi in Ecclesijs habeāt tabulam festorum ab Hispanis & Indis colendorum: & dierum ieiunij ex Concilijs Prouincialibus, Cōstitutionibus synodalibus,& Regula consueta huius Archiepiscopatus desumptam, in forma sequenti.

Festa per Hispanos obseruari praecepta in Concilio Prouinciali anno 1583.

OMnia habentur in ipso Concilio Act.2. c.19. supra pag.37.

Festa in hac Ciuitate seruari iussa per Constitutiones synodales,& Reg. Consuetam huius Archiepiscopatus.

SAncti Sebastiani in Vrbe & Agro: Sancti Marcelli in Vrbe & agro. Commemoratio Sancti Pauli in Vrbe sola, & non in agro, Sancti Blasij in Vrbe sola, & non in agro: & festum Exspectationis in Oppido Yca.

Festa quae in hac Ciuitate Regum coluntur ex consuetudine.

SS. Cosmae & Damiani in hac Ciuitate sola, & non in agro: visitatio Dominae nostrae in vrbe & agro, S. Annae in vrbe sola, & non in agro, S. Dominici in vrbe sola, & non in agro: S. Augustini in vrbe sola, & non in agro: S. Francisci in vrbe sola, & non in agro; Exspectatio Dominae nostrae in vrbe sola, & non in agro: SS. Innocentium in vrbe. Vltra hos si fuerint alij festi dies per approbatam consuetudinē, vel per legitimum priuilegium introducti, ij etiam quisq; in locis suis deuotè colantur.

Festa per Concilium Prouinciale anni 1583. ab Indis obseruari iussa.

OMnia habentur in ipso Concilio act.4. cap.9. supra pag. 37.

Dies Ieiunij in Concilio Prouinciali anno 1567. par.2. cap.191. Indis praescripti.

DIes Veneris Quadragesimae, Vigilia Natiuitatis,& Sabbathum sanctum.

Cap. XXXVIII.
Vicarij & Parochi habeant authenticum exemplar Synodi.

QVòd omnes Hispanorum,Indorumq; Parochi, & Vicarij habeant istas Constitutiones authenticatas per Aegidiū de Alarcon, Notarium nostrum publicum, & Secretarium,& non per alium quempiam Notarium, quamuis etiam nostrū, interim dùm aliud per nos dispositum non fuerit in contrarium, intra octo menses post primam publicationem huius Synodi, &, si poterunt, etiam priùs, sub poena, quòd cum toto rigore iuris contra ipsos procedendum sit.

Cap. XXXIX.
Poenae non taxatae relinquuntur arbitrio Iudicum.

QVòd poenae harum Constitutionum transgressoribus infligendae,

dæ, & per Constitutiones prouinciales, vel Diœcesanas huius Archiepiscopatus non assignatæ, sint penès arbitrium Iudicis, qui sententiam in causa protulerit.

Cap. X L.
Dubia Archiepiscopo reseruantur.

QVòd si dubium aliquod circa has Constitutiones occurrerit, eius declarationẽ reseruamus Nobis.

Cap. X L I.
Examinatores Beneficiorum.

IN *forma superiùs in alijs Synodis descripta* nominantur Canonici Doctorales & Magistrales. Doctor Ioann. Diaz de Aligar Canonicus, Doct. Ioannes Sanchez de Prado, Magister Benedictus Fernandez, Licentiatus Alphõsus Menacho, Doct. Ioann. de la Roca, Magister Didacus Ramirez, Licentiatus Christophorus de Naruaez, Licentiatus Ioannes Garzes Rationarius, Magister Don Ioan. de Vargas, Magister F. Ioann. Martinez Cathedraticus linguæ generalis in huius Vrbis vniuersitate.

Cap. X L I I.
Iudices Apostolici.

IN *forma superiùs in alijs Synodis descripta* nominarur Doctor D. Petrus Muñiz Decanus, Doct. D. Ioann. Velasquez Archidiaconus, & Canonici Doctorales & Magistrales, & Prouincialis ac Prior Ordini Sancti Dominici.

Cap. XLIII.
Testes synodales.

SAncti Patres iustè & sanctè &c. eodem *tenore verborum quoad formam Constitutionis & personas vt supra cap. 47. Synodi 8.*

Quapropter exhortamur, requirimus, & mandamus omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, & secularibus, existentibus, & habitantibus in hoc nostro Archiepiscopatu, quòd à die primæ publicationis huius Synodi, ac deinceps, has eius ordinationes habeant, teneant, obseruent, ac exequantur, tanquam eiusmodi Constitutiones synodales huius nostri Archiepiscopatus, in omnibus & per omnia, secundùm quod, & in forma quæ in illis, & earum qualibet continetur, & tanquã res etiã per viam visitationis factas, & spectantes ad correctionem & reformationum morum: Nec earũ tenorem & formam vllatenùs excedant, sub pœnis in eisdem contentis. Monentes quòd contra transgressores seuerè procedemus cum omni rigore iuris, &, cùm opus fuerit, per censuras. Et omnia supradicta sic decernimus, & ordinamus dictis nostris Prouisori, Vicarijs, & Parochis, &, ad id, quod ipsis ordinauimus in istis Constitutionibus, licentiam damus, & nostras vices ipsis committimus, omni meliori via, qua de iure possumus. Et præcipimus vt publicentur, & legantur in nostra sancta Ecclesia Cathedrali, & in reliquis partibus, vbi expedierit; nostriq; Vicarij, vnusquisque in suo districtu, eas publicari facient. Et habeant

beant vim & vigorem Constitutio- damus, quantum ad ipsarum validanum synodalium, quia Nos ea ipsis tionem requiritur.

Absolutæ sunt istæ Constitutiones, ad gloriam & honorem Domini nostri Dei, in Ciuitate Regum 31. die mensis Iulij anni 1604.

gratis. *Toribius Archiepiscopus Regum.*

De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.

Aegidius de Alarcon Not. Secret.

Conuocatio Synodi ad annum 1606.

NOs D. Toribius Alphonsus Mogrouejus, &c. *ut in fine Synodi quartæ, eodem tenore cum conuocatorijs quintæ Synodi* ad diem 31. mensis Iulij anni 1606. Dat. in Ciuitate Regum 31. die mensis Iulij 1604.

gratis. *Toribius Archiepiscopus Regum.*

De mandato Suæ Illustrissimæ Dominationis.

Aegidius de Alarcon Not. Secret.

EGo Aegidius de Alarcon, Apostolicus, Authoritate Apostolica & authoritate Illustrissimi Archiepiscopi horum Regnorum per eorundem Regnorum Archiepiscopatum publicus Notarius, & eiusdē D. Archiepiscopi Secretarius, legi & publicaui in Ecclesia Cathedrali Ciuitatis Regum, die 31. mensis Iulij anni 1604. *Constitutiones & conuocatorias Synodi Diœcesanæ, quam sua Illustrissima Dominatio celebrauit in hac Ciuitate Regum, & quæ absoluta fuit dicta die suæ publicationis, præsente sua Illustriss. Dominat. plauiali & mitra induto, ac præsentibus pariter Decano & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis eiusdem Ciuitatis, & quibusdam eius, & aliarum Parochiarū Parochis, præcedentibus solemnitatibus pontificalibus in eius celebratione & progressu, & in congressibus quæ facta sunt in Domo Archiepiscopali durante dicta Synodo adfuerunt multi cum potestate absentium, & etiam in personis proprijs aliqui Parochi Doctrinarum, & venerunt & consenserunt vnanimes & conformes in dictas Constitutiones, quarum in dicta retroscripta Synodo fit mentio. Atque vt de eo constet, dedi præsentes in dicta Ciuitate Regum dicta die 31. Iulij & anno* 1604. *& feci meum signum in testimonium veritatis, & in fidem subscripsi.*

Aegidius de Alarcon Not. Secret.

Notæ

IN principio Synodi. * *Diem triumphi ſanctæ Crucis.* Hæc feſtiuitas inter Hiſpanorum proprias numeratur in Bulla per nos ſuperiùs deſcripta pag. 64. per quam Greg. XIII. Pont. ea feſta etiam ad Indos Catholico Regi ſubiectos extendit. Habet proprium, & integrum officium nouem lectionum, inter alia officia propria Hiſpanorum, à pluribus Pontificibus confirmata, cuius lectiones ſecundi nocturni ſunt hiſtoria occaſionis, & originis illius feſtiuitatis, deſumpta ex Roderico Archiepiſcopo Toletano, qui rebus gerendis interfuit lib. 8. de rebus Hiſpaniæ. Is ergo refert Alphonſum *nobilem*, quem alij *bonum* vocant, Caſtellæ Regem patriæ calamitatum dolore, & Chriſtianæ religionis zelo concitatum, Agarenos, Chriſti, & Chriſtianorum inimicos per Hiſpaniam graſſantes, & in Bœtica Caſtellanæ ditionis tunc præpotentes, quantum poſſet, armis comprimere. Tunc Agarenorum in Bœtica Rex Amiramomeuinus fuit, & pro eo belli Dux Mahomet eius filius. Initio malè ſucceſſit Alphonſo, & Mahomet muniſſimum Saluæ-terræ caſtrum illi rapuit. Sed Alphonſus quamuis inducias, ſibi commodum, cum hoſte pepigiſſet, vindicandæ tamen religionis, & patriæ ſtudium non dimiſit. Concilio igitur cum Eccleſiaſticis, & laicis Regni Proceribus habito, ſubditos ſuos ad arma conuocauit, vt Toletum omnes conuenirent. Nec tantum Clientes, ſed vt eiuſdem Vrbis Archiepiſcopus, rerum cum cœteris auctor, & hiſtoriæ Scriptor loquitur, zelo belli, ex omnibus ferè Europæ partibus ad eam diuerſarum Nationum varietas cõcurrebat. Ex Gallia multi Barones, & Burdegallenſis, ac Nannetenſis Epiſcopi, & Arnaldus Narbonenſis, olim Abbas Ciſtertij, cum copijs crucesignatorum, per quas antè hæreticos in ſua Narbonenſi Prouincia profligauit. Ex Italia etiam plurimi tum plebei, tum Equeſtris ordinibus. Ex Hiſpanis aderant cum ſuis copijs Petrus Aragoniæ, & Sancius Nauarræ Reges, ex vrbibus & oppidis Vltroneæ Phalanges, ſuarum communitatum nomine congregati. Erant etiam plures Epiſcopi Concilio, & hortarionibus vtiles, qui ſe & ſua in fidei negotium larga manu contulerunt, quos Toletanus per nomina numerat, alijque multi ex præcipua, & media nobilitate. Aderant etiam Equites Calatrauæ ſub militiæ ſuæ magiſtro: & fratres militiæ templi ſub vno Magiſtro: & fratres etiam militiæ Hoſpitalis Hieroſolymitani; ſub vno Priore: & fratres militiæ S. Iacobi: multi etiam Chriſtianæ religionis diuerſorū votorum, & profeſſionum zelo, & compaſſione moti, & ſignaculo ſanctæ Crucis inſigniti inibi conuenerunt, &, vt author alibi loquitur, de die in diem creſcebat numerus ſtigmata Domini in corpore ſuo portantium: Erat enim bellum ſacrum, & Generalis, vt vocant, Cruciata, ab Innocentio III. Pontifice in Alphonſi Caſtellæ Regis opem indicta, conceſſis plenarijs indulgentijs, & ſolitis remiſſionibus illis, qui ritè diſpoſiti ad bellum procederent, vel in illo morerentur. Solos vltramontanos, Gallos vltra Perineos, & Italos vltra Alpes, Equitum decem millia, & centum millia peditum numerat author. Qui tam diuerſæ gentis, & moris cum ſumma pace, & omnium bonarum rerum, belliciq; apparatus copia, Toleti ab initio Februarij, quo conuenire cœperant, vſque ad exactam Pentecoſten, per Alphonſi Regis prudentiam, & largitatem ſuſtentati ſunt. Igitur duodecimo Kalend. Iulij, diuiſo in tres alas exercitu, vltramontanos omnes ducebat Didacus Lupi de Pharo; Aragonenſes Petrus ipſorum Rex, & Caſtellanos Alphonſus bonus Rex. Accepta tùm per vltramontanos Malaco, & poſt aliquot dierum obſidionē à toto exercitu etiam Calatraua, & per ſuæ militiæ Equites Chriſtiano cultui reſtituta. Sed quanquam præda Aragonijs, & vltramontanis relicta fuiſſent, iſti tamen, relicta cruce, quam Summi Pontificis

tificis indulgentia deuotè susceperant, vnanimi conspiratione castra deseruerunt, & ad propria reuersi sunt: præter Arnaldum Narbonensium Præsulem, qui cum suis in finem strenuè cũ Hispanis perstitit, & cum eo Theobaldus de Blazon alijque pauci Pictaui. Hispani tamen suæ causæ fisi, bellumq; alacriter persecuti, Alarcuris municipium cœperunt,& ibidem exceperunt nouas suppetias,Sanciũ Nauarræ Regẽ cum suis copijs,qui desertorũ discessum quadantenùs compensare videbantur, summamque in cæteris fiduciam boni exitus attulerunt. Hinc per paucorum dierum iter ad pugnæ locum proparatum est, quem cum hostis præoccupasset, non nisi magnis difficultatibus, & velitationibus obtentus fuit, ac totus demùm Christianorum exercitus expulsis Saracenis eum occupauit. Is erat ampla planities, quam campos Tolosanos, vulgò *nauas de Tolosa* vocant, in summitate montis *Muradal* non procul Gienno in Bæticis, vulgò *Iaen*, Ciuitate nunc Episcopali, vbi Mahomet cum toto suo exercitu Christianos pugnaturus præstolabatur: Erat ingens ille ex Arabibus, & Agarenis compositus. Christiani eam noctem, quæ pugnam præcesserat expiandis piaculis sacroq; Sinaxi deuotè suscipiendæ consectarunt, & qui sacram communionem suscipere præ multitudine non poterant, cum Archiepiscopi Toletani benedictione, & promulgata Innocentij Summi Pontificis condonatione alacres ad bellum summo manè processerunt. Consertis tandem manibus pugna initio Christianis tam ambigua fuit, vt Alphonsus Rex ad Antistitem Toletanum conuersus, ego inquit Archiepiscope,& vos hic moriemur? talis enim in tali articulo mors nos dedecet: cui cum Archiepiscopus victoriam potius promitteret, Rex Alphonsus, qui postremam aciem occupauerat, priorum periculis prouidens, cùm acie sua, facto impetu, in Agareni Regis atrium vsque prorupit. Et crux,quæ antè Toletanum Archiepiscopum baiulari cõsueuerat, præferente eam Dominico Paschasij, Canonico Toletano, per Agarenorum acies miraculosè transiuit, & ibidem, illæso baiulo, & sinè suis, vsque ad finem belli perdurauit. Erat etiam in Vexillis Regum imago B.Mariæ Virginis, Toletanæ Prouinciæ Tutelaris, in cuius aduentu acies illa Saracenorum, quæ priùs impenetrabilis, ac terribilis videbatur, cæsa gladijs, vt authot loquitur, fugata lanceis, victa ictibus, terga dedit. Ipseque Rex Mahomet iumento insiliens, & fuga se saluans, cum quatuor tantum militibus periculi socijs Beatiam vsque veniens, ibiq; mutato iumento,nec aliud solatium ciuibus relinquens, quam vt interrogantibus,quid eos facere oportebat, responderet, se, nec sibi, nec illis posse consulere, Giennum ea nocte peruenit. Instantibus interim, & contemptis cæsorũ opimis spolijs, victoriam prosequentibus ex vna parte Castellanis, ex alia Aragonensibus, & ex tertia Nauarris, quorum integer exercitus armatorum vix centũ millia compleuerat. bis centũ millia Saracenorum cæciderunt,quorum corporibus adeo opplebatur campus, vt etiam in robustissimis equis vix super eorum cadauera absque periculo transiremus inquit præsens tunc Archiepiscopus: & mirabile dictu, licet iacerent in omnibus partibus corporis detruncati, & iam à pauperibus spoliati, in toto campo nec signum sanguinis poterat inueniri. Ex Christianis autem vix defuere viginti quinque viri. Prosequitur Archiepiscopus historiam: His itaque omnibus feliciter peractis iam circa Solis occasum in Agarenorum tentorijs sedimus fatigati, satis tamen pro victoriæ lætitia recreati. Tanta autem fuit in campo Arabũ multitudo, quod medietatem spatij vix potuimus occupare. In campo autem, qui voluerunt rapere, plurima inuenerunt, aurum scilicet, argentum, vestes preciosas, suppellectilia setica, & multa alia preciosissima ornamenta, nec non & pecunias multas, & vasa preciosa, quæ omnia pro maiori parte pedites & aliqui milites de Aragonia habuere. Maiores enim quos fidei zelus, & Regis reuerentia, & amor strenuitatis nobilita-

litauerat, hæc omnia contemnentes. vsque ad noctem persecutioni viriliter intenderunt, præsertim cum præcedenti die Pontifex Toletanus sub interminatione anathematis inhibuisset, ne quis prædæ campi insisteret, si diuina prouidentia victoriam concedere dignaretur. Camelorum autem, & cæterorum animalium, nec non & victualium, quæ inibi sunt inuenta, vix posset, quantumlibet subtilis discretio æstimare. In eodem itaque loco illo die, & sequenti moram fecimus fatigati. Homines, & vehicula, & res, & sarcinas, quæ fuerant ob belli instantiam postposita vel neglecta, famulorum studio sunt adducta. Et quod vix videtur credibile, licet verum, in illis duobus diebus ad vsus omnes nulla alia ligna combustissimus, nisi hastas lancearum, & sagittarum, quas secum duxerant Agareni: vix tamen in illo biduo potuimus consumere medietatem, quamuis ex industria, non ad necessitatem, ignem apponerent, sed ad eorum multitudinem consumendam. Addunt lectiones officij crucem in medio conflictu, cum nostri maximè laborare viderentur, Alphonso Regi, quamplurimisq; alijs in aëre visam fuisse. Quare tanta victoria *triumphus S. Crucis* meritò vocata est: & hæc annua festiuitas in gratiarum actionem, & perpetuam grati animi renouationem instituta fuit, eodem die celebranda, quo S. Crucis auspicio parta victoria fuit, xvij. Cal. Aug. Æra Hispanica 1250. seu vt lectiones habent, anno Domini 1212.

A P-

APPENDIX

Ad cap, 10. Synodi I. Diœcesanæ.

EO loco obligantur Clerici Confessarij, vt apud se habeant casus in Bulla cœnæ Domini reseruatos. Quamuis autem Indorum Confessarij peculiari priuilegio ab ijs casibus absoluere possunt: Ego tamen in notis ad illum locum ostendi vel necessitatem præcepti, vel vtilitatem saltem habendi penes se Bullam non obstante tali priuilegio: & ne quisquam eorum, saltem ad quos perueneret hic liber, impotentiam acquirendi Bullam prætendere possit, ibidem promisimus nos eam hoc loco daturos. Est ergo quæ sequitur.

Litteræ Processus S. D. N. Clementis Papæ X. lectæ die Cœnæ Domini, anno 1671.

CLEMENS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Excommunic. & anathematizantur.

PAstoralis Romani Pôtificis vigilãtia, & sollicitudo, cùm in omni Christianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris officio assiduè versatur, tùm potissimum in Catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda & conseruanda, maximè elucet. Nimirum, vt fideles Christi non sint paruuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumuentionem erroris: sed omnes occurrãt in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, neque se in huius vitæ societate & communione lædant, aut inter se alteri offensionem præbeat: sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tanquã vnius corporis membra sub Christo capite, eiusq; in terris Vicario Rom. Pontifice Beatissimi Petri Successore, à quo totius Ecclesiæ vnitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita diuina gratia adiutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, vt futura quoq; beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Rom. Pôtifices Prædecessores nostri, hodierna die, quæ anniuersaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria iustitiæ arma per ministerium summi Apostolatus ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inuiolatam integritatem, publicam pacem, & iustitiam, Deo auctore, tueri, vetustũ, & solemnem hunc morem sequentes.

1 Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, quoscunque Hussitas, Vvichle-

1 Hæretici cuiuscunq; Sectæ, eorundem fautores libros legentes, tenẽtes, aut imprimentes, & schismatici.

phi-

phiftas, Luteranos, Zuinglianos, Caluiniftas, Vgonottos, Anabaptiftas, Trinitarios, & à Chriftiana fide Apoftatas, ac omnes, & fingulos alios Hæreticos quocunque nomine cenfeantur, & cuiufcunq; fectæ exiftant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenfores, ac eorundẽ libros hærefim continentes, vel de Religione tractantes, fine auctoritate noftra & Sedis Apoft. fcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, feù quomodolibet defendentes ex quauis caufa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore, necnon Schifmaticos, & eos, qui fe à noftra, & Romani Pontificis pro tempore exiftentis obediẽtia pertinaciter fubtrahunt, vel recedunt.

2 Appellantes à Pontif. ad futurũ Concilium, eorumque fautores.

2 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & fingulos cuiufcunque ftatus, gradus, feù cõditionis fuerint: Vniuerfitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, feù mandatis noftris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiftentium ad vniuerfale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, confilio, vel fauore, appellatum fuerit.

3 Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.

3 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curfarios, ac Latrunculos maritimos, difcurrentes Mare noftrum, præcipuè à monte Argentario vfque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenfores.

4 Naufragorũ Chriftianorum cuiufcunq; generis bona, etiã in littoribus inuenta, furripiẽtes.

4 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & fingulos, qui Chriftianorum quorumcunque nauibus, tẽpeftate, feù in tranfuerfum (vt dici folet) iactatis, vel quoquomodo naufragium paffis, fiue in ipfis nauibus, fiue ex eifdem eiecta in mari, vel in littore inuenta, cuiufcunque generis bona, tàm in noftris Tyrrheni, & Adriatici, quam in cæteris cuiufcunque maris Regionibus, & littoribus, furripuerint; ita vt nec ob quodcunque priuilegium, confuetudinem, aut longiffimi, & immemorabilis temporis poffeffionem, feu alium quemcunque prætextum excufari poffint.

5 Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes.

5 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris fuis noua Pedagia, feù Gabellas, præterquàm in cafibus fibi à iure, feù ex fpeciali Sedis Apoftolicæ licentia permiffis imponunt, vel augent, feù imponi, vel augeri prohibita exigunt.

6 Falfific. litt. Apoft. aut fupplic. à quocunque auct. habẽte fignatas, falsò publicantes literas Apoft.

6 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falfarios literarum Apoftolicarum, etiam in forma Breuis, ac Supplicationum, gratiam, vel iuftitiam concernentiũ, per Romanũ Pontificem, vel S.R.E. Vicecancellarios, feù gerentes vices eorum, aut de mandato eiufdem Rom. Pontificis fignatarum, necnon falsò publicantes literas Apoftolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falsò fignantes Supplicationes huiufmodi fub nomine Romani Pontificis, feù Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

7 Deferentes arma, & alia vfui bellico idonea ad Turcas, vel alios Chriftiani nominis inimicos, & ad Reipubl. Chriftianæ ftatum pertinentia eifdem in damnũ Chriftianorum nuncian.

7 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sarracenos, Turcas, & alios Chriftiani nominis hoftes & inimicos, vel Hæreticos per noftras, fiue huius fanctæ Sedis fententias exprefsè, & nominatim declaratos, deferunt, feù tranfmittunt equos, arma, ferrum,

filum,

filum ferri, flamnum, chalybem, omniaq; alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tàm ex ipso canape, quàm alia quacunque materia, & ipsam materiam, aliaq; huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisq; ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscunque priuilegijs, quibusuis personis, Principibus, Rebuspublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus côcessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

8 Impedien. eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuchunt.

8 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seù inuadentes eos, qui victualia, seù alia ad vsum Rom. Curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, nè ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seù perturbant, seù hæc facientes defendunt per se, vel alios cuiuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

9 Ad Sedem Apost. venien. vel ab ea receden. sua, aut aliorũ opera lædentes, & sine iurisdictione vexantes in Curia commorantes.

9 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel Nostris Iudicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

10 Romipetas, ac Peregr. etiã in Vrbe morãtes, vel abeuntes lædentes.

10 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficiẽtes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seù deprædantes Romipetas, seù Peregrinos ad Vrbem causà deuotionis, seù peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

11 Offendentes S.R.E. Cardinal. & alios Prælatos.

11 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficiẽtes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisq; Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à suis Diœcesibus, Territorijs, Terris, seù Dominijs eijciẽtes: Necnon ea mandantes, vel rata habentes, seù præstantes in eis auxilium, consilium, vel fauorem.

12 Ad Rom. Cur. pro negotijs suis recurrentes per se, vel per alios lædentes.

12 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascunque, vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotijs recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, aduocatos, procuratores, & agentes, seù etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis, vel negotijs deputatos, occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi, occidunt, seù quoquomodo percutiũt; bonis spoliant, seù qui per se, vel per alios directè, vel indirectè, delicta huiusmodi

di committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

13 Appellantes à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad laicam potestatē.

13 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tàm Ecclesiasticos, quàm seculares cuiuscunque dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione liter. Apost. etiam in forma Breuis, tàm gratiam, quàm iustitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionum, sequestrorom, monitoriorum, processuum, executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & à Sede prædicta, seù Legatis, Nuncijs, Præsidentibus, Palatij nostri, & Cam. Apost. Auditoribus, Commissarijs, alijsq; Iudicibus, & Delegatis Apostolicis emanarorū, & quæ pro tempore emanauerint, aut aliàs ad Curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante Fisci Procuratore, vel Aduocato, appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta, capi & retineri faciunt, quiuè illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarij, super huiusmodi literarum & processuum exequutione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seù eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, Notarios, exequutores, & subexequutores literarum, citationū, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Ciuitatibus, Locis, & Regnis eijciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seù alios, publicè vel occultè, quiuè alias quibuscunque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusuis eorū negotijs prosequendis, seù gratijs, vel literis impetrandis ad Rom. Cur. accedant, aut recursum habeant, seù gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seù impetratis vtantur, directè vel indirectè prohibere, statuere, seù mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seù Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

14 Executionē literarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibētes ad gratias impetran. accedea.

14 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu beneficiales & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, alijsque Iudicibus ecclesiasticis auocant, illorumuè cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Conuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt; Quiuè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolui, per statutum, vel aliàs, compellunt, vel exequutionem literarum Apostolicarum, seù exequutoria-

torialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seù etiam donec ipsi ad Nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiam si talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Consiliarij ordinarij, vel extraordinarij quorũcunque Principum sæculariũ, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seù Vicarij fuerint.

15 Indices seculares, qui Ecclesiast. personas trahunt ad sua Tribunalia, quiq; Ecclesiast. libertatem tollunt, aut prætextu aliquo turbant.

15 Quiuè ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, Collegia, Ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè quouis quæsito colore: Necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seù quæuis alia decreta in genere, vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis, & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seù in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seù nostris & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expresè præiudicatur.

16 Imped. Prælat. ne sua iurisdict. vtantur, quique illorũ, & deleg. iudicia eludẽtes ad cur. secul. recur. aut contra illos decernunt, præstantesq; auxilium.

16 Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosq; superiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscũque Iudices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque vtantur, secundum quòd Canones, & sacræ Constitutiones ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque senẽtias, & decreta, aut aliàs fori ecclesiastici iudicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinarijs, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seù dant auxilium, consilium, parrocinium, & fauorem in eisdem.

17 Vsurpantes Sedis Apost. & quorumcunque Eccles. iurisdictiones, vel etiã fructus sequestrantes.

17 Quiuè iurisdictiones, seù fructus, redditus, & prouentus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascunque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorũ, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa

pressa licentia sequestrant.

18 Imponẽtes decimas, & alia onera personis, ecclesiast. Ecclesijs, Monasterijs aut eorum fructibus.

18 Quiuè collectas, decimas, tallcas, præstantias, & alia onera clericis, Prælatis, & alijs personis ecclesiast. ac eorum & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorũq; fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Rom. Pontif. speciali, & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiã à spontè dantibus, & concedentibus, recipiunr. Necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus quicunque, etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris quoquomodo Præsidentes, Consiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his per sacros Canones, tàm in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

19 Iudices seculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seù criminalibus contra ecclesiast. personas.

19 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Iudices, Notarios, Scribas, exequutores, subexequutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seù criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seù sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique huiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

20 Occupantes bona, aut terras Ecclesię Romanæ, & illius iurisdictionem vsurpantes.

20 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seù alios directè, vel indirectè sub quocunque titolo, vel colore inuadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletan. Comitatum Venaysinum, Sabineñ, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Prouincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis cõmissionis Arnulforum, Ciuitatesq; nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auenionem, Ciuitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæq; Rom. Eccl. mediatè, vel immediatè subiecta: necnon supremam iurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto vsurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt, necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seù illis auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.

Absolutio soli Pontifici reseruatur.

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quousque alij huius-
modi

modi processus à Nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosq; effectus omnino sortiri.

Absoluere præsumentes excõmunicantur.

Cæterum à prædictis sententijs nullus per alium, quàm per Rom. Pontif. nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui possit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuscunque personis ecclesiasticis, secularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate prædictis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis pijs, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mūdana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innouatorum, aut concedendorum, & innouandorum.

Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, grauius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus procesfuri.

Papæ absolutio non comprehēdit eos, qui à præmissis non destiterint.

Declarantes, ac protestantes quācunque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis, cum vero proposito vlterius similia non committendi, destiterint: Ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, vt præfertur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta huiusmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuijs, seù capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & cassari, ac Nos de reuocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus & singulis, ac quibuscunque iuribus Sedis Apost. ac S.R.E. vndecunque & quandocunque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præiudicari posse, aut debere.

Non obstantibus priuilegijs, indulgentijs, indultis & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seù aliquibus alijs cuiuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi, vt præfertur Pontificali, Imperiali, Regali, seù quauis ecclesiastica, & mūdana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, seù locis à prædicta Sede, ex quauis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub

 qua-

quauis alia forma, & tenore, ac cum quibusuis clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs concessis, etiam continentibus quòd excommunicari, anathemarizari, vel interdici nō possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de priuilegijs, indulgentijs, & indultis huiusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, & alijs quibuslibet obseruantijs, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se iuuare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quo ad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitùs omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitùs tollimus, & omninò reuocamus, ceterisque contrarijs quibuscunque.

Vt verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, seù membranas Processus ipsos continentes, valuis Ecclesiæ S. Io: Lateran. & Basilicæ Principis Apost. de Vrbe appendi faciemus, vt ij, quos processus huiusmodi concernunt, quòd ad ipsos non peruenerint, aut quòd ipsos ignorauerint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile, id remanere incognitum, quòd tam patenter omnibus publicatur. Insuper, vt processus ipsi; & præsentes literæ, ac omnia & singula in eis contenta eò fiant notiora, quò in plerisque Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuersis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs, & Prælatis vbilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, vt per se, vel alium, seù alios, præsentes literas, postquā eas receperint seù earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesijs suis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Quicunque audiunt confessiones apud se has literas habeant.

Ceterùm Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alijque locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumuis Ordinum regulares ad audiendas peccatorum confessiones, quauis auctoritate deputati, transumptum præsentium literarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino

nino hominum liceat hanc paginã nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, reuocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, septimo Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Loco ✠ plumbi.

G. Cardinalis Prodatarius.

Visa de Curia S. de Pilastris.

I. G. Slusius.

I. C. Gul. de Gentilibus.

Registrata in Secretaria Breuium.

Die, mense, & anno quibus supra supradicta Bulla affixa fuit ad valuas Basilicæ Apostolorum SS. Petri & Pauli, S. Io. Lateranen. S. Mariæ Maioris, & alia loca solita, & consueta Vrbis per me Matthæum Bertarellum Sanctiss. D. N. Papæ Curs. Pro D. Mag. Cursor. Aegidius Felicius Curs.

INDEX

INDEX RERVM.

Dam-

D

E

ad

 gen-

N

O

ca-

Poe-

Eorum

Errata Typographica deprehensa post alia superiùs notata ante Indicem Capitum operis.

In Epistola dedicatoria.

Pag. 1. lin. 17. Mexanicum, leg. Mexicanum, pag. 3. lin. 9. sedasti. leg. sedati. pag. 4. lin. 15. prapagari. leg. propagari. pag. 4. lin. 23. Illij. leg. Ilij.

In Apparatu historico.

Pag. v. col. 1. lin. 36. 2534. leg. 1534. pag. xxix. col. 1. lin. 10. voluptan ti leg. voluptati.

In reliquo Opere.

Pag. 143. col. 2. lin. 38. diuirsoia, leg. diuisoria. pag. 180. col. 1. lin. 8. regionibus, leg. Religionibus. ibid. col. 2. lin. 29. gestabantur, leg. gestabuntur. pag. 205. col. 1. lin. 20. Antistibus, leg. Antistitibus. pag. 255. col. 2. lin. 12. Seraphinus, leg. Seraphicus. pag. 294. col. 2. lin. penult. regat, leg. rogat. pag. 299. col. 1. lin. 35. masieis, leg. musicis, pag. 312. col. 1. lin. 51. parto, leg. partu. pag. 314. col. 1. lin. 19. (.) leg. (:) pag. 324. col. 2. lin. 14. acuendo, leg. acuerdo. p. 342. col. 1. l. 33. Cap. 5. leg. Cap. 40. p. 354. col. 2. l. 21. Cananæ, leg. Canariæ. p. 368. col. 1. lin. 38. auctor, leg. actor. p. 370. col. 1. lin. 3. præsedenti, leg. præcedenti. ibid. lin. 19. combustissimus, leg. combustimus. Pag. 343. col. 2. lin. vltima. Sed solius Gregorij. Adde. Inuestigaui diligenter certam veritatem huius dubij, nec nisi post hæc impressa reperi ex Archiuio legationis Hispanicæ huius almæ vrbis, ibi tom. 4. Bullarum. fol. 229. extare exemplum Bullæ Gregorij ad hunc effectum expeditæ anno 1573. ad Archiepiscopos Mexicanum, & Limensem, sed in decennium rantummodo duraturæ. Et quidem hoc indultum Gregorij poterat videri in Concilio Prouinciali Limensi anni 1583. Sed eius vis tunc expirauit, finito nimirum decennio; nisi fortè decennium non à die dati Romæ, sed à Die Limæ accepti diplomatis computandum foret. Quare credendum non videtur, vel hanc Synodum

Dioe-

Diœcesanam Toribij, vel eius Concilium Prouinciale anni 1583. se in illa decennali concessione fundasse, cum authoritate conciliari ederent confessionale lingua Hispanica, in quo sub finem habentur hæc propria verba apud Didacum de Auendaño tom. 2. Thesauri Indici p. 84. n. 295. *Por Bulla de Gregorio XIII. à instancia de la Magestad Catholica, se conceda à todos los Arzobispos, y Obispos de las Indias, y a las personas à quien ellos en esta parte cometieren sus veces, que puedan absoluer de crimen de heregia, y idolatria, y otros qualesquier casos reseruados à si en el fuero de la conciencia, como en el fuero exterior à qualesquier Indos hombres, y mugeres, y asimismo à los que fueran nacidos de Indios, y Moras, y de Moros, y Indias, imponiendoles alguna penitencia saludable, y declara su Santidad, que quanto à esto no estorua el vso declarado, què por la Bulla de la cruzada no se concede absoluer de caso de heregia.* Ex literis authenticis Gregorij XIII. *fue enuiado este breue por el Commissario General de la Santa Cruzada Don Thomas de Salazar. Y añadiosè à los priuilegios vistos por el Sancto Concilio Prouincial por mandado del Reuerendissimo Metropolitano.* Oportuit ergo aliam fuisse concessionem Gregorij nobis adhuc non visam, de qua fit mentio in confessionali, & in hac Synodo decem annis, postquam decennalis illa Gregorij expirare debuit. Quòd ampliùs mihi persuadent iam lecta verba Confessionalis. Non enim dicunt hoc priuilegium Gregorij visum fuisse in Concilio Prouinciali anni 1583. Sed illis quæ ibi visa sunt per authoritatem Metropolitani additum fuisse. Sed de omni hac re videndus Auendaño tom. 2. Thesauri Indici tit. 12. cap. 11. per totum vbi §. 1. In quo quærit an respectu Indorum sit peccatum aliquod reseruatum, à quo absoluere nequeant approbati Confessarij, & postquam tractauit de facultatibus Religionum, deinde per separatas conclusiones n. 248. affirmat, quod Archiepiscopi, & Episcopi, & ij quibus ipsi commiserint, possunt Indos absoluere ab omnibus casibus, nullo excepto, Pontifici reseruatis. Quod omnibus Indorum Parochis videtur facta commissio ad effectum dictum. Quod Sacerdotes alij, qui ita approbantur, vt Parochorum esse adiutores possint eandem censendi sunt facultatem habere: sed non sic de communiter approbatis, nisi vsus aliter ferat. Concordant multi authores quos ipse citat. n. 305.

FINIS.

REGISTRVM.

† †† ††† †††† †††††. a b c d.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff.

Omnes sunt duerniones, præter †††††, *quæ est med. fol. &* d, *quæ est ternio, &* Bbb, Eee, Fff, *quæ sunt fol.*

R O M AE,

Typis IOSEPHI CORVI. Anno MDCLXXIII.

Omnia sunt folia 120. *Superiorum permissu.*